3 1761 04270 0971

Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/quaestionesarist01frit

LGr
A716
Yf

QUAESTIONES

ARISTOPHANEAE

SCRIPSIT

FRANCISCUS VOLKMARUS FRITZSCHE

PROFESSOR ROSTOCHIENSIS.

Tomus I.

254816
7.8.31

LIPSIAE

SUMPTU FRANCISCI KOEHLERI

MDCCCXXXV.

B. 1

PRAEFATIO.

In iis, quae de Socrate veterum comicorum a me disputata sunt, raro Nubium hodie superstitum feci mentionem, propterea quod has partes commentariis ad eam fabulam diu scriptis, necdum editis, suo quamque loco inserui. Porro autem in altera commentatione, quae de Pelargis agit, non magis quam in priore, orationem publice habitam omittere volui, quippe quae, licet in dispari genere dicendi, commode tamen aditum ad ipsam causam aperire viderentur. Adhuc Quaestiones Aristophaneas (hoc est enim genus duplicis, quae nunc editur, scripturae) vix singulas quasdam in lucem protuli, veritus, ut omnes in unum conjunctae emtorem invenirent, scripsique potissimum de Acharnensibus, Babyloniis, Daetalensibus, Thesmophoriazusis II, de sortitione judicum apud Athenienses. Ceterum alia multa, quae eodem spectant, vel

literis mandavi, vel animo designata habeo, quorum partem infra positam *) jam nunc licet degustes.

Censuras hujus opellae exspecto aliquammultas; quanquam paucorum est, judicare, de comoedia praesertim. Aristophanes vero meus ut tandem aliquando prodire hominumque doctorum subire adspectum queat, cura dabitur: adhuc enim festinavimus lente, hoc est sex septem annos in uno propemodum Aristophane consumsimus.

---

*) 1. De Parodia, insigni quodam decore comoediae veteris. 2. De eo dramatum genere, in quibus Comici, ac praecipue Aristophanes, fabulae veteris argumentum secuti sunt. 3. De Lenaeis, Atheniensium festo. 4. De recensione Aristophanis Alexandrina, deque grammaticis Alexandrinis, qui Aristophanem vel emendarunt, vel interpretati sunt. 5. De Codicibus Aristophanis. 6. De fragmentis Aristophaneis in universum. 7. De Pluto II, tum de Cocalo et Aeolosicone, sive de comoediae mediae primordiis. 8. De Pace Aristophanis utraque brevis dissertatio. 9. Vita Aristophanis. 10. De metro Glyconeo (ad Ran. v. 1305—1325 ed. Bekker.). In his quaedam sunt, quae inter Prolegomena ad Aristophanem commode referri possint.

F. V. F.

DE

PELARGIS TYRRHENIS

ET DE

PELARGIS ARISTOPHANIS

COMMENTATIO.

ORATIO

D. X MENS. DECEMBRIS A. MDCCCXXXIII

ROSTOCHII

IN AUDITORIO ACADEMIAE MAXIMO

HABITA.

Quum in omni genere literarum certi loci temporibus certis summo studio celebrentur, tum id in graecis maxime antiquitatibus usu venire solet, in quibus hodie, Philologia in divinam humanamque sapientiam conversa, Misologi omnes, qui quidem nullam Cabiris operam tribuunt, certatim scribunt de Pelasgis, modo Tyrrhenis, modo de alteris illis Pelasgis, quos antiquiores vel etiam cascos sane appellemus. Itaque, ne unus ex omnibus ego relictus esse ac turpiter cessare videar, aetatis nostrae voluntati morem gerere non dubitabo, petamque a Vobis, ut pristina illa benevolentia penitus mihi perspecta, cui utinam aliquando etiam facultate, non solum studio, respondere possim, nunc rursus me de Pelasgis Tyrrhenis dicturum audiatis. De me autem vicissim hoc Vobis promitto, ita me in hoc conventu virorum amplissimorum, hac tanta auditorum frequentia causam illius gentis suscepturum esse, non ut vana ingenii ostentatione in obscuris rebus et plerumque incertis laureolam nescio quam appetere curem, sed ut optimorum scriptorum vestigia sedulo persequar, in horum auctoritate crebro delitescam, postremo hic me lubenter faciam alterum plane Socratem, qui se nihil omnino scire sancte confirmabat, praeter id ipsum quidem. Quid quod hac oratiuncula Vestris quoque rationibus quodammodo consulam, qui

Graecorum ipsorum opinionibus contenti plura vix, credo, requiretis, nec si forte in aliquo trivio nuncius Pelasgorum obviam Vobis cucurrerit, expectabitis, dum doctrinam suam, novam fortasse, sed bene longam explicare incipiat, ac potius secundum illud „Fenum habet" extemplo fugietis. Denique hic ipse dies sive gravitatem verborum desiderat, in literis, re perquam severa, nunc iterum versabimur, ubi sanctis nominibus Herodoti, Aeschyli, Sophoclis aliorumque aures Vestrae personabunt; sive magna omnium nostrum laetitia gravitati quendam hilaritatis leporem admisceri vult, certe mira ista recentiorum somnia reputantibus nobis ridendi materies deesse non poterit. Quanquam reliquis omissis unum tantummodo ex iis mihi videor nominaturus esse, virum et ingenii acumine et doctrinae laude praestantissimum, quem omnes facimus permagni, Niebuhrium. Is quum olim in prima editione historiae Romanae assensionem cohibuisset suam prudenterque, ne dicam timide, difficiles istos quasi nodos expediri nunc quidem posse negasset: postea, ut fit, audacior redditus non tantum moliri coepit, quantulum ab eo exspectares, qui Pelasgorum concioni nunquam interfuisset. Nam illud inprimis Vir Egregius in tertia editione egit, ut sibi primum ipsi, deinde etiam, si forte, aliis persuaderet, tempore quodam perantiquo Pelasgorum, populi omnium fere maximi, longe lateque regnum patuisse, a Pado et Arno usque ad Bosporum, Thraciae tantum parte excepta: qui si historiam illam quartum edidisset, sat scio, qua erat subtilitate, tritavos omnium Germanorum atque etiam Megapolitanorum, nostrosque adeo ipsorum, qui hic nihil tale suspicamur, Pelasgos fuisse docuisset. At veteres auctores, ut Herodotus, etsi maximam olim Graeciae partem tenuisse Pelasgos concedunt, pugnant tamen cum Niebuhrio,

in tertia editione] T. I p. 28—63. Vide prae caeteris p. 59.

concedunt] Evolve Herodotum II, 56 (lin. 64. ed. Wessel.) et VIII, 44 lin. 73. Thucydidem I, 3 (l. 6 ed. Bekker), Strabonem V, p. 220 fin.

neque isto modo hanc gentem ad immensum prorsus augeri patiuntur. Sed operae pretium est, quonam modo vir doctissimus tot tantasque regiones Pelasgis assignet, considerare. Ab initio igitur hoc ponit, raro Pelasgos, si modo unquam, sedes mutasse, neque eos alias terras ex aliis petivisse narrat. Hic statim universa incredibili consensu reclamat antiquitas; cedo mihi vel unum hujus opinionis antiquum testem, causam non dico amplius, viceris. Illi vero Pelasgos, maximeque Tyrrhenos, non solum peregrinatos esse contendunt, verum etiam saepius ulla alia gente in varios locos migrasse, interdum etiam in via temere huc illuc dispersos esse, adeo ut Pelasgos in diversissimis partim oris vagantes ab eadem tamen origine arcessant. Tum ubicunque modo eorum nomen deprehenderit, exaggerando parva totas videt Pelasgorum nationes, invitis id quoque scriptoribus, qui Pelasgorum praeter Graeciae vetustissimae incolas omnium ita meminerunt, ut clarissime ostenderent, hominum multitudinem haud ita magnam sane uno in loco congregatam fuisse, cujusmodi parvam manum populis integris, uti placuit Niebuhrio, adnumerare nemo audebit. Hic, inquit, diu habitarunt Pelasgi. Qui potuerunt, quum nusquam fere diutius consisterent? At manserunt. Paucos fortasse annos, donec rursus alio pellerentur. Totam hanc terram Pelasgis adjudico. Imo non equidem totam; semel minimam ejus partem Pelasgi aliquot domo profugi occuparunt. Postremo quod omnes caeli plagas scrutatur, ut maximum suum populum e tenebris productum inveniat, saepe nullo invento aliquem primus in lucem protulit, non sine mira cupiditate. Nam si forte inter quaerendum Pelasgum nescio quem, vel Macednum, vel denique Lycaonidem animadverterit, continuo novum sibi populum, Pelasgos novos videtur investigasse. Verum enim vero

patiuntur] Herodotus I, 58 fin. *πρὸς δὴ ὧν, ἐμοί τε δοκέει οὐδὲ τὸ Πελασγικὸν ἔθνος, εἰὸν βάρβαρον, οὐδαμᾶ μεγάλως αὐξηθῆναι.* Eodem pertinet Strabonis illud *ἐπεπόλασε* l. l.

Illi vero —] Unum afferam de multis, Dionysium Halic. A.R.I, 18.

et Ephorus dilucide prodidit, Pelasgorum nomen cum multis temere communicatum esse, et magis enucleate Strabo declaravit non paucos aliquando heroas Pelasgi nomine appellatos esse, a quibus deinceps haec ipsa Pelasgorum appellatio ad gentes nonnullas falso transferri soleret. Iam antiquis enim temporibus nonnulli, si cujus populi origines nimium obscurae viderentur, hunc interdum commode magis, quam ex vero ad Pelasgos referebant, quorum temeritatem sequutus Niebuhrius Bottiaeos aliosque pro arbitrio aut certe ob levissimas causas Pelasgis inseruit. Omittam nunc alias terras: sed vir ingeniosus Arcadiam, Oenotriam, Macedoniam Pelasgis suis distribuit. Verum de Arcadia est quod dubitemus. Qui enim antiquos homines ex his regionibus, omnium vel luna judice antiquissimis oriundos putabant, quemadmodum Ephorus, si minus suam conjecturam sequebantur, facile tamen vel per Pelasgum Lycaonemque, heroas hujus terrae notos jam Hesiodo in errorem induci poterant, vel etiam expeditione tum Oenotri Peucetiique tum hac recentiore Evandri, qui utrique ex Arcadia in Italiam venerant, fortasse movebantur, ut mediam inter has Pelasgorum expeditionem Italicam ipsam quoque ex Arcadia repeterent, quos tamen si quidquam in tali re certum esse potest, Thessaliam potius reliquisse constat. Ipsos vero Oenotros cum Niebuhrio Pelasgis adjicere, summae cujusdam mihi videtur audaciae. Primum scilicet nobis, dubitans tamen, Lycaonis et Pelasgi Pelasgorumve nomina subjicit, quorum vim hic plane repudio,

Ephorus] Apud Strabonem V, 221 init. — *εἰς δὲ τὴν αὐτὴν ἀγωγὴν προτρέποντας πολλοὺς ἅπασι τοῦ ὀνόματος μεταδοῦναι* —.

Strabo] Is l. l. *Πελασγούς τε πολλούς*, inquit, *καὶ τῶν ἡρώων ὀνόματα καλέσαντες, οἱ ὕστερον ἀπ' ἐκείνων πολλὰ τῶν ἐθνῶν ἐπώνυμα πεποιήκασι.*

Ephorus — Hesiodo] De hujus utriusque locis vide Strabonem l. l. His alia quaedam addere licet, ut Stephanum Byzantium s. *Ἀρκάς* —. *Ἐκαλεῖτο δὲ Πελασγία, ὡς Νικόλαος πέμπτῃ.* Vide inprimis Pausaniam VIII, 1, 2 ibique Siebelisium.

tunc autem pro imperio decernit, Pelasgos, qui Italiotarum servi fuisse dicuntur, in Oenotrorum numero habendos esse. Equidem, quin Italiotae eorum domini in Oenotris ducantur, non recuso: Pelasgos autem servos verissimos fuisse Pelasgos, Tyrrhenos quidem, satis apparet, neque de eo quisquam, ut opinor, dubitabit. Restat Macedonia terra, ut de his omnibus dictum esse videatur. Hanc Aeschylus non omnem, ut videtur, sed minorem tantum ejus partem confert in Pelasgos, a quibus unum alterumve ejus tractum aliquamdiu possessum esse non omnes forsitan poëtae credent regna Pelasgorum minus vere amplificanti: at Niebuhrius ipsius Aeschyli, ut ait auctoritate commotus totam propemodum Macedoniam terram audacter in Pelasgiam studet convertere. Quaeritis, ecquonam alio modo occultis istis Pelasgorum rebus lucem paullo certiorem afferre queamus: id quod, sicuti pleraque, vel nulla perficiendi spe, dictu tamen facillimum est. Primum igitur mihi non item ut Niebuhrio placet, Pelasgos cogitatione atque re ipsa separare, disputatione vero eosdem conjungere, ne pluribus etiam erroribus, quam necesse est in tam molesta via, implicemur: imo casci illi a Tyrrhenis longe sejungendi sunt, praesertim quum utrique et nunc et partim jam antiquitus ipsorum negligentia scriptorum mire confundantur. Tum debebat Niebuhrius hujus utriusque generis origines investigare, patrias quaerere, sedes indicare, tempora distinguere, migrationes quum plurimas dignoscere, tum ordine singulas explicare, tenue eorum initium, magnum quoddam incrementum celeremque occasum breviter complecti, disserere autem pluribus: denique judicio magis suo obsequi, quam ingenio, a gravissimi cujusque testis auctoritate, nisi forte necessario, vix unquam latum unguem discedere,

Pelasgos, qui Italiotarum servi] Stephanus Byzantius, loco admodum memorabili, s. *Χίος — Οὗτοι δὲ πρῶτοι ἐχρήσαντο θεράποντσιν, ὡς — καὶ Ἰταλιῶται τοῖς Πελασγοῖς —*. Cum Stephano cf. libertinos Pollucis III, 83., qui Pelasgos omisit.

Aeschylus] In loco dubitationis pleno Supplic. v. 250 sqq.

conjecturam, erroris parentem, ita fugere, ut novae opinioni aegre locum daret postremum. Nunc enim Niebuhrii oratione, quamvis copiosa, haud multum, vel etiam admodum nihil nobis videtur profectum esse.

Ego nunc alteram gentem perbreviter tantum summatimque attingam, neque vero utar hoc magnifico orationis genere et perobscuro, quod nuper demum exstitit, sed illo nostro populari ac paene quotidiano. De Tyrrhenis Pelasgis dicturus eram: qui si quando utroque nomine appellantur, minus est negotii; sin autem alterutro verbo comprehensi sunt, vereri solemus, ne vel cum popularibus suis Pelasgi, vel Tyrrheni cum Etruscis permisceantur. Principio hanc gentem credunt Argis Achaïcis exortam esse, ubi a prima origine germani autochthones habitasse dicuntur. Ea sequor, quae Dionysius memoriae prodidit atque ita prodidit, ut hanc satis constantem plurimorum fuisse opinionem demonstraret. Dionysio ob Arcadiam competitricem laboranti et jam premi coepto certatim subveniunt poetae tragici, semel omnino Aeschylus, qui etiam de aboriginibus consentit, saepenumero Euripides, veluti multis locis in Oreste, omnium vero maxime Sophocles in quodam Inachi fragmento, anapae-

Dionysius] A. R. I, 17 *πρῶτον μὲν γὰρ περὶ τὸ καλούμενον νῦν Ἀχαϊκὸν Ἄργος ᾤκησαν αὐτόχθονες ὄντες, ὡς οἱ πολλοὶ* (non *πολλοὶ*) *περὶ αὐτῶν λέγουσι.*

Aeschylus] Supplices 250. 251. Adde Strabonem V, p. 221 *Αἰσχύλος δ' ἐκ τοῦ περὶ Μυκήνας Ἄργους φησὶν ἐν Ἱκέτισι καὶ Δαναΐσι τὸ γένος αὐτῶν. Καὶ τὴν Πελοπόννησον δὲ Πελασγίαν φησὶν Ἔφορος κληθῆναι.* Peloponnesum si non unice, attamen praecipue Argolidem intelligi vult, ut Dionysium comparanti liquet, *ἦν γὰρ δὴ καὶ τὸ τῶν Πελασγῶν γένος Ἑλληνικόν, ἐκ Πελοποννήσου τὸ ἀρχαῖον.* Haud scio igitur an Ephori Arcades quodammodo Ephorus ipse refellat.

Sophocles] Apud ipsum Dionysium I, 25 *Σοφοκλεῖ δ' ἐν Ἰνάχῳ δράματι ἀνάπαιστον ὑπὸ τοῦ χοροῦ λεγόμενον πεποίηται ὧδε·*

Ἴναχε γεννάτορ, παῖ κρηνῶν
Πατρὸς Ὠκεανοῦ μέγα πρεσβεύων
Ἄργους τε γύαις Ἥρας τε πάγοις
Καὶ Τυρσηνοῖσι Πελασγοῖς.

Cf. Scholiastam Apollonii Rhodii I, 580 *ὅτι δὲ οἱ αὐτοὶ Πελασγοὶ καὶ Ἀργεῖοι καὶ Σοφοκλῆς ἐν*

sto plane illustri. Nam quod a vetusto usque Inacho, Argorum conditore, origo hujus populi arcessita est, indigenae hic tertium videntur significari; quod autem populus ipse non solum commune Pelasgorum nomen, sed idem etiam Tyrrhenorum invenit, evitata aliorum ambiguitate, Dionysii judicium eadem tradentis egregie comprobatur. Ac profecto Argivis Pelasgis cognomen Tyrrhenorum nunquam eripiemus. Accedunt enim perpetua illa Pelasgorum itinera, Argis in Thessaliam, hinc porro in Italiae locos, deinceps vero in Graeciam eorum reditus, qui si in hac utraque terra omnium consensu Tyrrheni existimari solent, qui minus eis hoc nomen Argis debetur, unde olim profecti sunt? accedunt signa in Italicis Pelasgorum oppidis cum patria urbe consentanea, clypei Argolici et hastae atque etiam, cui recte plurimum tribuit Dionysius, Iunonis templum Valerii ad Argivae deae similitudinem institutum (a Pelasgis autem Graeci religiones sacrorum acceperant): accedit Argivorum quoque appellatio, quam in Italia rarius quidem pervulgata altera Thessalorum, veruntamen aliquando reperimus: accedunt denique alia quae nunc paullo doctius explanare longum est. Hinc facile statuetis, quam vere Niebuhrius queratur, Tyrrhenorum cognomen tam late apud Sophoclem diffundi, ut etiam antiquior gens incolaeque Peloponnesi male eo contineantur. Et Sophocles quidem laudari potius debebat, quod summam fidem praestitisset; contra Niebuhrium miror sine causa, ut puto, ea fingere, quae a nemine relata legimus, ut Tyrrhenorum famam Argivorum, rem optime testatam, nec per se ullo modo suspectam explodere liceat. Verum enimvero hosce Pelasgos omnium primum in Argolide, quasi in antiquissima patria exstitisse, tametsi vulgo multis jam olim persuasum erat,

Ἰνάχῳ μαρτυρεῖ καὶ οἱ Τυρρηνοὶ δὲ Πελασγοί (sic).

signa — similitudinem institutum] Dionysius I, 21.

a Pelasgis — acceperant] Herodotus II, 50. 51.

Argivorum quoque appellatio] Cf. Niebuhrium p. 90 et p. 129.

Niebuhrius] P. 48.

assentiente altera fama, quae Pelasgum Arcadiae eodem modo terrae filium constituebat: tamen certis ego causis adducor, ut Pelasgos istos recentiores, origine Lydos, ex Maeonia in Graeciam atque Argos trajecisse defendam. Namque Etruscos e Lydia permulti derivabant, quum a Tyrrheno quodam, Lydo, Atyis regis f., colonos in Etruriam deductos putarent: quae fama quantumvis falsa, ac merito plerisque, ut Dionysio et Niebuhrio improbata, tot tamen latinos graecosque habet auctores, tam denique vel per se mirabilis est, ut neque ex nihilo orta sit, et ut ei aliquid majoris rei subesse debeat. Hic forsitan vincere omnes audacia videbor, tamen, quod sentio, dicam: hanc ego famam totam, quanta est cunque, Etruscis ademtam, alteris Tyrrhenis, hoc est Pelasgis largior atque transmitto: Ita scilicet fabula satis alioquin obscura explicatur; Lydorum nomina Tyrseni Tyrsenorumque apte in rem conveniunt; favent nobis itinera Lydorum, qui post longas demum peregrinationes classem in Italiam appulisse, mox autem ad Umbros, tanquam Pelasgi alteri, pervenisse dicuntur; magnopere nos adjuvat Niobe, mater Pelasgi, quam etsi ex Phoroneo volunt susceptam, tamen non fortuito eius nomen cum clara illa Niobe, Tantali filia, Lydia muliere, consentit; plurimum etiam valet alia fama, ne ipsa quidem vera ac tamen sat gravis, quae Etruscos a Pelasgis genus duxisse suum ferebat: hac enim memoria cum Lydis Tyrrhenis

Pelasgum Arcadiae] Vide Pausaniam VIII, 1, 2 et mox ibid. Asium. cf. etiam ad h. l. Siebelisium.

itinera Lydorum] Herodot. I, 94 ἐς ὃ ἔθνεα πολλὰ παραμειψαμένους, ἀπικέσθαι ἐς Ὀμβρικούς. Vide totum locum cl. Dionysio I, 27 sqq. qui c. 19 init. de Pelasgis, idem refert: εἰς τὴν Ὀμβρικῶν ἀφικνοῦνται χώραν—.

Niobe mater Pelasgi] Dionysius I, 17 ἦν δὲ ὁ Πελασγὸς ἐκ Διὸς, ὡς λέγεται, καὶ Νιόβης τῆς Φορωνέως —. Cf. Apollodor. III, 8. Ceterum Xanthi Lydi narratione Torybum (Τύρυβον — Τόρηβον — Τόρημον) Atyis filium ponentis fabula illa de Etruscis Lydorum colonis minime, ut Dionysio I, 28 videtur placuisse, aut refutatur, aut ullo modo expedilur.

conflata missoque, quod Pelasgis crebro insidiatur, nomine Etrusco, plane id assequimur, ut non jam Etrusci, sed unice Pelasgi originem e Lydia, nomen a Tyrrheno Atyis f. repetiverint. Quodsi nobis haec divinatio satis prospere successit, Tyrrhenorum nomen, quo ab omnibus fere in Italia serius aucti putantur, jam e Lydia, quum omnium esset antiquissimum, in Graeciam allatum est; porro ab hujus terrae incolis Tyrrheni communem tulerunt appellationem Pelasgorum, mox etiam proprias quasdam, Argivorum dico atque Thessalorum; deinceps e Thessalia expulsi partem Etruriae occuparunt; aliquanto post rursus, ut arbitror, ejecti ab Etruscis Tyrrheniae expugnatoribus, ut non omnes, sic magna pars eorum, in Graeciam reversi et in Attica potissimum terra ad breve tempus recepti, tunc primum una litera leviter mutata Pelargi solent appellari. Ceterum quoniam nos modo satis audaciter sive nullius exemplo, sive etiam post alios (id enim nescio) Tyrrhenos non ab initio in Graecia exortos esse, sed e Lydia illuc demigrasse suspicati sumus: virorum quorundam doctissimorum auctoritas ferociam meam quodammodo excusabit, qui alteros Graeciae Pelasgos, nostris antiquiores, autochthonas fuisse negarunt, ac potius in Asia eos antea ad Caucasum et in finitimis locis habitasse; illud recte, at hoc verene, an secus, jam non disputo. Sed relinquamus aliquando Argos ipsorum ductu Pelasgorum; in Thessaliam veniamus. Sexta post aetate Dionysius eos e Peloponneso exisse in Haemoniam profitetur, quot aetatibus nimirum Apollodorus, per gradus ille descendens, ab Inacho Danaum regem disjunxit. Hoc igitur voluit scriptor diligentissimus, Tyrrhenos primum sub Inacho Argos tenuisse, postea autem a Danao, qui ad Argivos ex Aegypto profugerat, Peloponneso tota in Thessaliam depulsos esse, quae etiamtum Haemonia dicebatur. Nempe in ea nunc terra versamur, in qua Tyrrheni, gens caetera paullo infelicior, addo etiam ex animi mei sententia nimio ignavior, solito magis auctoritate, potentia et omni

bonorum genere aliquamdiu floruerit: quod quidem simpliciter ac vere monenti Dionysio nihil est causae cur fidem abrogemus. Nam neque prius in Argolide, terra ad Thessaliae campos non comparanda, omnibus copiis abundare et circumfluere poterant, praesertim rebus suis nondum, ut puto, corroboratis: nec vero post in Italia, quo ne omnes quidem pervenerant, aliis alio fuga disjectis, valde mirum est, quod medii inter bellicosos populos saepe victi sunt, saepius pugna tantopere fatigati, ut cito vires eorum consenescerent. Hujus Thessalicae beatitatis aliqua tamen vestigia supersunt, pressa leviter non ad uberiorem tantae rei notitiam, sed ad memoriam ejus lacinia quasi retinendam. Quanquam enim accepimus, non diutius eos in Thessalia, quam in Argolide commoratos esse, perraro tamen Argivi, contra saepissime, tertio paene dixerim praeter Tyrrhenos et Pelasgos nomine Thessali vocantur: adeo haec habitatio, non etiam Argiva, paululo illa vetustior, hominum menti infixa erat. Quin etiam Thessalia tantum non integra Pelasgicum Argos nominata est, neque id ab obscuro scriptore nescio quo, neque aetate demum recenti, sed jam inde ab Homero usque, si non frequentissime aut

saepissime — Thessali vocantur] exempla satis multa attulit Niebuhrius p. 34. p. 41. p. 129. veluti Strabon. V. p. 214, b *καὶ Ῥαονέννα δὲ Θετταλῶν λέγεται κτίσμα.* Ibid. p. 220, d *τῶν δ' ἀπὸ τοῦ τείχους Θετταλῶν τινὸς* —. Schol. ad Apollon. Rhod. I, 987 *χυτοῦ λιμένος*] *χυτὸς λιμὴν ἐν Κυζίκῳ οὕτω καλούμενος. ἐπεχείρησαν γὰρ οἱ Πελασγοὶ χῶσαι αὐτὸν, ὥς φησι Δηΐλοχος* (alii *Διΐοχος*) *κατὰ ἔχθος τὸ πρὸς τοὺς Θεσσαλοὺς, ὑφ' ὧν ἐξεβέβληντο* (Bene haec corrigit Niebuhrius p. 34 not. 69) *οὗτος δὲ ὑπὸ τῶν γηγενῶν φησι κεχῶσθαι αὐτὸν, ποιητικῶς.* Ibid. ad v. 948 *οἱ μὲν οὖν γηγενεῖς παρὰ Κύζικον ᾤκουν·* — *Κύζικος μετέστη ἐκ Θεσσαλίας, καὶ ᾤκησε περὶ τὸν Ἑλλήσποντον.* His alia nonnulla adjicere liceret, si id nunc ageremus.

inde ab Homero] Il. II, 681 *Νῦν αὖ τοὺς, ὅσσοι τὸ Πελασγικὸν Ἄργος ἔναιον* —, ubi consulendi sunt interpretes. In gravissimis locis hic est Strabonis V p. 221 *καὶ τὸ Πελασγικὸν Ἄργος, ἡ Θετταλία λέγεται, τὸ μεταξὺ τῶν ἐκβολῶν τοῦ Πηνειοῦ καὶ τῶν Θερμοπυλῶν ἕως τῆς ὀρεινῆς τῆς κατὰ Πίνδον, διὰ*

vulgo ab omnibus, attamen ab iis, quorum certam fidem minimeque dubiam cognovimus. Nam quod Euripides Pelasgum Argos mira quadam constantia transferre Mycenas non dubitat, libertate utitur poëtis concessa, ut usum loquendi vulgarem haud absurde alio deflectat; neque nos cum eo suam rationem tuente, quod Tyrrheni prius etiam Argis, quam in Thessalia apparuissent, magnopere pugnabimus. Non est autem, quod miremur

τὸ ἐπάρξαι τῶν τόπων τούτων Πελασγούς.

Euripides] Eum vide in Oreste v. 692. v. 1247. v. 1296. v. 1601 et in Phoenissis v. 256. Hac occasione fragmentum Cratini majoris (p. 81 Runkel.) paucis attingam:

Χαῖρε, χρυσόκερω, βαβάκτα, κήλων,
Πάν, Πελασγικὸν Ἄργος ἐμβατεύων.

Certum puto, hic neque Thessalicum Argos, neque Argivum commemorari, Arcadiae vero locum multo minus, imo, uti fere jam Dorvillius conjecerat, Pelasgicum Atheniense sub acropoli, paullo illud Panis antro inferius, unice nominari: comici enim poëtae, veteres praesertim, in patria gleba haerere solent, neque ex ea ingenio suo alte evolare. Sed etsi illud nomen jure quodam Athenas traduci poterat, quum eadem Tyrrhenorum gens et Pelasgicum Argos et longo tempore post Atheniense Pelasgicum incoluisset: Cratinum tamen novi hujusce usus primum fuisse auctorem pernegamus. Totus enim frigebat, qui novam vim vocabuli, miram omnino et longe quaesitam, invenerat: at Comicorum est, non proferre ineptias, verum exagitare. Ego vero magnopere suspicor, Apollinem Pythium multo ante Cratini tempora tam inepte locutum esse. Movet me illud Thucydidis II, 17 καί τι καὶ Πυθικοῦ μαντείου ἀκροτελεύτιον τοιόνδε διεκώλυε, λέγον ὡς „Τὸ Πελασγικὸν ἀργὸν ἄμεινον." Nam qui satis cogitaverit, in Vaticano, optimo codice, ἄργος ἄμεινον reperiri, id est non vitium alicujus scribae, sed certum potius alius scripturae indicium, neque Apollinem adjectivo ἀργὸν non nimis, ut quidem nunc est, apto illo et concinno usurum fuisse, nisi ad Ἄργος simul alluderet, et illum deum in oraculis tum per quaedam involucra non aperte, quid sentiret, indicasse, tum maximas interdum nugas, ne dicam verborum sordes effutivisse, nec denique Cratinum sine ullo exemplo ita locutum videri, qui haec omnia, inquam satis cogitarit, is ut spero judicabit, Apollinem ita tum cecinisse: — Ἄργος τὸ Πελασγικὸν ἀργὸν ἄμεινον. sive malueris — Ἀργὸν τὸ Πελασγικὸν Ἄργος ἄμεινον.

Thessaliam Pelasgicum Argos, contra Argolidem quasi nullorum omnino terram Pelasgorum, Achaïcum Argos nominari. Etenim Achaïci Argus atque Pelasgici nomina tum demum usurpari coepta sunt, quum Pelasgi Argis in Thessaliam excessissent, quo quidem tempore Argos propter alios fuit Achaicum, Thessalia ob Pelasgos ipsos Argos Pelasgicum; Argos enim, vox non minus Pelasgica, quam, ut hoc utamur, Larissa, caput gentis, vel urbem magnum vel denique arcem videtur declarasse. Quocirca vehementer erraret, qui Pelasgicum Argos, Thessaliae nomen, ullam vim habere diceret ad labefactandam priorem illam Argi habitationem, quam Pelasgi non solum eorum quos supra diximus, auctoritate suam vindicant, sed etiam aliorum sicut perdocti hominis, Callimachi. Verum ne alteram quidem Pelasgorum quasi provinciam, id est Thessaliam, ob tot tantaque hujusce rei argumenta ullo modo in dubitationem licet adducere. Tam etsi parum sibi constabat Dionysius, quum Pelasgos Thessaliam tempore Danai occupasse, Deucalionis autem sexta circiter aetate post reliquisse scriberet: siquidem in nostris certe annalibus Danaus et Deucalion aequales fuisse, vel saltem brevi intervallo vixisse feruntur. Itaque rectius sine dubio Hellanicus ab Hellenibus demum Pelasgos, sive aliquanto post Deucalionis tempora sedibus illis exturbatos esse tradidit. Posteaquam igitur Thessalia ab Hellenibus ejecti sunt, alii, ut Dionysio visum est, alio dissipantur, veruntamen major eorum pars Dodonen primum ad Pelasgos antiquiores, non Tyrrhenos, se confert, a quibus parum liberaliter excepti mox vento secundo in Italiam navigarunt. Sic in media quidem Italia Pelasgi versantur: utinam vero jam, quod satis difficile factu est, iidem Pelasgi nosque una cum illis salvi atque incolumes ex Italia evasissemus. Duae inprimis

Larissa] Id quidem bene monuit Niebuhrius p. 31 infra.

Callimachi] L. P. v. 4 et v. 51. Epigr. 40, 1.

Dionysius] I, 17 fin.

Hellanicus] Apud Dionys. I, 28.

sunt res, eaeque communi quodam vinculo copulatae, quae nos hac terra non statim exire patiantur, Tyrrhenorum nomen secundum nonnullos in Italia adscitum; tum ipse eorum abitus valde obscurus, quos etsi vi coactos Italia excessisse, negavit nemo, tamen a quibusnam et qua ratione, quando denique coacti fuerint, prorsus variat fama multique vehementer inter se discrepant atque contendunt. Reliqua enim nunc missa faciamus, non solum propter nimiam rerum copiam, verum etiam ob insignem temporum illorum caliginem, quae tanta est, ut ne Spina quidem, prima urbs Pelasgorum, dubitationes effugere potuerit, sed apud Plinium conditori adscribatur Diomedi, et apud Strabonem similiter Hellenum urbs vocata sit.

Quam ob causam igitur Pelasgi ex Italia rursus discesserint, magna quaestio est. Et Dionysius quidem, vel potius, quem is sequitur, Myrsilus Lesbius hanc rem tali fere modo explicare conatus est. Pelasgi, inquit, ad Aborigines veniunt, quo eos ducebat oraculum datum non multo ante Deodonae. Benevole ab Aboriginibus recepti una cum eis bellum contra Siculos gerunt eosque in Siciliam ejiciunt. At enimvero mox Pelasgi ira divina agitantur, a vicinis barbaris multi occiduntur, agrorum sterilitate fameque conficiuntur, plurimis morbis vexantur, deinde oraculum petunt, consulentibus primo ambigue respondetur, iterum a deo palam hominum decumas mactare jubentur, hoc igitur faciunt, perinviti tamen et cum natura ipsa luctantes; inde seditiones, tumultus, migrationes multos er annos continuatae. Hanc Myrsili opinionem, si quid est in me judicii, nihil omnino commendat et contra potius omnia eam impugnant ac nullo negotio totam evertunt. Citius equidem exornatoris esse, quam narratoris dixerim, plurimas res in medio ponere, quas accurate scire tanto post nemo unus posset, nedum, ut facit Myrsilus, certa et quasi ad perpendiculum exacta

apud Plinium — apud Strabonem] Niebuhrius p. 41 et 42.

Myrsilus Lesbius] ipso fatente Dionysio I, 23 fin.

venditare. Sed propius accedamus ad singula, neque solum cum genere universo confligamus. Principio bellum illud cum Siculis gestum haud quaquam Pelasgos ex Italia removet; Siculi enim, non Aborigines, neque Pelasgi horum socii expelluntur. Et tamen vix paullo post etiam Pelasgi, ut est apud Dionysium, Italiam relinquunt. Deinde causas, cur Pelasgi ex Italia navigassent, homo ingeniosus ipse excogitavit. Plane enim res ejusmodi afferuntur, quae in majore consilii inopia fingi a scriptoribus soleant, caritas annonae, pestis, oracula, hominum decumae, postremo miri quidam tumultus: atque adeo eae res permultae coacervantur, quas tamen singulas tantum, non cunctas simul, exstitisse credideris. In quo hoc maxime admiror, quae tanta Aboriginum fuerit inhumanitas, ut quos bello Siculo fidelissimos socios experti essent, eos foede a barbaris trucidari fameque miseros perire sinerent. Jam vero Pelasgos etiam quotannis, tanquam hirundines, aufugisse, et in tam diuturna fuga nullam prorsus mentionem Etruscorum fieri, valde scilicet mendosum est et aperto mendacio, quam historicae fidei conjunctius. Enimvero, ut paucis complectar omnisque erroris fontem aperiam, Pelasgos hic cum Arcadibus Evandri temere permisceri existimo. Hos enim Arcadas postea sedem, cum Aboriginibus communem habuisse satis constat, neque id vel ipse Dionysius potuit diffiteri. Hic vero colonias illas facilius etiam, quam alibi, confundere licebat, propterea quod tum Pelasgi non ad alienigenas, sed ad cognatos Graeci et terrae filii ad Aborigines se applicarent. Longe aliter Pausanias, qui Pelasgos Tyrrhenos, Atticae aliquamdiu inquilinos origine Siculos fuisse acceperat. Hanc famam non solum quod pertenuis est, despicio, sed etiam, quod inepta videtur,

vel ipse Dionysius] I, 33 fin. τοῦτο δεύτερον ἔθνος Ἑλληνικὸν μετὰ Πελασγοὺς ἀφικόμενον εἰς Ἰταλίαν, κοινὴν ἔσχε μετὰ τῶν Ἀβοριγίνων οἴκησιν, ἐν τῷ κρατίστῳ τῆς Ῥώμης ἱδρυσάμενον χωρίῳ.

Pausanias] I, 28, 3. — Σικελοὺς τὸ ἐξ ἀρχῆς ὄντας —. Ceterum locus est lacunosus.

explodo. Alia enim gens Pelasgorum fuit, alia rursus Siculorum, nec quisquam praeterea cum Tyrrhenis Siculos falso commutavit. Sed quoniam Oenotri interdum cum Pelasgis ultro citroque miscentur, idem hoc loco accidisse suspicor, hoc potissimum argumento ductus, quod Oenotri Siculique a nonnullis non solent discerni. Illud minus graviter ferrem si Pelasgi non, ut Myrsilus censuit, Aborigines, sed hostes eorum Siculos in bello adjuvisse dicerentur: tunc enim una cum ipsis Siculis Pelasgos quoque eorum socios ex Italia aufugisse crederem.

Ceterum ad propagandam hanc utramque opinionem, alteram Myrsili de Aboriginibus, alteram de Siculis Pausaniae, multum etiam valuisse puto oraculum quoddam, fictum illud quidem haud dubie, sed tamen et antiquum et notum jam antiquis, in qua Pelasgi Tyrrheni ad Siculos et Aborigines cursum dirigere suum jubentur: proinde quasi divina vox, quae ne reddita quidem esset unquam, sed ex tempore composita, eventum habere potuerit. Nos quidem haud dubitamus, quin Pelasgi ab Etruscis Italia expulsi sint: quod tametsi a nemine, quantum sciam, diserte proditum est, at non pauci ea dicunt,

non solent discerni] Hoc vel ex eis intelligas, quae Niebuhrius p. 54 contulit.

oraculum quoddam] Exstat apud Dionysium I, 19 fin. aliosque:

Στείχετε μαιόμενοι Σικελῶν
Σατόρνιον αἶαν,
Ἠδ' Ἀβοριγινέων κοτύλην,
οὗ νᾶσος ὀχεῖται·
Οἷς ἀναμιχθέντες κτλ.

Pausaniae error etiam alio modo explicari potest. Fortassis enim cum Siculis Pelasgos simpliciter confudit, errore hoc faciliore, quod eodem circiter tempore aut non multo secus illi in Siciliam, hi in Graeciam atque alio ex Italia fugisse dicerentur. Vide Dionys. c. 22 et c. 25 fin.

non pauci ea dicunt] Dionysius I, 20 fin. — *καὶ ἄλλαι τινὲς (πόλεις), ἃς ἀνὰ χρόνον ὑπὸ Τυῤῥηνῶν ἀφῃρέθησαν.* c. 25 init. — *διὰ τὴν μετὰ Τυῤῥηνῶν οἴκησιν.* c. 26 *οἱ δὲ τῶν ἐκλιπόντων τὴν χώραν Πελασγῶν κατασχόντες τὰς πόλεις ἄλλοι τε πολλοὶ ἦσαν, ὡς ἕκαστοί τισιν ἔτυχον ὁμοτέρμονας τὰς οἰκήσεις ἔχοντες, καὶ ἐν τοῖς μάλιστα πλείστας τε καὶ ἀρίστας Τυῤῥηνοί.* c. 28 Fama fuit, *τοῦτον (τὸν Τυῤῥηνὸν) ἀφικόμενον εἰς Ἰταλίαν ἐκβαλεῖν τοὺς Πελασγοὺς ἐκ τῶν πόλεων οὐχ ἁπα-*

ex quibus hoc totum necessario efficiatur. Atque haec memoria tam vetus et tot nixa auctoribus omnes prope expressas habet notas veritatis. Quomodo enim fieri posset, ut alii Etruscos originem a Pelasgis repetiisse dicerent, alii eosdem e Lydia usque derivarent, omnes denique Etruscos pariter ac Pelasgos communi nomine summoque consensu Tyrrhenos vocarent: nisi quidem Etrusci Pelasgos insequuti terram partim eandem incolerent? Quomodo autem sedes illas Etrusci occuparent, nisi prius colonum antiquiorem Pelasgum ejicerent? Multa hoc in loco tam libero ad disputandum fretus intelligentia Vestra praetereo: quae etiamsi a me nunc minus dicuntur, non idcirco tamen minus Vosmet ea Vobiscum reputabitis. Iam Tyrrhenorum nomen Pelasgis adjunctum, in quod imprudentes prope delapsi sumus, non diu profecto nos remorabitur. Hellanicus enim antea eos tantummodo Pelasgos appellari facit, deinceps vero Tyrrhenorum cognomen ab iis ex Italia demum reportari. Cujus sententia magis etiam amplificata, non illustrata modo Dionysius apud Graecos aliquando et Latinis et Umbris

σῶν, ἀλλ' ὅσαι πέραν ἦσαν τοῦ Τιβέριος ἐν τῷ βορείῳ μέρει. Hellanicus ibid. c. 28 καὶ ἐντεῦθεν ὁρμώμενοι (οἱ Πελασγοὶ) τὴν νῦν καλουμένην Τυρρηνίαν ἔκτισαν. De Agylla sive Caere Pelasgorum urbe capta ab Etruscis consentit Strabo V, p. 220. Taceo alia.

Hellanicus — Dionysius] Ap. Dionys. I, 28 Ἑλλάνικος δὲ Λέσβιος τοὺς Τυρρηνούς φησι, Πελασγοὺς πρότερον καλουμένους, ἐπειδὴ κατῴκησαν ἐν Ἰταλίᾳ, παραλαβεῖν ἣν ἔχουσι προσηγορίαν. Dionysius ibid. c. 29 ἦν γὰρ δὴ χρόνος, ὅτε καὶ Λατῖνοι καὶ Ὀμβρικοὶ καὶ Αὔσονες καὶ συχνοὶ ἄλλοι, Τυρρηνοὶ ὑφ' Ἑλλήνων ἐλέγοντο, τῆς διὰ μακροῦ τῶν ἐθνῶν οἰκήσεως ἀσαφῆ ποιούσης τοῦ πρόσω τὴν ἀκρίβειαν. τήν τε Ῥώμην αὐτὴν πολλοὶ τῶν συνγραφέων Τυρρηνίδα πόλιν εἶναι ὑπέλαβον. Hellanici sententiam jam supra exposui: hoc enim dicit, Pelasgos Tyrrhenorum cognomen post in Italia accepisse. Contra Myrsilus apud eundem Tyrrhenos in fuga demum Pelargorum (non, Pelasgorum) nomine augeri vult. Ex his Niebuhrius p. 45 apparere dicit, quo errore Etrusci in Pelasgos abierint, idemque stultitiae esse censet, ex opinionibus hujusmodi plane contrariis duplicem famam conficere. Sed magno-

et Ausonibus et aliis bene multis, pervagatissimo quodam errore nomen Tyrrhenis fuisse asseverat. Haud male forsitan Hellanicus: at Dionysio vehementer obstat ipsum illud Tyrrhenorum nomen, quod et proprie Etrusci jam antiquis temporibus, et apud omnes Pelasgi invenerunt. Verum Hellanico ita tantum adsentiemur, si forte Pelasgi cognomen ab Etrusco, expulsore suo, assumserunt; sin autem nostra conjectura standum est, ac si olim Pelasgi e Lydia erant profecti, nimirum vox Tyrrheni orta a Pelasgis in pristina Tyrrhenorum sede justo diutius remansit moxque ad omnem redundavit Etruriam. Ab Etruscis igitur pulsi ex Italia atque rejecti si non omnes, at magna tamen Pelasgorum caterva in Graeciam revertuntur. Prima, ut videtur, totius Graeciae regio, in quam delati aliquantum subsistere possent, Acarnania fuit. Deinde Pelasgi una cum Thracibus incursione in Boeotiam facta vincunt Cadmeos, victos in Thessaliam, praecipue vero Arnen, sese recipere cogunt. Multo post quum Cadmei patriae desiderio domum redissent com-

pere fallitur vir eximius. Primum enim scriptores illi de Etruscis ne cogitabant quidem, imo nihil aliud agebant, quam ut duplex nomen *Τυῤῥηνοὶ Πελασγοί*, satis illud mirum, commode explicarent. Deinde non unam hic famam habemus, sed omnino duplicem: Hellanicus enim de Pelasgorum adventu in Italia disserit, contra Myrsilus de reditu eorum ex Italia in Graeciam, adeo ut hi duumviri diversa planeque contraria afferre necessario debuerint. Et Hellanici quidem sententia certe multis jam antiquitus probata est, sicut ipsi Dionysio. Sic enim illi, neque id absurde censebant, Pelasgos ex Italia reversos Tyrrhenorum cognomen in Graecia accepisse, ut a cascis Pelasgis discerni possent, qui ex Asia olim, non ex Italia advenissent. Denique Myrsilo affirmanti, Pelargorum nomen recentius esse quam Tyrrhenorum universa favet antiquitas. Probe enim verba *Πελασγοὶ* et *Πελαργοὶ* distinguenda sunt. Quodsi Myrsilus pro Pelargis nominasset Pelasgos, suspicarer eum, ut ipse conjeci, Tyrrhenos Pelasgos e Lydia arcessere. Nunc Myrsilus ea docet, quae nemo quisquam negarit, multi prorsus confirment.

Acarnania fuit] Pausanias I, 28, 3. *ἢ Σικελοὺς τὸ ἐξ ἀρχῆς ὄντας Ἀκαρνανίαν μετοικῆσαι.*

Pelasgi una cum Thracibus —

missoque proelio rem egregie gessissent, Pelasgi magna clade accepta e Boeotia confugiunt Athenas. In Attica terra sub hac conditione recepti, si muro arcem circumdedissent, haud gravate illi quidem mandata exsequuntur, manu promta opus faciunt, aedificant: quo facto agri sub Hymetto publice iis assignantur. Verum enimvero Attica graves ob causas exacti in manifesto enim scelere homines ingrati, omittam flagitia eorum turpissima, deprehensi erant passim scilicet, ut facere solent, vagantur, mox Lemnum naves appellunt, proelium conserunt, Minyas expugnant omnique insula ejiciunt, ipsi Lemnum tenent obsessam. Ceterum longo post tempore Lemnus

confugiunt Athenas] V. Strabonem IX. p. 401.

Verum enimvero — Lemnum tenent obsessam] Minyas a Pelasgis T. Lemno expulsos esse Herodotus docet IV. 144. ubi v. Valckenarium. Tum Hecataeus ap. Herodot. VI, 137 omni culpa liberat Pelasgos, Athenienses reprehendit, qui opera Tyrrhenorum usi non solum in muro exstruendo, sed etiam in terra subigenda et omni modo excolenda dolo egerint malo fidemque illis datam fefellerint. Alia omnia Athenienses dicebant, filias suas atque etiam filios turpiter a Pelasgis constupratos esse postremo sibimet ipsis structas clanculum insidias, tempori tamen patefactas commemorabant. Nobis ipsorum Atheniensium sententia longe ad veritatem videtur propensior. Cum istis enim stupris alia Pelasgorum facinora conveniunt, raptus Atticarum mulierum, facta Lemni crudelissima caedes quum ipsarum, tum etiam omnium liberorum, quos ex iis susceperant. Nunquam autem ut Laconibus, sic etiam Atheniensibus peregrinorum exactio sive *ξενηλασία* vere objecta est. Quodsi satis certum esset, oraculum illud (*Ἄργος*) *τὸ Πελασγικὸν ἀργὸν ἄμεινον* (vide Thucydid. II, 17 et Polluc. VIII, 101.) ad insidias Pelasgorum spectare, quemadmodum et scholiasta Thucydidis et alii plerique sibi persuaserunt, rem haberemus confectam. Nunc id probabile magis, quam certum esse arbitror. Fieri enim potest, ut Athenienses, quod erant odio tyrannidis, eum locum diris devovendum putarent, quem ultimum Pisistratidae tuiti essent, atque ut haec omnis res ad memoriam tyrannorum penitus abolendam pertinuerit. Vide praeter alios Herodotum V, 64 fin. *Κλεομένης δὲ — ἐπολιόρκεέ τοὺς τυράννους, ἀπεργμένους ἐν τῷ Πελασγικῷ τείχεϊ*

a Miltiade fusis fugatisque Pelasgis, sub Atheniensium potestatem redacta est. Tum rursus Pelasgi, relicta Lemno, fuga salutem quaerentes, pars ad Hellespontum se contulerunt, alii ad litus illud Thraciae migrarunt, quae Acte a Graecis nominatur. Atque in his regionibus Pelasgi quidam Tyrrheni vel Herodoti atque Thucydidis aetate, tanquam ad testandos majorum suorum casus a Fortuna ipsa servati, resederunt. Sed Herodoti locus,

a Miltiade] Herodot. VI, 140. Memorabile est illud Cornelii Nepotis Miltiad. II, 5. *Cares*, qui tum Lemnum incolebant —. Nimirum Cyclades insulae olim a Caribus occupatae erant; hinc omnis error, antiquior ille tamen Cornelio.

Herodoti locus] I, 57. Nam Herodotus, me judice, ita scripserat: Ἥντινα δὲ γλῶσσαν ἵεσαν οἱ Πελασγοί, οὐκ ἔχω ἀτρεκέως εἰπεῖν· εἰ δὲ χρεὼν ἐστι τεκμαιρόμενον λέγειν τοῖσι νῦν ἔτι ἐοῦσι Πελασγῶν Τυρσηνῶν, τῶν ὑπὲρ Κρηστῶνα πόλιν οἰκεόντων (Codices et Edd. Πελασγῶν, τῶν ὑπὲρ Τυρσηνῶν Κρηστῶνὰ π. ο. Minus placet Πελασγῶν τῶν Τυρσηνῶν ὑπὲρ Κ.) οἱ ὅμουροί κοτε ἦσαν τοῖσι νῦν Δωριεῦσι καλεομένοισι· οἰκεον δὲ τηνικαῦτα γῆν τὴν νῦν Θεσσαλιῶτιν καλεομένην· καὶ τὴν Ἱλακίην τε καὶ Σκυλάκην Πελασγῶν οἰκισάντων ἐν Ἑλλησπόντῳ, οἳ σύνοικοι ἐγίνοντο Ἀθηναίοισι· καὶ ὅσα ἄλλα Πελασγικὰ ἐόντα πολίσματα τὸ οὔνομα μετέβαλε· εἰ τούτοισι τεκμαιρόμενον δεῖ λέγειν, ἦσαν οἱ Πελασγοὶ βάρβαρον γλῶσσαν ἱέντες κτέ. Deinceps οἱ Κρηστωνιῆται non sunt incolae ipsius oppidi, sed *accolae* Crestonis, qui supra eam habitabant Pelasgi Crestonici. Plenum nomen Πελασγῶν Τυρσηνῶν in Herodoto non magis offendit, quam apud Sophoclem, Thucydidem, alios. Jam vero hos Crestonis accolas Tyrsenos fuisse, non antiquiores Pelasgos et per se intelligitur (antiquiores enim jam Herodoti tempore prorsus in oblivionem abierant, neque amplius a quoquam poterant agnosci) et clare id testatur Thucydides, quem intelligendum est de eodem Thraciae loco atque Herodotum disserere. Quid quod ipse Herodotus de Tyrsenis P. sermonem esse vociferatur et clamat. Primum enim antea eos Thessaliam tenuisse contendit, tum eos conjungit cum ejusmodi Pelasgis, qui olim inter Athenienses habitarint, hoc est Tyrsenis (nam Ἀθηναῖοι — Πελασγοὶ — Κραναοὶ Herodot. 8, 44 huc omnino non pertinent) denique his alteros opponit Pelasgos, sive antiquiores (εἰ τοίνυν ἦν καὶ πᾶν τοιοῦτον τὸ Πελασγικόν—). Sed lectionem vulgarem depravatam esse, quotusquisque negabit?

tum a librariis unius trajectione verbi corruptus, tum antea jam a Dionysio errore incredibili paene obscuratus, doctorum hominum ingenia ducentos amplius annos vehementer exercet. Herodoti sententiam integritati suae restituti in latinum transferre nobis licebit. „Quanam lingua Pelasgi, inquit, locuti sint, certum haud satis scio; tamen si par est ex iis, qui etiamnum supersunt, Pelasgis Tyrsenis conjecturam capere, qui supra Crestonem oppidum habitant (olim vicini erant Doriensibus et tum Thessaliotin nostram incolebant); ac praeterea e Pelasgis Placiae atque Scylacae ad Hellespontum conditoribus, qui aliquando terram obtinuerunt cum Atheniensibus communem, si igitur vel ex his, vel ex aliis Pelas-

Nam neque Herodoti aetate in vicinia Etruscorum ullum fuisse hominem Pelasgum credibile est, et multo etiam minus, Pelasgum inter Etruscos latitantem ab Herodoto investigatum esse, postremo ecquis unquam de Crestone urbe supra Etruscos inaudivit? Nunc Dionysii errorem maximum sane consideremus. Is A. R. I c. 29 locum illum Herodoti sic affert, ut pro *Κρηστωνιῆται* legat *Κροτωνιᾶται*. Huic novae lectioni nihil quidquam tribuendum est. Omnes enim Codd. Herodoti, a quibus quidem totus ille locus non abest, primum *Κρηστῶνα* atque iterum *οἱ Κρηστωνιῆται* constantissime tuentur; neque haec vox ipsa per sese librarii potius manum refert, quam scriptoris. Porro autem Dionysii, viri alioquin egregii, quem a caecis quibusdam Thucydidis miratoribus justo acerbius et saepe magna injuria reprehensum nollem, quanta tamen vel in ipso Thucydide afferendo negligentia fuerit, quis nescit? Profecto toties in hoc genere labitur, ut suspicio sit, pessimis eum Thucydidis exemplaribus usum esse atque id ipsum negligenter. Quid, si hic Dionysii error *Κροτωνιᾶται* scribentis commodissime explicari potest? Nam primum quidem non ignorabat, etiam Crotonem urbem coloniamque Pelasgorum fuisse Tyrrhenorum (ipsum vide c. 20 et Hellanicum ibid. c. 28). Tum vero si in Herodoto vitium omnibus libris commune jam invenerat, *Πελασγῶν, τῶν ὑπὲρ Τυρσηνῶν Κρηστῶνα πόλιν οἰκεόντων*, idque ferri nullo modo posse animadverterat: criticam artem factitare debebat. Hoc igitur fecit legitque *Κρότωνα πόλιν*, in quo tamen erravit. Facile igitur Dionysius ita falli ac decipi poterat. Quanquam, vere dicam dormitabat, quum Crestoniatas Herodoti temere in

gorum oppidis, quae similiter nomen mutarunt, rationem concludere decet, Pelasgi barbara lingua utebantur.“ Et mox ibidem: „Namque nec Crestonici Pelasgi cum ulla parte hominum finitimorum lingua consentiunt, neque Placiani, sed proprium quendam sermonem ac suum retinent. Manifestum est igitur, eam sermonis formam, quam aliunde in has regiones attulerint, diligenter ab iis conservari.“ Postremo alteram Herodoti sententiam mire corroboravit Thucydides, qui in Acte Thraciae ad Atho montem et Pelasgos Tyrsenos reperiri docet eos quidem, qui Lemnum aliquando Athenasque incoluissent, et Crestonicum genus hominum in vicinia reponit, et

Crotoniatas mutaret. At enimvero criticam artem illis temporibus fere contemtam vel summi viri tum saepenumero infelicissime exercebant, velut grammatici Alexandrini longe plurimi. Ceterum de illo Herodoti loco egregie fallitur Niebuhrius p. 39 et 40. Enimvero is Dionysii *Κροτωνιᾶται* serio in Herodotum infert. At quibus tandem argumentis? Semel omnino vere (nam reliqua omnia nihili esse puto) Herodoti lectionem refellit, sed vulgatam, quam emendavi. De una re verbum adjicere placet. Niebuhrius ullam Thraciae urbem Crestonem fuisse omnino negat. Ego intelligere videor, duas adeo Crestones fuisse, alteram in interiore Thracia urbem amplam et copiosam, alteram parvum oppidum in Acte Thraciae. Nam qui tandem fuerunt Crestonaei apud Pindarum, Crestonii ap. Rhianum, Crestones ap. Hecataeum, nisi Crestonis urbis (non regionis) incolae? Et palam hanc rem confirmat praeter Herodotum etiam Stephanus Byzantius, Scholiasta Lycophronis, fortassis etiam alii. Verum et hanc Crestona a tot scriptoribus laudatam satis magnam urbem fuisse necesse est, et Herodoti Crestonem in Acte Thraciae sitam fuisse docet Thucydides. Qui quum Actes illius urbes paullo majores nominatim omnes commemoraret, nullius tamen Crestonis mentionem fecit. At silentio praetermisit oppida minora, *μικρὰ πολίσματα*, ut ipse appellat. Ergo tale oppidum minutum Creston fuit altera in Acte Thraciae. Thucydidis verba IV. 109 haec sunt: *τὸ δὲ πλεῖστον Πελασγικὸν, τῶν καὶ Λῆμνόν ποτε καὶ Ἀθήνας Τυρσηνῶν οἰκησάντων καὶ Βισαλτικὸν καὶ Κρηστωνικὸν καὶ Ἤδωνες· κατὰ δὲ μικρὰ πολίσματα οἰκοῦσι.* Thucydidis verba affert etiam Dionysius, sed loco satis alieno I c. 25. Quam vellem c. 29 demum ea attulisset!

totius plagae illius incolas per minuta oppida (qualis haud dubie fuit etiam Creston) dispersos habitare confirmat. Ut ista sermonis mei tristitia suavitate quadam condiatur, iis, quae supra diximus, haec praeterea in cumulum accedant. Pelasgos enim Tyrrhenos, illos scilicet Atticae terrae colonos, Aristophani comoediae scribendae occasionem dedisse, nondum a quoquam, nisi me forte fallit, audivistis; certe quidem philologi nostri hoc, quidquid est jocorum, penitus ignorant. Ac tamen eo, mihi credite, nihil certius excogitari potest. Hanc rem paullo altius repetere placet, ab ipso verbi *Πελασγὸς* veriloquio, in quo quidem eruendo Viri Docti jam diu, quod miserandum sit, laborant. At enim si vox ista ad barbaras ipsorum Pelasgorum referenda est, operam illam omnem vanam esse atque inanem apparet; sin vero, ut potius censeo, ex graeco ea fonte manavit, non potest tum quidem non ejusmodi gens declarari, quae *πλάζεται*, id est autem in orbe terrarum errat latissimeque vagatur. Pelasgi igitur non solum casci illi omnes ac singuli appellantur, verum etiam Tyrrheni longe plurimi, iis tantummodo exceptis, qui in Attica aliquamdiu commorati sunt. Hic enim, nullo fere ex tot auctoribus dissentiente, non sane ciconiae, ut multi iique partim jam veteres somniarunt, sed modo cretrica vulgati nominis forma subito Pelargi dicuntur. Et, quo id magis miremini, iidem et ante adventum suum, et postea Athenis vixdum relictis, in Pelasgorum gregem quasi postliminio recepti, Sigma illud suum recuperant: nisi quod rivalis literae in Boeotia tenue quoddam vestigium exstat, ita

rivalis literae in Bocotia] Vide Pausaniam IX, 25, 6. Quodsi hunc Pausaniae locum contuleris cum Strabone IX, 3 p. 401, in oculos incurret, Pelargen illam sacerdotem Boeotorum (quam Pelasgicam mulierem fuisse, docent Cabiri, docet ipsum mulieris nomen) ad numerum illorum Pelasgorum Tyrrhenorum referendam esse, qui e Boeotia in Atticam depulsi sunt. Uterque enim scriptor id accidisse tradit aliquanto post expeditionem Epigonorum (*μετὰ τὴν Ἐπιγόνων στρατείαν*); pulsos autem illos e

insidiosum istuc Rho e Boeotia dialecto simili Laconum cum ipsis Pelasgis in alienas possessiones Atticae irrupisse videatur. Ecce autem Princeps Comicorum aliquando fabulam docuit, cui nomen inscripserat *ΠΕΛΑΡΓΟΙ*. Hunc indicem non nimis perspicuum quum Viri Docti satis ridicule ciconias interpretati essent, Suevernius, ut aliquid tamen dixisse videretur, ciconiarum in parentes pietate, decantata illa quidem jam ante Aristotelis vel etiam Ciceronis aetatem, comoediae istius argumentum definivit. Quasi vero filiorum pietas erga parentes, argumentum nonnunquam tragico poëtae valde exoptatum, a comoediae indole, veteris praesertim, non longissime abhorreat. Invenit tamen hic quoque Suevernius, abs quo laudaretur. Haud felicius, veruntamen paullo, ut quidem videor, prudentius ego ipse alicubi suspicatus sum, *Πελαργοὺς* dici etiam eos potuisse, quorum pedes turpiter essent graciles, vel qui rubicundum nimis atque ciconiae rostro similem haberent nasum. Valebunt tales facetiae singulis in locis; ab universa tamen Aristophanis fabula removeantur. Itaque quoque te verteris, semper tamen revolveris eodem, semper tibi ita suadebis, ciconias non in eo volucrium genere esse ponendas, ut fabulam integram hoc argumento serere liceat. Nam si quis forte aves atque adeo capras advocabit, ut cum ciconiis in rem praesentem veniant, is

Boeotia in Atticam diserte testatur Strabo. Huc accedit aliud quiddam. Negat Niebuhrius p. 34, Boeotos Pelasgis adnumerari. Recte fortassis: si ita statuit, praeter eos Tyrrhenos, qui ex Acarnania profecti deinceps in Atticam se contulerunt, nullos unquam in Boeotorum terra exstitisse Pelasgos. Quo etiam certius Pelarge ad horum numerum revocanda est.

Suevernius] De Avv. Aristoph. p. 83 annot. 2.

Invenit tamen — laudaretur] G. Dindorfium Fragm. Aristoph. p. 166, qui: *probabiliter*, inquit, *conjecit*. Magnum est haec dicere virum tam paucorum omnino verborum.

alicubi] Emendatt. in Aristoph. Fragm. p. 6.

graecae comoediae indolem parum cognitam exploratamque habebit. Aves enim quos quam dulces cantus edant, auscultando percipimus; Ranae etiam Aristophanis quantopere strepitu ipso aures nostras permulceant, cum admiratione sentimus; Caprae Eupolidis quonam in campo exsultarint, facile possumus suspicari: ciconiae vero non video, cur nobis in perpetua comoedia obstrepant; omnino ranis vescuntur, serpentibus autem exitio sunt, sed quid postea? Quamobrem nihil aliud relinquitur, quam ut Pelargos non jam ciconias, sed certe homines, ne eos quidem infantes ciconiae rostro apportatos, sed adultam gentem et pervetustam, nostros plane Tyrrhenos, in Aristophane tandem aliquando agnoscamus. Ne ullus tamen dubitationis scrupulus in animis vestris resideat, patiemini, me nimia sedulitate abreptum vel ea nunc commemorare, quae unusquisque Vestrum melius, quam ego, doctiusque explicaverit. Caeteris igitur Pelasgis collegas eorum Pelargos, qui in Attica aliquando habitarunt, opportuniores comoediae multoque aptiores videri debuisse, quis non intelligit? Nam quum in omni Graecorum comoedia patriae res atque domesticae, non peregrinae, non longe remotae ad cavillandum sumantur, tum vero antiqua illa poësis, quam illustravit Aristophanes, nisi ob gravissimas causas, pedem Attica nunquam extulit. Huc accedit, ut sub Pelargorum veterum persona alii, qui tum vivebant, vel parasiti et tanquam mercenarii, vel nequam homines et improbi felicissime a poëta nostro exprimi potuerint. Nimirum illo die in theatro Attico novos quosdam Pelargos spectare liceret, credo aut conductas operas, quemadmodum vetustiores illi arcem muro cinxerant sociique jam antea servi fuerant Oenotrorum, aut, id quod mire placet, homunculos moribus feros, immanitate barbaros, sicuti Pherecrates, poëta nostro aequalis, Ἀγρίους dedit, praeclaram sine dubio comoediam atque divini Platonis laude nobilitatam. Quid, quod fragmenta Pelargorum, licet pauca nec satis ubique ad explicandum aperta, tamen huic utrique opinioni, et

maxime posteriori mirum in modum favent et patrocinantur. Equidem minimis in rebus saepe res haud ita parvas teneri posse animadverti, ut in hoc ipso dramate. Bis, semel apud Athenaeum, iterum apud Pollūcem Aristophanes ἐν Πελασγοῖς testis adhibetur, idque loco altero in optimis quibusque libris; neque eo magis tamen Viri Docti se commoverunt, quorum partim hanc alteram scripturam silentio praetereunt, partim istas, ut dixit Brunckius, librariorum sordes magnopere contemnunt. At vero ut Pelargos, quo nomine haec fabula a plerisque affertur, utrobique restitui debere concedam, illud tamen manebit, Πελασγοῖς verissimum glossema habendum esse hominum doctissimorum, qui neque πελαργὸν ciconiam in Pelasgum unquam convertissent, et rectius aliquanto, quam Brunckius totque alii totius dramatis sententiam assecuti essent. Praeterea vetus Graecia fabulis abundabat divinitus plane excogitatis; quibus videlicet iisdem tragici lacrimas excutiebant, comici autem movebant cachinnos. Horum porro mythorum eo genere, quod in confiniis quasi fabulae atque historiae positum est, Aristophanes quartam circiter partem omnium comoediarum explevit. Itaque quum in Pelargis quoque nostris eandem rationem valuisse nihil impediat, ac multa potius indicio argumentoque sint: hominibus aves ex tam incommoda sede depulsae, ciconiae Pelasgis Tyrrhenis locum concedent, et quoniam nunc quidem hiems est, hinc in calidiores terras nescio quas transvolabunt. De Pelasgis autem Tyrrhenis quid sentiam, etsi supra jam expositum est, hic tamen forsitan aliquis causas judicii istius paullo tristioris a me requiret. Magna eorum flagitia, quae tota Atheniensium civitas eis objecit, vel elevemus, vel denique ne credamus quidem; scelera ista nefaria, quibus se in Lemno insula obstrinxerunt,

quartam circiter partem] Has potissimum comoedias dico: Amphiaraum, Cocalum, Anagyrum, Daedalum, Danaides, Dramata sive Centaurum, Dramata sive Niobum, Heroas, Lemnias (Pelargos), Polyidum, Horas.

quando negare non possumus, obliviscamur: num vero etiam tantas clades, tot fugas atque errores, num vilissimas quasque operas, num servitia Pelasgorum vel Helotis recusanda tacebimus? Illud vero, quod de singulis hominibus crebro usurpatum est, suos cuique mores fingere fortunam, multo rectius certiusque in gentes cadit universas. Itaque non possum ego, quem natura haud sane asperum quendam, sed lenissimum esse voluit, tamen, Auditores, non possum fortunae temeritatem, ut Dionysio placet, accusare; improbitatem potius ipsorum, segnitiam, animum imbellem notemus. Enimvero quod nulla doctrinae studia, nulla prope significatio literarum in Tyrrhenis nostris apparent, quantum tandem detrimenti iis hac una re importatum censemus? Quid quaeritis, tubam invenerunt, qua non ad bellicam laudem, neque ad victoriam ab hoste reportandam usi sunt, sed ad praedandi libidinem quaestumque et ad omnes artes piratarum. Sed fuerint sane hi Lydi, quos putamus, omni reliqua Lydia molliores magisque effeminati, fuerint plagipatidae Phryges ac prorsus ultimi Mysorum: veruntamen nullus populus adeo corruptus est, ut ad virtutem adduci nullo pacto queat, nullus a Musis tam aversus, quin sapientum virorum ductu sensim paullatimque ad humanitatem defluat. Boni reges illis defuerunt, usque eo defuerunt, Auditores, ut ne unius quidem proferre nomen liceat, qui majore aliqua laude excelluerit, a quo denique rem ullam dignam memoria esse gestam accipiamus: nam Malaeotes quidem rex, nisi villam egregiam habuis-

Dionysio] I, 17 *ἐχρήσατο δὲ τύχαις δυσπότμοις, εἰς πολλὰ μὲν καὶ ἄλλα, μάλιστα δ' εἰς τὴν πολύπλανόν τε καὶ οὐδενὸς τόπου βέβαιον οἴκησιν.*

nulla doctrinae studia] Religio quidem sacrorum quin ab antiquioribus Pelasgis, minime Tyrrhenis profecta sit, dubitare non sinit Dodona.

tubam invenerunt] V. Stanlejum ad Aesch. Eumen. v. 570 et Lobeck. ad Ajac. v. 17.

artes piratarum] Hymnus VI in Bacchum v. 8 sqq., ne alia dicamus.

Malaeotes] Strabo V p. 226, a. *Ἀπὸ δὲ τῶν Κοσσῶν εἰς Ὠστίαν*

set, omnino eum vixisse Italiaque cum suis expulsum esse nesciremus. Quanto nos melius, qui primum ab illa barbaria tam longe absimus, ut eam vix percipere cogitatione nostra posse videamur; tum vero talem nobis Principem, tam sapientem, tam bonum, tam carum omnibus suis obtigisse laetemur. Hunc Principem ac Ducem nostrum quam vere amemus, quantopere hic inter nos uno ore consentiamus, hodiernus maxime dies, qui est FRIEDERICI FRANCISCI natalis, declarat, et gaudium illud animorum, quod vultu prodimus, palam testatur. Atque ex omnibus Principis nostri virtutibus, quae Vobis notissimae sunt, haud scio, an nulla major existimari debeat illo literarum amore, quem ab adolescentia susceptam, nullo intermissum tempore, nunc quoque retinet auctumque in dies confirmat. Literae enim non in foro tumultuantur, sed in otio et tranquillitate sese oblectant; non sub adspectum cadunt, non oculis cernuntur, aut tractari possunt manu, sed mentis acie suaque modestia paene insciae orbem terrae gubernant; non divitias opesve quaerunt, non regna concutiunt, nihil ipsae affectant, sed honesta paupertate, fama optimis artibus parta et conscientia recti, thesauro omnium pulcerrimo, contentae sunt. Diu floreat Megapolis nostra, studiis doctrinae multarumque virtutum choro stipata; vivat Princeps cultui non modo agrorum, verum etiam ingeniorum amicus, scholarum atque hujus Academiae verissimus patronus; eruditionis liberalis defensor et vindex; crescant literae talis Principis tutela et omnium judicio ornatae, atque arctissimo vinculo Principem cum civibus, cives cum Principe conjungant. Novam Megapolis in aliqua literarum parte gloriam acquisivit, Ille maxima quadam laetitia perfunditur: exortus est inter nos vir

παραπλέουσι πολίχνιά ἐστι Γραονίσκιον καὶ Πύργοι καὶ Ἅλσιον καὶ Φρεγηνία· — Ἐν δὲ τῷ μεταξὺ τόπος ἐστὶ καλούμενος Ῥηγισονίλλα· ἱστορεῖται δὲ γενέσθαι τοῦτο βασίλειον Μαλαιώτου Πελασγοῦ, ὃν φασι δυναστεύσαντα ἐν τοῖς τόποις μετὰ τῶν συνοίκων Πελασγῶν, ἀπελθεῖν ἐνθένδε εἰς Ἀθήνας.

ingenio et doctrina praestantissimus, totius patriae decus atque ornamentum, Ille primus virum laudat verbis, afficit honore, constanti gratia prosequitur: laborare aliquando literae videntur aut nimiae paupertati nescio quo modo indormire incipiunt, Ille opem fert afflictis, Ille tanta in eas beneficia confert, quanta exstare maxima possunt. Quamobrem etiam atque etiam vivat FRIEDERICUS FRANCISCUS; vivat propter Megapolitanos suos, quos paterno amore complectitur; vivat propter literas, quae unquam meliorem sibi patronum datum esse negant; vivat FRIEDERICUS FRANCISCUS sua ipsius causa, quem et natum esse ad patriam juvandam verissime dicimus, et a Deo O. M. tamdiu nobis conservatum ex animo gaudemus.

PELARGI ARISTOPHANIS.

Quoniam Pelargis Comici humanam speciem, quam nullo merito suo penitus amiserant, jam supra reddidi, nunc primo arcem hujus causae munire conabor, demonstraboque, Tyrrhenos, Atticae terrae aliquando hospites, Pelargorum nomine vocatos esse: cujus quidem usus exempla neque pauca et partim gravissima invenias. Exordiar autem a Myrsilo Lesbio ap. Dionys. A. R. I, 28 fin. *Μυρσίλος — τοὺς Τυῤῥηνούς φησιν, ἐπειδὴ τὴν ἑαυτῶν ἐξέλιπον, ἐν τῇ πλάνῃ μετονομασθῆναι Πελαργούς, τῶν ὀρνέων τοῖς καλουμένοις πελαργοῖς εἰκασθέντας, ὡς κατὰ ἀγέλας ἐφοίτων, εἴς τε τὴν Ἑλλάδα, καὶ τὴν βάρβαρον· καὶ τοῖς Ἀθηναίοις τὸ τεῖχος τὸ περὶ τὴν ἀκρόπολιν, τὸ Πελασγικὸν* (*Πελαργικὸν* Casaubonus; sed utraque forma erat usitata) *καλούμενον τούτους περιβαλεῖν.*, et ab incerto scriptore ap. Strabonem V p. 221 fin. 1) *καὶ οἱ τὴν Ἀττίδα συγγράψαντες* (optare licet vel Androtionem, vel Philochorum, vel Polemonem, et licet unum eorum pluresve) *ἱστοροῦσι περὶ τῶν Πελασγῶν, ὡς καὶ Ἀθήνῃσι γενομένων τῶν Πελασγῶν· διὰ δὲ τὸ πλανήτας εἶναι καὶ δίκην ὀρνέων ἐπιφοιτᾶν ἐφ᾽ οὓς ἔτυχε τόπους πελαργοὺς ὑπὸ τῶν Ἀττικῶν κληθῆναι.* Illud igitur mordicus teneo, quod et dictum ante est et a Strabone sine dubio

1) Praecedit apud Strabonem illud: *Ἀντικλείδης δὲ πρώτους φησὶν αὐτοὺς τὰ περὶ Λῆμνον καὶ Ἴμβρον κτίσαι* (Haec quidem falsa atque absurda sunt) *καὶ δὴ τούτων τινὰς καὶ μετὰ Τυῤῥήνου τοῦ Ἄτυος εἰς Ἰταλίαν συνᾶραι.* Hic certe miro quodam modo Pelasgi cum Tyrrheno consociantur.

confirmatum, a Myrsilo significatum obscurius, at significatum tamen, Athenis tantummodo eam maxime Tyrrhenorum partem, quae in Attica habitasset, nomen Pelargorum accepisse. Hanc sententiam neque Boeotia illa Pelarge ap. Pausan. IX, 25, 6., ut supra vidimus, labefactat, neque vero quidam Eustathii locus evertit, quem praeterire non debeo, ad Il. XVI, 233. p. 1057, 53. *τὸ δὲ Πελασγικὲ γράφεται καὶ Πελαργικέ· διότι ἐν τῷ τεμένει φασὶ τοῦ Δωδωναίου Διὸς λευκὸς λόφος ἦν οὕτω καλούμενος.* Nam si modo hic vera traduntur, potuit collis ille a Tyrrhenis sic vocari, qui, ut est apud Dionysium I, 18. e Thessalia primum Dodonen confugerant: neque enim cum antiquioribus Pelasgis litera Rho unquam communicatur.

Ceterum *Πελαργικὲ* in Homero certe est nihili; sed tamen novum habemus vestigium formae *Πελαργὸς* non ciconiae, sed hominis. Quidnam fuerit, cur illi praecipue Athenis Pelargi dicerentur, plures mihi causae in mentem veniunt, sed una omnium simplicissima, ut a Pelasgis vetustioribus, sive Cranais distingui possent, de quibus Herodotum vide VIII, 44. ibique Valckenarium. Etyma autem verbi *Πελασγὸς*, incredibile dictu est, quam multa quamque aliud vanius alio ingratus labor hominum doctorum pepererit. Graecum id nomen fuisse, quam Pelasgicum, potius existimo: etsi hoc alterum sequutus est Niebuhrius T. I. p. 32, quem miror linguam Pelasgorum non, uti debuit, barbaram dixisse, sed vix semibarbaram et graecae nescio quo modo persimilem. Sed nihil egerit, qui illud a Pelasgo rege, gentis, ut ajunt, auctore proficisci voluerit, quantumvis se Aeschyli Supplic. v. 251, Hellanici ap. Dionys. I, 28., Dionysii ipsius I, 17. atque etiam aliorum auctoritate tueatur: porro enim quaerendum sit, unde hoc nomen datum fuerit regi Pelasgo, quem ipsum ne fuisse quidem unquam arbitramur. Equidem hic iterum dico, Pelasgos nomen suum a verbo *πλάζομαι* videri duxisse, vel quod grammatica hanc opinionem valde adjuvat nominaque

πλάζεσθαι, πλασγὸς, πελασγὸς ordine ponit continuo, vel quod nemo melius, quam Pelasgi, a diuturnis erroribus erronei homines poterant appellari. Praeterea aliquantum nobis molestiae facessit litera eretriaca in altero nomine Tyrrhenorum, *Πελαργοί:* de qua re sic habeto. Si uterque *Πελαργὸς* pro uno eodemque vocabulo haberi debet, tum profecto non magis Pelasgi a ciconiis ita dicti sunt, quam a Pelasgis ciconiae: esset enim ridiculum, nomen totius gentis in quoddam avium genus mutari, aut contra, neque id ab uno homine praeter modum festivo, sed ab ductoribus bene multis, imo ab Atticis, ut credi oportet, universis.

Imo vero tum et Tyrrhenos et ciconias ab itineribus suis, quod abirent iidemque reverterentur, principio appellationem *Πελασγοὶ* invenisse necesse est: in qua tamen eretrica formatio, sive laconica, sive elea mox tantum valuerit, ut et ab Atheniensibus Tyrrheni, et ciconiae ab omnibus *Πελαργοὶ* dici solerent. Ceterum fieri omnino potest, ut *Πελαργὸς* Tyrrhenus et rursum *πελαργὸς* ciconia easdem plane literas, potestatem vero longe diversam habuerint, adeoque Tyrrheni soli istam vagandi notionem contineant. Huic explicationi partim subveniunt Lexicographi, qui omnes fere jam inde ab H. Stephano p. 2225 ed. Londin. ciconiam *παρὰ τὸ πελὸν καὶ τὸ ἀργόν,* quod pennas habeat albas et nigras, nominatam volunt. Hi tametsi veteres quosdam grammaticos imitati sunt, vincam tamen, eis Phrynichum Atticistam vehementer adversari. Jam diu interpretes majorem in modum hic locus exercet in Ecloga p. 109. ed. Lob. *Πελαργός: οἱ ἀμαθεῖς ἐκτείνουσι τὸ ᾰ, δέον συστέλλειν· πελαργὸς γὰρ οὐδὲν ἄλλ' ἢ Ἐρετριακῶς πελασγός.* Ut Nunnesii et Pauwii nugas taceam eosque omittam, qui, ut Lobeckius ille, sibi liquere negant, nuper fuit, qui satis leviter, quemadmodum solet, Phrynichum sic interpretaretur: „*πελαργὸς* ciconia brevi *α* efferendum est; nam *Πελᾱργὸς* per longum *ᾱ* nihil aliud est quam forma eretrica nominis *Πελασγός.*“ Ex quo homo iste conclu-

sit, gentem Pelasgorum ᾱ suum producere. Cedo, quo tandem modo verba *πελαργὸς γὰρ* explicare licet: nam *πελαργὸς* per longum ᾱ! quod Phrynichus si voluisset necessario ei scribendum esset, *πελαργὸς γὰρ διὰ μακροῦ τοῦ ᾱ:* nunc enim *πελαργὸς* idem prorsus vocabulum esse debet, quod ab initio hujus glossae legimus, *α* litera non longa, sed per naturam brevi. Deinde Phrynichus unice disputat de ciconia; at de Pelargo Tyrrheno tum certe ne cogitabat quidem. Nec leve est tertium opinionis istius vitium, quod post paullo attingam. Nisi illa glossa vitium fecisset, contraria eam ratione interpretari deberes, ita videlicet: „*πελαργὸς* ciconia *α* habet non longum natura, sed breve; haec enim vox *πελαργὸς* nihil est, nisi eretrica forma verbi *Πελασγός*. (Atqui *Πελασγὸς α* corripere, omnibus tonsoribus notum est)." At enimvero ob duas potissimum causas ne haec quidem explicatio ferenda est. Primum enim imperiti grammatici, qui ᾱ literam tam immodice extendebant, quamvis Phrynichus eos inscitiae coarguat, aliquid tamen secuti sint oportet, quod quale sit, nemo habebit dicere; quotusquisque enim finget, eos originem vocis in *πελὸς* et *ἀργὸς* fusco et *ignavo* quaesivisse! Praeterea quum reliqui grammatici atque Atticistae quaerere non solent, an aliqua syllaba, quam duae consonae longam reddiderint, etiam per se producatur, tum Phrynichus ab ejusmodi doctrina, utili illa quidem, sed perquam tamen subtili, omnium maxime abhorrebat. Verum enim certissimum est, scripsisse Phrynichum *ἐκτείνουσι τὸ Α* (non *τὸ Α*). Hoc dicit Atticista: „*Πελαργὸς* ciconia: imperiti homines male scribunt *Πελλαργός* (vocem istam ex *πελλὸς* atque *ἀργὸς* compositam esse temere opinati): nam *πελαργὸς* nihil est nisi eretrica formatio verbi *Πελασγὸς* (quis autem *Πελλασγὸς* dicere audeat?)." Hanc demum glossam et eruditione Phrynichi eximia, et magna simplicitate dignam esse judico. Omnino enim vocem *πελαργὸς* secundum grammaticos quosdam e *πελλὸς* et *ἀργὸς* in unum coaluisse, non solum illi ipsi declarant, quorum

vestigiis Lexicographi nostri institerunt (vide modo Etymologum p. 659, 8), sed etiam altera ciconiae scriptura *πελλαργὸς* declarat, quae haud ita raro in Codicibus reperitur. Quodsi iidem etymon istud sequuti Adjectivum *πελλὸς* per duplex λ scribendum esse putabant, constantiae ergo *πελλαργὸς* exarare plane cogebantur. At contra Phrynichus, qui hanc scripturam cum ipso etymo improbasset, *πελαργὸς* ciconiam a verbo *Πελασγὸς* nisi eretrica litera nihil differre statuebat. Et auxiliantur quodammodo principi Atticistarum tum grammatici nonnulli, tum etiam vetusti scriptores, veluti Myrsilus et nescio quis apud Strabonem, qui si non Pelasgum, at certe Pelargum Tyrrhenum eodem, quo ciconiam, verbo denotari putant. Si haec res mei fuerit arbitrii, non Phrynichum objurgatorem, sed grammaticos eo priores verum vidisse censeo, qui licet *πελλαργὸς* perperam finxerint 2) etymon tamen ipsi naturae conveniens proponunt: Phrynicho autem, cujus sententiam doctam esse et perutilem concedo, hoc magnopere obstat, quod ciconia nunquam eo nomine, quo tum proprie maximeque deberet, *πελασγός*, sed ubique eretrica litera *πελαργὸς* vocitata est. Quin nos Phrynichi praecepto sic utimur, ut id a ciconia ad Tyrrhenum transferamus: recte enim ita dixisset, *Πελαργὸς γὰρ ὁ Τυρρήνος οὐδὲν ἀλλ' ἢ Ἐρετριακῶς*

2) Tam enim dictum esse *πελὸς*, quam *πελλός*, satis constat idque vel unus Sophoclis versus demonstrabit in Amphiarao,

κυνὸς πελῆς δεῖ, μυκάδος ῥινῶν βοός.

Ita enim scribendum est. In Erotiano p. 306 ed. Fr. haec leguntur, — *καὶ ἐν Ἀμφιαράῳ φησί, κυνὸς πέλης* (*πέλλης* MS. D. *πέλλον* Eustath. et Junta, *πέλον* alii) *τετμηκάδος* (*τε Ἰμηκάδος* sic Foesius, haud dubie e Cod.) *βοὸς ῥινέων* (*ῥηνέων* MS. D. et quaedam exemplaria). Male Brunckius, *Κυνὸς πελῆς τε μηκάδος ῥινὸν βοός*. Amphiarao ad vaticinia, vel potius, ut opinor, alicui ad artes magicas opus erat cane fusca et mugientis bovis pelle. In ultimis verbis poëta alludere videtur ad boves Solis, Hom. Od. XII, 395. *εἶρπον μὲν ῥινοί, κρέα δ' ἀμφ' ὀβελοῖς ἐμεμύκει κτλ.* quem l. risit etiam Lucianus in Gallo c. 2.

Πελασγός. An erit quisquam, qui Pelargum Tyrrhenum, quem certo scimus Pelasgum fuisse, lubentius a ciconia, quam ab antiquo illo nomine gentis *Πελασγὸς* derivet? Video, Tyrrhenum et ciconiam literas habere communes praeterea autem nihil: contra Tyrrhenum et ipsum fuisse Pelasgum, et ortum a Pelargis, certum fixumque est; clamat enim historia. Quamobrem concedatur, aliud apud Graecos nomen fuisse *πελαργὸς* ciconia, aliud *Πελασγός*, sive leni mutatione facta *Πελαργός*. Quid enim ciconiae cum Pelargis fuit Tyrrhenis? Veteres quidem Graeci ita multum dicunt, ut ipsa opinionum varietate nihil a se expediri posse fateantur. Sed primum grammaticos audire lubet. Photius 407, 10 *Πελαργικόν*: *τὸ ὑπὸ τῶν τυράννων* (*Τυῤῥηνῶν*) *κατασκευασθὲν τῆς ἀκροπόλεως τεῖχος· τούτους γὰρ κληθῆναι πελαργούς, οἷον Πελασγούς, ὡς πλανήτας τινάς· ἢ ὅτι ἰδόντες αὐτοὺς πρῶτον οἱ Ἀθηναῖοι σινδόνας λαμπρὰς περιβεβλημένους, πελαργοῖς εἴκασαν.* Cum his conjunge illud Myrsili, *ὡς κατὰ ἀγέλας ἐφοίτων* et ignoti scriptoris apud Strabonem *καὶ δίκην ὀρνέων ἐπιφοιτᾶν ἐφ' οὓς ἔτυχε τόπους*, ut intelligas, falsas ciconias quatuor ad minimum diversis modis jam olim explicatas esse, quod late vagarentur, quod albam tunicam linteamque gestarent, quod gregatim iter facerent, quod, tanquam aves, ad primum quemque locum promiscue accederent. Ego si quidquam de his sumere cogerer, primam opinionem fortassis eligerem, ita tamen, ut supra dixi, emendatam. Secundam ut Hermanno probatam esse suspicer, movent me Lobeckii verba ad Phrynich. p. 759. „Pelargorum s. Pelasgorum nomen Hermannus a simplici adjectivo *ἀργός*, cujus alpha breve est, compositum putat."

Attamen haec explicatio, cui ne ipsi quidem grammatici multum tribuunt, nimis angusta mihi videtur, nec satis probabile fuerit, gentem Pelargorum ejusmodi vestimento indutam fuisse, ut aliquam ciconiarum similitudinem referrent. Adeo jam Graeci ipsi animis fluctuabant, non aliam ob causam, nisi quod populum in

ciconias conversum mirati essent. Quo magis nostrum est, Tyrrhenos vinculo ciconiarum, quae nimium quantum turbae dederunt, exsolutos in libertatem vindicare. Frustra enim dixero, Pelargos Aristophanis mente praeditos fuisse, si Tyrrheni homines a ciconiis avibus nihil discrepabunt. Cum Photio autem conferantur haec: *Λέξεις Ῥητορικαὶ* in Bekk. Anecd. p. 299, 16 *Πελαργικόν: τὸ ὑπὸ Τυρρηνῶν* (Cod. *Τυρρηνικῶν*) *κατασκευασθὲν τεῖχος, οὓς θεασάμενοι διὰ τὰς σινδόνας, ἃς ἐφόρουν, πελαργοὺς* (Cod. *πέλαργα*) *ὠνόμασαν.* Etymol. M. p. 659, 12. *Πελαργικόν: τὸ ὑπὸ Τυρρηνῶν κατασκαφὲν* (sic) *τεῖχος· οὓς καὶ θεασάμενοί τινες Πελαργοὺς ὠνόμασαν διὰ τὰς σινδόνας, ἃς ἐφόρουν.* Hesychius *Πελαργικόν: ἀντὶ τοῦ Πελασγικόν. Πελαργοὺς γάρ φασι τὴν Ἀττικὴν οἰκῆσαι· ἀπὸ τῶν Πελασγῶν μεταφέροντες ἐπὶ τὰ πτηνά.* Glossam illam *Πελαργικόν*, qua Photius, grammaticus Bekkeri, Etymologus et Hesychius utuntur, ex Aristophanis versu Avv. 836 fluxisse et antea statui, et nunc plane intelligo ex alio loco, quem amice mihi demonstravit Bachmannus meus, Vir Egregius, Eustathii ad Dionys. 3) Perieget. v. 347. — *ἔστι δὲ καὶ ἐν Ἀθήναις τεῖχος Πελαργικόν, ἤτοι Πελασγικόν, ὡς ὁ Κωμικὸς δηλοῖ ἐν τοῖς Ὄρνισιν οἷα τῶν Πελασγῶν, φασὶ, καλουμένων παρ' Ἀττικοῖς καὶ Πελαργῶν διὰ τὸ πλανητικόν· πλάνητες γὰρ ἦσαν διὰ πενίαν καὶ δίκην ὀρνέων ὅποι τύχοι ἐπεφοίτων.* Eustathium ex eodem, ut supra Strabonem, fonte partim hausisse dixeris.

3) Dionysii verba haec sunt:

Τυρσηνοὶ μὲν πρῶτ', ἐπὶ δέ σφισι φῦλα Πελασγῶν,
οἵ ποτε Κυλλήνηθεν ἐφ' ἑσπερίην ἅλα βάντες
αὐτόθι ναιήσαντο σὺν ἀνδράσι Τυρσηνοῖσιν.

Quemadmodum Oenotri a nonnullis inter Pelasgos numerati sunt, quos tum cascos sive antiquiores fuisse necesse est (tametsi Oenotros prorsus a Pelasgis segregare malo): sic etiam fuerunt, qui Evandri populum similiter ex Arcadia profectum ad Pelasgos, non tamen antiquiores, sed Tyrrhenos referrent. Cf. ad hos versus Eustathium, qui etiam de vicinia Pelasgorum Tyrsenorumque disseruit.

His alios locos aut grammaticorum, aut certe Scholiastarum adjici posse, non sum nescius, veluti Scholiastae ad Lucianum Bis Accusat. c. 9. — *καὶ τὸ ἀπ' ἐκείνου τὴν ὑπὸ τῇ ἀκροπόλει σπήλυγγα ταύτην ἀπολαβόμενος, οἰκεῖ* (sc. *ὁ Πὰν*) *μικρὸν ὑπὲρ τοῦ Πελασγικοῦ* — ubi Schol. *ὑπὸ τοῦ Πελασγικοῦ*] *τόπος Ἀθήνησιν ἀπὸ Πελασγῶν ἐν αὐτῷ οἰκησάντων. γράφεται* [f. add. *δὲ*] *καὶ διὰ τοῦ ρ'.* Idem Scholium ad Piscat. c. 42 legitur, ubi *γράφεται δὲ καὶ* scriptum est. Ceterum hi scholiographi non in codicibus Luciani *Πελαργικοῦ*, *Πελαργικὸν* repererunt, sed in universum monent, duplicem hujus vocis formam exstitisse. Nunc ad scriptores ipsos, qui Pelargos a Pelasgis differre negant, revertamur. Quis vero Pelargos Aristophanis, quinam qualesve fuerint, rectius demonstraverit ipso Aristophane? Tres potissimum ex hoc genere in Avibus fabula versus exstant, in quorum uno locus sub arce Athenarum *τὸ Πελαργικὸν* commemoratur, in altero Neptunus his verbis *ἄναξ Πελαργικὲ* invocatur, in tertio denique novae urbis moenia praeter alias aves etiam *Πελαργοὶ μυρίοι* una condidisse narrantur. Hic apparet et ciconiam a poëta admisceri, neque idcirco tamen *πελαργὸν* ciconiam et Tyrrhenum pro uno eodemque vocabulo haberi. Neque enim etymorum indagator fuit Aristophanes, sed poëta comicus, qui non dicam in iis verbis, quae eisdem literis continerentur, sed vel in istis, quorum exigua esset literarum similitudo, et soleret ludere, et rectissime posset, quum praesertim in Avibus, nisi simul ad ciconiam spectasset, omnis ei jocus tam urbanus necessario periret. Non minus falleretur, qui a poëta non duplicem pelargum potius, ciconiam Tyrrhenumque, quam Pelasgum et ciconiam (*Πελασγὸν — πελαργὸν*) in unum confundi existimaret. Non vanum quoddam verborum ludibrium quaeri potest, sed sales, digni Aristophanis ingenio, illo demum duplici pelargo efficiuntur, quem ex homine Pelargo in verissimam ciconiam mutari videmus; non semel hic risus excitatur, ut Pelasgi culpa tantum de lepore amitti liceat, sed tribus in locis hae

facetiae repetuntur, ne quis de eximio quodam joco maximeque perspicuo forte dubitet; postremo non Pelasgi simpliciter partem Atticae incoluerunt, sed illi et ab aliis incredibili consensu Pelargi vocantur, et ab ipso Comico, qui patrii scilicet Pelargi, non Pelasgi nescio cujus mentionem faciat necesse est. Itaque non magis per Aristophanem, quam per caeteros scriptores de nomine Pelargi Attici dubitare licet. Sed ad singulos Comici locos accedam.

Primum versu 836 sqq. haec leguntur:

Π. τίς δαὶ καθέξει τῆς πόλεως τὸ Πελαργικόν;
Ἔ. Ὄρνις ἀφ' ἡμιῶν τοῦ γένους τοῦ Περσικοῦ,
ὅσπερ λέγεται δεινότατος εἶναι πανταχοῦ
Ἄρεως νεοττός.
Εὐ. ὦ νεοττὲ δέσποτα·
ὡς δ' ὁ θεὸς ἐπιτήδειος οἰκεῖν ἐπὶ πετρῶν.

Vix credas, haec scribere potuisse Elmslejum ad Acharn. v. 105 „— vulgo inepte legitur *Πελαργικὸν* (scilicet pro *Πελασγικόν*)." Omittam, quod alii etiam permulti hanc formam *τὸ Πελαργικὸν* tuentur, id quod Elmslejum vel Meursius docere potuerat in Cecropia c. V extrem., allatus jam a Kustero Brunckioque: sed etiamsi caeteri omnes constanter *τὸ Πελασγικὸν* posuissent, quod est longe secus, vel sic tamen Aristophanem, qui ciconias simul immisceret, *τὸ Πελαργικὸν* sufficere debuisse in promtu est. Deinde ex h. l., nisi me fallit animus, cogitur planeque efficitur, Pelargicum murum et loca huic proxima certo cuidam deo sive Marti, sive alii ab Atheniensibus consecratum fuisse. Nam quum Nephelococcygiae ad exemplum institutaque Athenarum omnia componantur, et quum modo *Ἀθηνᾶ Πολιὰς* itidem recepta fuerit (v. 830 *τίς δαὶ θεὸς*
πολιοῦχος ἔσται; τῷ ξανοῦμεν τὸν πέπλον;
..τί δ' οὐχ Ἀθηναίαν ἐῶμεν Πολιάδα;): sequitur, ut primum versum ita exponere debeamus „quis igitur deus ut Athenis, sic etiam Nephelococcygiae tenebit arcis Pelargicum?" (*κατέχειν* enim crebro ponitur de deo loci

praeside, ut Nub. v. 563 et v. 593, et conveniunt cum his illa quoque, *ὦ νεοττὲ δέσποτα· ὡς δ' ὁ θεὸς*—). Jam deo attico plerique gallum arbitrantur a poëta substitui, quem et Persicam avem, et Martis pullum jure dici video; illud non video, cur gallum in rupibus habitare deceat. Sume pro gallo ciconiam; pulchre haec quidem in muro habitabit, at tum rursus in Persica avi Martisque pullo haeremus. Bene vetus scholiasta, *ἀλλὰ διὰ τί ἐπιτήδειος ἐπὶ πετρῶν οἰκεῖν, εἴπερ ἀλεκτρυών ἐστιν, εἰ μὴ τὸν πελαργὸν* [*λέγει*] *ἅμα παίζων καὶ πρὸς τὸ ὄνομα; ἀλλὰ διὰ τί Περσικὸν Ἄρεος νεοττός;* Nos jam olim in gallo acquiescendum esse putavimus, deinceps vero sic conjecimus, *Εὐελπ. ὦ νεοττὲ δέσποτα·*

πῶς δ' ὁ θεὸς ἐπιτήδειος οἰκεῖν ἐπὶ πετρῶν;

cll. vss. 833—835, ac ne nunc quidem valde poenitet hujus conjecturae. Supra tamen v. 276 gallus gallinaceus dicitur *ὄρνις ὀριβάτης*. Quid si olim mirum ingenium fuit Attici galli, sicuti hodie, teste magno quodam viro, galli est Gottingensis. Neque vero aliud Scholium praetereundum est, *τῆς πόλεως τὸ Πελαργικὸν*) *ὅτι Ἀθήνῃσι τὸ Πελαργικὸν τεῖχος ἐν τῇ ἀκροπόλει, οὗ μέμνηται Καλλίμαχος· Τυρσηνῶν τείχισμα Πελαργικόν.* Magna quaedam Brunckii fuit levitas haec scribentis: „Incoluerunt illi (Pelasgi) praeter alias multas regiones Tyrrheniam, unde saepe Tyrrheni vocantur. Hinc est, quod Callimachus *de quadam urbe* dixit, *Τυρσηνῶν τείχισμα Πελαργικόν.*“ Alio errore Niebuhrius H. R. I p. 47 annot. 13 et jam Valckenarius ad Herodot. VI, 137 Callimacho furtim substituunt *Πελασγικόν*. Quibus nisi tum occurrebat, Callimachum, mirificum doctrinae suae ostentatorem, doctiore forma *Πελαργικὸν* uti haud paullo maluisse, tamen aliud ejusdem Callimachi fragmentum meminisse debebant, dico autem CCCCLXXV (nam prius illud numero est CCLXXXIII.) *Σὺν δ' ἡμῖν ὁ Πελαργὸς ἀμοιρβεύεσκεν ἀλήτης.* Ceterum Blomfieldus, quin hoc fragmentum ex Hecale petitum sit, dubitari posse negat; Bachmannus autem meus ita consentit, ut etiam prius

illud fragmentum ad Hecalen lubens referat. Itaque etiam Callimachus Pelargos Atticae defendit. Pauciora verba locus requirit secundus, v. 871

ὦ Σουνιέρακε, χαῖρ' ἄναξ Πελαργικέ.

Ne hunc quidem locum interpretes satis recte explicarunt. Sic enim censent Scholiasta, Berglerus, Beckius, Vossius, *Πελαργικὲ* non modo ad v. *πελαργὸς ciconia*, sed etiam ad v. *Πέλασγος*, quod Neptunus maria gubernet, referendum esse. At hoc alterum *πέλαγος* a nostro l. alienissimum est. Quis non videat, ad Tyrrhenum Atticum etiam hic necessario alludi, neque omnino v. *Πελαργικέ*, nisi in duarum vocum ambiguitate versari posse. Itaque remoto verbo *πέλαγος*, quod in leviore soni similitudine jocum reddit frigidum, *Πελαργικὲ* hic, plane ut in reliquis locis, tum ad ciconiam, tum ad Pelargum Atticae revocabimus. Tantum recte Scholiasta, *Πελαργικὲ δὲ, ἀντὶ τοῦ Πελασγικέ. ἅμα δὲ ἴσως καὶ παρὰ τὸν πελαργόν*, modo ne addidisset, *καὶ ὅτι ὁ Ποσειδῶν πελάγους ἔφορος*. Quomodo igitur in Neptunum, *τὸν Σουνιάρατον*, hae praeces conveniunt, *χαῖρ' ἄναξ Πελαργικέ*? Equidem vel ex his solis verbis concludere ausim, a Pelasgis Tyrrhenis Neptunum eximie coli esse solitum. Sed alium testem multo locupletiorem dabo Dionysium Halic., qui quum disputet de Pelasgis Tyrrhenis, haec quoque moneat, I, c. 17. *ἡγοῦντο δὲ τῆς ἀποικίας Ἀχαιὸς καὶ Φθίος καὶ Πελασγὸς, οἱ Λαρίσσης καὶ Ποσειδῶνος υἱοί.* haec enim fabula Neptuni cultum clarissime ostendit. Neque vero Herodotus 4) II, 50 huic sententiae repugnat. Quamvis enim Graecos sacra Neptuni ab Afris accepisse dicat, a Pelasgis autem neget, non tamen de Tyrrhenis, sed de alteris Pelasgis longe

4) Ipsius Herodoti verba describam: *λέγω δὴ τὰ λέγουσι αὐτοὶ Αἰγύπτιοι· τῶν δὲ οὔ φασι θεῶν γινώσκειν τὰ οὐνόματα, οὗτοι δέ μοι δοκέουσι ὑπὸ Πελασγῶν ὀνομασθῆναι, πλὴν Ποσειδέωνος. τοῦτον δὲ τὸν θεὸν παρὰ Λιβύων ἐπύθοντο. οὐδαμοὶ γὰρ ἀπ' ἀρχῆς Ποσειδέωνος οὔνομα ἔκτηνται, εἰ μὴ Λίβυες· καὶ τιμέωσι τὸν θεὸν τοῦτον αἰεί.*

longeque antiquioribus loqui censendus est. Atqui et Dionysius et Aristophanes unice de Tyrrhenis Pelasgis mentionem faciunt, quorum aetate Neptuni sacra jam dudum in Graeciam translata erant. Unum ejusdem fabulae locum 5) restare video v. 1135 *ἕτεροι δ' ἐπλινθοφόρουν πελαργοὶ μυρίοι.* Sicuti in Athenarum muro exstruendo operam collocaverant Pelargi, sic in Nephelococcygiae moenibus aedificandis nonnullae partes sunt ciconiarum. Recte jam Scholiastae, *πελαργοὶ μυρίοι) διὰ τὸ Πελαργικὸν τεῖχος τοὺς ἀπὸ Τυρρηνίας ἥκοντας ἀναστῆσαι.* Ceterum nemo unus, quod miror, in hoc versu offendit ante Seidlerum. Is vero, ut refert Dindorfius, qui multum debet Seidlero, *ἐπλινθοποίουν* emendavit, ratus scripturam vulgarem propter versum 1145 tolerari nullo modo posse. Seidleri emendationem *ἐπλινθοποίουν* in tres editiones transfudit Dindorfius, in secundam anni 1825, in tertiam anni 1830, in quartam anni ejusdem 1830 omni festinatione properatam, ut plerasque etiam caeterorum. Scio, non omnia in Comicis ad vivum resecanda esse, sicut in hoc ipso loco, ubi lutum primo fulicae in pelvibus apportant, deinde vero in ore hirundines: veruntamen mihi quoque *ἐπλινθοφόρουν* ob illum alterum versum egregie displicet. Ceterum conjecturam *ἐπλινθοποίουν*, Dindorfii auctoritate jam in ultimas terrarum oras propagatam, pridem, ut puto, Seidlerus ipse retractavit. Nam primum duae res inter se simillimae v. 1135 *ἐπλινθοποίουν* et v. 1145 *ἐπλινθοφόρουν* perperam tanto intervallo sejunctae essent; deinde correctio ista justo est audacior; postremo haec insequuntur v. 1136 *ὕδωρ δ' ἐφόρουν*, v. 1138 *ἐπηλοφόρουν δ'* v. 1145 *ἐπλινθοφόρουν*, ut satis appareat, si tamen haec vox aliquod vitium contraxerit, primas ejus syllabas, minime vero ultimas immutari debere. Nos ita Aristophanem scripsisse

5) Neque enim ad nostram causam pertinet v. 1343 *ἐν ταῖς τῶν πελαργῶν κἰρβεσιν.*, in quo pro omnibus Atheniensibus piae commemorantur ciconiae.

arbitramur, ἕτεροι δ' ἐλιθοφόρουν π. μ. Considera, quid modo praecesserit, θεμελίους καταπεπωκνῖαι λίθους. Τούτους δ' ἐτύκιζον —. Grues igitur eos tantum lapides attulerant, quibus fundamenta muri ponerentur. Praeterea vero reliquos omnes lapides, quibus tum opus esset, apportarunt ciconiae vel πελαργοί. Constat autem, verbum atticum fuisse λιθοφορεῖν, quo Thucydides de exstructione muri usus est VI, 98., teste etiam Polluce VII, 118. Ac patet, facile ἐλιθοφόρουν hoc modo depravari potuisse, vel quod in vicinia, leguntur πλινθοφόρος v. 1130, et ipsum ἐπλινθοφόρουν v. 1145, vel quia proxime subsequitur verbum πελαργοί, ex quo saltem π litera nasci nullo negotio poterat. Nimirum permagni refert scire, utrum Pelargi Attici, qui certe muro arcem circumdederunt, lateres, an alios lapides usu necessarios apportasse dicantur. Jam supra demonstratum est, Pelargos eos, quibus totam fabulam Aristophanes inscripsit, in Tyrrhenorum numero, non in ciconiarum, ducendos esse. Tunc illud addidi, Pelargos Comici, qui proximi ad veterum Pelargorum similitudinem accedere debuissent, aut parasitos fuisse videri, qui mercede conducti domino locupleti inservirent, aut potius feros quosdam homines atque barbaros, dixique, ipsis fragmentis hanc utramque suspicionem corroborari, id quod e singulis locis etiam clarius elucebit. Nostra demum aetate intellectum est, quanta Fragmentorum in omni genere esset praestantia, quantus eorum splendor in verbis sententiisque, quanta denique eorum melius illustrandi etiam necessitas: quid enim aliud ex antiquitate ad nos pervenit, nisi Fragmenta quaedam et quasi mutilae divinorum operum particulae? Ipse adeo ostendisse videor exemplo Babyloniorum, Daetalensium, Thesmophoriazusarum II, argumentum deperditae comoediae licet omnes minimae ejus partes restitui nequeant, errore nullo inveniri posse usque eo, ut ex hujusmodi membris totus poeta, qui specie mortui vivat etiamnunc, certo in vitam revocetur: et scribam posthac majora alia ex iisdem literis

depromta. Sed idem temeritatis esse judico, paucissimarum reliquiarum ope saneque levium, quales sunt Pelargorum, universam Aristophaneae fabulae sententiam exponere: vera enim quaerimus, non ea, quae nunquam fuerunt, confingimus. Quare ego non solum a tam vano conatu absistam, verum etiam Brunckii Dindorfiique morem hic primum sequutus fragmenta omnia, ut rustici solent pecudes súas, numerabo.

I.

Scholiasta Platonis in MS. Clark. (nunc Bodlejano) ap. Bekker. p. 330 *Μέλητος δὲ τραγῳδίας φαῦλος ποιητής, Θρᾷξ γένος, ὡς Ἀριστοφάνης Βατράχοις Πελαργοῖς, Λαΐου υἱὸν αὐτὸν λέγων, ἐπεὶ ᾧ ἔτει οἱ Πελαργοὶ ἐδιδάσκοντο, καὶ ὁ Μέλητος Οἰδιποδείαν ἔθηκεν, ὡς Ἀριστοτέλης Διδασκαλίαις. ἐν δὲ Γεωργοῖς ὡς Καλλίαν περαίνοντος αὐτοῦ μέμνηται. μέμνηται αὐτοῦ καὶ Λυσίας ἐν Σωκράτους Ἀπολογίᾳ.* In his aliquid deesse, vel illa verba *Βατράχοις Πελαργοῖς* testantur, quae isto modo coacervari non poterant, neque id vitii interductu aliquo tollemus. Certissime vero res intelligitur e vocibus *Θρᾷξ γένος*, quas cum Ranarum loco v. 1298 *σκολιῶν Μελήτου* nemo conciliet. Hic enim breviter dixit A. de pessimis Meleti tragoediis, sed de Threïcia hominis origine ne verbum quidem. Quare initium Scholii ita corrigemus, *Μέλητος δὲ φαῦλος τραγῳδίας ποιητής, ὡς Ἀριστοφάνης Βατράχοις.* Atque id ipsum in Codice reperiri, totumque scholium a Thoma Gaisfordo paullo negligentius collatum esse docet me Porsoniana ejusdem Scholii descriptio Not. in Aristoph. (p. 125). Rectius forsitan Porsonus *ἦν ἀνθεμίωνος*, quam Gaisfordus *ἀνθεμίωνος ἦν*, sine dubio praestat Porsoni *φαῦλος τραγῳδίας*, quam Gaisfordi *τραγῳδίας φαῦλος*, denique illa verba *Θρᾷξ γένος* apud Porsonum omnino non leguntur. Neque Porsonus recte ea praeteriit, quae in codice antiquo exstare manifestum est (suspicor autem, in margine illa *Θρᾷξ γένος* adscripta esse), nec Gaisfordus

non male isto potissimum loco collocavit. Nam verbis *Θρᾷξ γένος* necessario ad id, quo certissime pertinent, ad Pelargos relatis Scholiastam ita fere loqui facio: *Μέλητος δὲ φαῦλος τραγῳδίας ποιητής, ὡς Ἀριστοφάνης Βατράχοις, Θρᾷξ γένος* [*ὡς ὁ αὐτός φησι*], *Πελαργοῖς, Λάϊον υἱὸν αὐτὸν λέγων, ἐπεὶ ᾧ ἔτει* —. Quam praeclare in Pelargorum maxime loco Meletus origine Thrax dicatur, statim videbimus. Nemini in opinionem veniat, Oedipodiam Meleti in aliud tempus rejicere: gravissimam enim *Διδασκαλιῶν* auctoritatem, libri aurei (ut fragmenta docent) et digni illo Aristotele, nunquam convellet. Sicuti olim Aeschylus tetralogiis suis potiusque trilogiis haud raro unum nomen dederat *Ὀρεστεία*, *Λυκουργία*, fortassis etiam *Ἀχιλλεία*: sicm ulto post Meletus trilogiam docuit *Οἰδιποδείαν* (recte enim Porsonus scribit *οἰδιποδείαν*, male Gaisfordus *οἰδιπόδειαν*), in qua omnes Oedipi miserias homo tragicus persequeretur. Porro trilogia ista secundum Aristotelem eodem anno, quo Pelargi, data erat. Meletus, ut ex verbis *ἐδιδάσκοντο* et *ἐθήκεν* colligo, primo vere sive Dionysiis magnis Oedipodiam dederat, Aristophanes auctumno ejusdem anni extremo, sive Lenaeis Pelargos docebat. Sed poëta in magna acerbitate facetissimus Meletum non modo propter Oedipodiam, quae non videtur magno plausu excepta esse, Laji filium appellavit, sed etiam hanc ob causam, ut puerorum amorem, in Agricolis palam Meleto objectum, hic iterum per integumenta dissimulationis in eodem notaret. Et hoc quidem primus monuit Meineckius Quaest. Scen. II p. 18, ubi: *Quo respiciens* (ad Laji amorem erga Chrysippum, de quo Athenaeus XIII, 602, f.) *ut videtur*, inquit, *Aristophanes in Pelargis Meletum tragicum, qui Calliam paedicare ferebatur, probri causa Laji filium appellavit, teste Schol. Platon.* — Athenaei verba l. l. apponam: *ἄλλοι δέ φασι τῶν τοιούτων ἐρώτων κατάρξασθαι Λάϊον ξενωθέντα παρὰ Πέλοπι καὶ ἐρασθέντα τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ Χρυσίππου, ὃν καὶ ἁρπάσαντα καὶ ἀναθέμενον εἰς ἅρμα εἰς Θήβας φυγεῖν.* Jam Matthiaeus in Fragmentis p. 119

Ciceronis memoriam neglexit hanc, Tusc. Quaest. IV, 33. aut non intelligit, quid *apud Euripidem* (haud dubie in Chrysippo) et loquatur et cupiat Lajus? Tu vide doctissime de re ista disputantem L. C. Valckenarium Diatrib. 23, b — 24, c. et, si tanti est, Schaeferi notulam ad Plutarch. T. V. p. 8. Ne vero mirere, Meletum in Pelargis et Laji filium, regis Thebanorum, et eundem Thracem nominari, cogitandum est, Aristophanem Orphei, Thracii poëtae, qui de inventione tam foedi amoris cum Lajo certabat, sine controversia rationem habuisse. Nam quis non de infelici funestoque amore, quo Orpheus Calain puerum deperisset, inaudivit vel ex illo Phanoclis fragmento ap. Stobaeum 64, 14 V. II p. 476 sqq. ed. Gaisf.? Inepte vero Scholiasta, *Θρᾷξ γένος ὡς — Πελαργοῖς*: e Comico enim, qui non est scriptor historicus, contrarium intelligitur. Ut A. eum Laji filium finxit duas ob causas, tum ut Oedipodiam rideret, tum ut nefandos ejus amores castigaret: sic etiam in eodem Thrace duplicem rem copulavit, flagitiosum amorem, quem dixi, et peregrinam originem civis inquilini, qui aut ipse, aut majores ejus undecunque demum (certe non e Thracia Orphei patria, non etiam Meleti) Athenas migrassent. Ac fuisse Meletum hominem inquilinum potius, quam justum civem atque legitimum, etiam ex initio Euthyphronis Platonici conjicias, ex his videlicet verbis: *ΕΥΘ. τίς οὗτος; Σω. Οὐδ' αὐτὸς πάνυ τι γιγνώσκω, ὦ Εὐθύφρον, τὸν ἄνδρα· νέος γάρ τίς μοι φαίνεται καὶ ἀγνώς. ὀνομάζουσι μέντοι αὐτόν, ὡς ἐγῷμαι, Μέλητον. ἔστι δὲ τὸν δῆμον Πιτθεύς, εἴ τιν' ἐν νῷ ἔχεις Πιτθέα Μέλητον, οἷον τετανότριχα καὶ οὐ πάνυ εὐγένειον, ἐπίγρυπον δέ. ΕΥΘ. οὐκ ἐννοῶ, ὦ Σώκρατες.* Platonis verba ob aliam quoque causam minime spernenda sunt. Identidem enim juvenis, ne dicam adolescens, dicitur Meletus; cf. ea quae sequuntur *νέον ὄντα — τοὺς ἡλικιώτας αὐτοῦ — ὥσπερ πρὸς μητέρα* et Apolog. Socrat. c. 13 *τηλικόσδε ὤν*. Atqui quo tempore data est fabula Pelargorum, jam confecerat Oedipodiam suam et malus poëta cognitus erat. Quocirca

necesse est, Pelargos saltem post condemnationem Socratis, sive post Olymp. 95, 1 datam esse. Omnino Meletus nunquam ab Aristophane, nisi in ultimis fabulis commemoratur, primum in Georgis, quo tempore eum oportet peradolescentem fuisse, deinde in Ranis, in Gerytade, in Pelargis. Dixi equidem, jam alio in loco, Pelargos in postremis Comici fabulis haud dubie censendos esse. Alia quaedam me praeter Meletum movebant, ut Patroclis mentio et Neoclidae, de quibus infra erit disserendi locus. Ceterum non erat, quod Meineckius l. l. in Scholiastae verbis pro ἔθηκεν καθῆκεν scribi vellet. Pervulgatum sane est illud καθιέναι δράματα, at etiam hoc alterum habent scholiastae, veluti ad Ran. 1055 (1060) διττὰς θέσεις, τουτέστι διδασκαλίας τῶν Περσῶν. (De hoc tamen l. l. Dindorfius in Addendis ad Scholia p. XIII „Certissimam Casauboni emendationem confirmat meorum MSS. unius lectio καταθέσεις: hoc enim est καθέσεις.“), in argumento Pacis Veneto p. 244 Bekk. τὸ δρᾶμα τέθεικεν, ubi Dindorfius καθεῖκεν requirebat. Contra in Schol. ad Lysistr. 1094 τῆς καταθέσεως τούτου τοῦ δράματος lege cum Hemsterhusio καθέσεως. Ut ἀγῶνα τιθέναι significat certamen cum praemio conjunctum proponere (Xenoph. Memorab. III, 12, 1. Anab. I, 2, 10), ita δρᾶμα τιθέναι declarat fabulam committere, praemio proposito. Nihil enim huc attinent θέσεις placita philosophi (Athen. IV, 130, d. VII, 280, a.). Hoc igitur fragmento quaedam immanitas morum expressa est. Namque libido ista, a Lajo Orpheove repeti solita Graecis veteribus, qui vulgo nimium tanta infamia flagrant, usque eo fera videbatur, ut paedicones tanquam usitato nomine Λαΐους vocitarent, cujus usus exempla Aristophanis, Aeschinis multorumque grammaticorum intpp. ad Nubes v. 348 collegerunt. Adde, quem affert Dindorfius, Wyttenbachium ad Platonis Phaedon. p. 207. Quoniam autem longe plurimis comoediis nomen a Choro impositum est, opinemur sane etiam hic Chorum e Pelargis constitisse, id est e pessimis fortasse hominibus, quorum

alius alii vitio, sed omnes magno, ut Meletus puerorum amori deditus esset.

II.

Scholiasta ad Vespas v. 1277 (1231) Ἀδμήτου λόγον) καὶ τοῦτο ἀρχὴ σκολίου. ἑξῆς δέ ἐστι· τῶν δειλῶν ἀπέχου ποιοῦσ᾽ (πίουσ᾽ Cod. Ven.) ὅτι δειλῶν ὀλίγα χάρις. *Καὶ ἐν Πελαργοῖς·*

Ὁ μὲν ᾖδεν Ἀδμήτου λόγον πρὸς μυῤῥίνην·
ὁ δ᾽ αὐτὸν ἠνάγκαζεν Ἁρμοδίου μέλος.

Scolia, quae in conviviis cani solebant, non unum efficiebant versum, sed plures ex eodem metri genere compositos. Jam alius conviva primum versum docantabat, alius secundum et sic porro, idque Graeci τὰ σκόλια δέχεσθαι (Vesp. 1222. 1223. 1225 al.) nuncupabant. Qui multa hujusmodi scolia protulit Athenaeus XV, 694, c. sqq., is quantum sua aetate posset, tantum fortasse collegit; non tamen illi ultra particulas carminum integrorum progredi licuisse, facile est ad demonstrandum. Sexto loco Athenaeus hoc Scolium posuit,

Εἴθ᾽ ἐξῆν ὁποῖός τις ἦν ἕκαστος
τὸ στῆθος διελόντ᾽, ἔπειτα τὸν νοῦν
ἐσιδόντα, κλείσαντα πάλιν,
ἄνδρα φίλον νομίζειν ἀδόλῳ φρενί.

eo metro scriptum, quo pleraque etiam alia,

$\acute{-}\ v\ \acute{-}\ v\ v\ -\ |\ v\ \acute{-}\ v\ -\ \overset{-}{v}$

$\acute{-}\ v\ \acute{-}\ v\ v\ -\ |\ v\ \acute{-}\ v\ -\ \overset{-}{v}$

$v\ v\ \acute{-}\ v\ -\ |\ \acute{-}\ v\ v\ \overset{v}{-}$

$\acute{-}\ v\ v\ -\ v\ -\ |\ \acute{-}\ v\ v\ -\ v\ \overset{v}{-}$

Nunc comparet mihi aliquis hujus ipsius scolii parodiam ap. Arist. Ecclesiaz. 969 sqq.

Νεανίας.

Εἶθ' ἐξῆν παρὰ τῇ νέᾳ καθεύδειν,
καὶ μὴ 'δει πρότερον διασποδῆσαι
ἀνάσιμον ἢ πρεσβυτέραν·
οὐ γὰρ ἀνασχετὸν τοῦτό γ' ἐλευθέρῳ.

Γραῦς α'.

Οἰμώζων ἄρα νὴ Δία σποδήσεις·
οὐ γὰρ ταπὶ Χαριξένης τάδ' ἐστίν.
κατὰ τὸν νόμον ταῦτα ποιεῖν
ἔστι δίκαιον, εἰ δημοκρατούμεθα.

E versu secundo, quem anus quasi aliquam antistropham recinit, satis apparet, initium tantummodo scolii apud Athenaeum exstare, idque totum si non plures, certe duas olim strophas habuisse. Scolium in Harmodii honorem scriptum vulgo ob Athenaei auctoritatem putant quatuor Stropharum fuisse: sed ne id quidem aut plene noverat Athenaeus, aut quantum ejus nosset, recte disposuit. Ac primum quidem hoc carmen ab eo versu incipiebat, qui apud Athenaeum secundus est, *Φίλταθ' Ἁρμόδι', οὔ τί που τέθνηκας.* Hoc enim prodit Scholiasta ad Acharn. v. 990 (977) — *μέλος Ἁρμοδίου καλούμενον, οὗ ἡ ἀρχή· φίλτατε Ἁρμόδιε, οὔ τί που τέθνηκας*, bene congruit ordo sententiarum, omnem denique dubitationem tollunt nomina hujus carminis Ἁρμόδιος (Acharn. l. l. τὸν Ἁρμόδιον ᾄσεται) Ἁρμοδίου μέλος, sive etiam jocosum *Τὰ φίλταθ' Ἁρμοδίου* (Ibidem v. 1058), quae ab ipso carminis initio *Φίλταθ' Ἁρμόδι', οὔ* — imposita sunt, quemadmodum alii scolio ob prima ejus verba nomen datum erat Ἀδμήτου λόγον. Praeterea primam tertiamque strophan sive scolia ι' et ιβ' jam Aristophanem cognitas habuisse, docent intpp. e Lysistrata v. 632. Sed partem illius scolii Athenaeum penitus fugisse, ex alio Aristophanis loco evincam, Vesp. v. 1226, ubi ita loquitur:

Βδε. *ἐγὼ εἴσομαι· καὶ δὴ γάρ εἰμ' ἐγὼ Κλέων,*
ᾄδω δὲ πρῶτος Ἁρμοδίου· δέξει δὲ σύ.

Οὐδεὶς πώποτ' ἀνὴρ ἔγενετ' Ἀθηναῖος
Φιλ. Οὐχ οὕτω γε πανοῦργος κλέπτης.

Ita quidem libri, quod sciam, omnes, sed vitiose, ut vel e metro intelligitur. Male Elmslejus ad Acharn. v. 990 „Allusio ad scolion deperditum. Illud fortasse fuit, cujus initium legitur Vesp. 1226 *οὐδεὶς πώποτ' ἀνὴρ ἐγένετ' Ἀθηναῖος.* Malim *γένετ' ἔν γ' Ἀθήναις.*" Neque deperditum est scolium *Ἁρμόδιος,* neque initium ullius scolii in Vespis legitur, neque Anapaestus *γένετ' ἔν γ'* metro respondet. Bentlejus autem dicitur *ἔγεντ'* Aoristo syncop. conjecisse ac deinceps ante *κλέπτης* verba *ὡς σὺ* addidisse; praeclare haec omnia Vir Summus. Namque Aristophanes in parodia scripserat,

Οὐδεὶς πώποτ' ἀνὴρ ἔγεντ' Ἀθήναις
Φιλ. Οὐχ οὕτω γε πανοῦργος, ὡς σύ, κλέπτης.

Callistratus vero, inventor scolii *Ἁρμόδιος* 6), tali fere modo cecinerat,

Οὐδεὶς πώποτ' ἀνὴρ ἔγεντ' Ἀθήναις
Οὐχ οὕτω γε [πόλει καλὸς πολίτης].

Nam si haec omnia ementitus esset Aristophanes, lepores hujus loci funditus perirent: nunc verissimum esse debet id quod Bdelycleo filius profitetur, *ᾄδω δὲ πρῶτος Ἁρμοδίου.* Optime jam Scholiasta, *οὐδὲν δὲ τοῦτο πρὸς τὸ ἐξῆς τοῦ σκολίου, ἀλλ' εἰς τὸν δῆθεν λέγοντα Κλέωνα αἰνίττεται.* Atqui horum versiculorum in Athenaeo certe nec vola est, nec vestigium. Sed Harmodii carmen, licet in integrum restitui nequeat, melius tamen, quam Athenaeus, componere studebo:

Στροφὴ α' (Athenaeus II sive *ια'*)
Φίλταθ' Ἁρμόδι', οὔ τί που τέθνηκας·
νήσοις δ' ἐν μακάρων σέ φασιν εἶναι,
ἵνα περ ποδώκης Ἀχιλεύς,
Τυδείδην τέ φασιν Διομήδεα.

6) Hesychius *Ἁρμοδίου μέλος: τὸ ἐπὶ Ἁρμοδίῳ ποιηθὲν σκολιὸν ὑπὸ Καλλιστράτου οὕτως ἔλεγον.*

Ἀντιστρ. α'

Οὐδεὶς πώποτ' ἀνὴρ ἔγεντ' Ἀθήναις
Οὐχ οὕτω γε [*πόλει καλὸς πολίτης*]

Desunt versus duo.

Στροφ. β' (Ath. I sive *ι'*)

Ἐν μύρτου κλαδὶ τὸ ξίφος φορήσω,
ὥσπερ Ἁρμόδιος κ' Ἀριστογείτων,
ὅτε τὸν τύραννον κτανέτην,
ἰσονόμους τ' Ἀθήνας ἐποιησάτην.

Ἀντιστρ. β' (Ath. III sive *ιβ'*)

Ἐν μύρτου κλαδὶ τὸ ξίφος φορήσω,
ὥσπερ Ἁρμόδιος κ' Ἀριστογείτων,
ὅτ' Ἀθηναίης ἐν θυσίαις
ἄνδρα τύραννον Ἵππαρχον ἐκαινέτην.

Deest stropha tertia.

Ἀντιστρ. γ' (Ath. IV sive *ιγ'*)

Ἀεὶ σφῷν κλέος ἔσσεται κατ' αἶαν,
φίλταθ' Ἁρμόδιος κ' Ἀριστογείτων,
ὅτι τὸν τύραννον κτανέτην,
ἰσονόμους τ' Ἀθήνας ἐποιησάτην.

De altero scolio *Ἁδμήτου λόγον* nolo jam pluribus, sed breviter absolvam. Duos ex eo versus afferunt Athenaeus l. l. et Eustathius p. 326 ed. Rom., priorem versum Comicus Vesp 1238, posteriorem Scholiasta. *Τοὺς ἀγαθοὺς φίλει*] sic Aristophanes, Eustathius et vulgo etiam Athenaeus, qui tamen, recte monente Schweighaeusero, scripserat *τοὺς ἀγαθοὺς σέβου:* nam Codices Venetus ac Laurentianus consociant *φίλει σέβου*, Epitome autem *φίλους σέβου*. Haud multum erraverit, qui *φίλει* tribuet Aristophani, in quo tam necessarium est *φίλει*, quam hoc alterum esset absurdum, contra *σέβου* primo hujus carminis auctori. Versu 2 male Schol. Aristoph. om. *δ'* et praebet *ποιοῦσ'* vel *πίουσ'* pro *γνούς*. Ibid. *Δειλοῖς*]. Ita Athenaeus. Et hoc praestare videtur alteri *δειλῶν* in Scholiasta et Eustathio vel quia exquisitior

est Dativus, vel quod δειλῶν e praecedentibus nasci facile potuit. Postremo ὀλίγῃ Athenaeus, sed ὀλίγα dorice et scholiasta et Eustathius. Cave vero existimes, scolium istud ab Athenaeo omne servatum esse. Praeterquam enim quod scolia pluribus semper Strophis, non una constabant, Eustathius duobus versibus, quos habet etiam Athenaeus, plane haec verba praeposuit: ἀρχὴ δὲ τοῦ μέλους αὕτη. Eustathio non solum propterea fides habenda est, quod de principio scolii Scholiasta ad Vespas consentit, sed magis etiam idcirco quod Episcopus illa non domo petiit, sed e Pausaniae Lexico transcripsit. Nescio equidem an secundam stropham nobis Athenaeus ipse suppeditet. Nam sive tu argumentum spectaveris, sive etiam metrum et hos Choriambos.

— ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ —

— ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ —

egregie conspirabit Scolium κέ. Licet igitur hariolando haec ita conflare

Στροφή.

Ἀδμήτου λόγον ὦ ταῖρε μαθὼν τοὺς ἀγαθοὺς σέβου,
τῶν δειλῶν δ' ἀπέχου, γνοὺς ὅτι δειλοῖς ὀλίγη χάρις.

Ἀντιστρ.

Ὅστις ἄνδρα φίλον μὴ προδίδωσιν, μεγάλην ἔχει
τιμὰν ἔν τε βροτοῖς ἔν τε θεοῖσιν κατ' ἐμὸν νόον.

De poëta scolii Ἀδμήτου λόγον licet incertus haereat apud Eustathium Pausanias fluctuetque inter Alcaeum, Sappho et Praxillam Sicyoniam: tamen Scholiastae ad Vespas ita loquenti, ut testes solent oculati, demonstrata etiam sede hujus scolii sine dubio credemus. Τοῦτο οἱ μὲν Ἀλκαίου, inquit, οἱ δὲ Σαπφοῦς· οὐκ ἔστι δέ, ἀλλ' ἐν τοῖς Πραξίλλης φέρεται Παροινίοις. Hujus Praxillae scolia vel viris admirationi fuerunt Athenaeo teste XV, 694, a. Confer quae diximus ad Thesmoph. v. 530. Versus autem Pelargorum proprie ita convertendi sunt: *Is canebat scolium de Admeto manu teneus ramum myrti, alter vero eum*

cogebat Harmodium cantare. Illud quidem clarissime patet, aliquem e convivio reversum haec narrare de uno convivarum. De caetero suspicamur, artis fuisse longe minoris, scolium Admeti canere, quam nobile illud Harmodii, atque unum convivam, qui Harmodium ingratiis citaret, malum fuisse cantorem. Sic enim censeo, ramum myrteum in conviviis malo fere cantori in manus traditum esse, qui propter inscitiam cantu facile excideret, nisi certo intervallo numeros modosque musicos notasset. In hanc enim sententiam non solum Pelargorum fragmento adducor, verum etiam illo Nubium loco v. 1360 *πρῶτον μὲν αὐτὸν τὴν λύραν λαβόντ' ἐγὼ 'κέλευσα ᾄσαι Σιμωνίδου μέλος.* atque v. 1368 *ἔπειτα δ' ἐκέλευσ' αὐτὸν ἀλλὰ* (at certe) *μυρρίνην λαβόντα τῶν Αἰσχύλου λέξαι τί μοι.* Ita vero jam Alexandrinis quibusdam visum esse, Scholiasta ad Vespas l. l. his verbis confirmat: *οἱ δέ φασιν, ὡς ἔθος ἦν, τὸν μὴ δυνάμενον ἐν τοῖς συμποσίοις ᾄσαι, δάφνης κλῶνα ἢ μυρρίνης λαβόντα πρὸς τοῦτον ᾄδειν.* Ceterum ad tibiam Admeti carmen cantatum esse, Cratinus in Chironibus declarat, *Κλειταγόρας ᾄδειν, ὅταν Ἀδμήτου μέλος αὐλῇ.* Erat autem minoris negotii, tibia canere vel ad tibiam, quam vel pulsare citharam, vel cantando sequi. Et certe ad lyram pleraque scolia cantata esse nemo ignorat. Postremo non possum, quin elegantem Brunckii animadversionem P. Burmannum ingeniose ridentis hic iterum lectori ob oculos ponam 7).

---

7) „Insignis fatuus fuit Desid. Erasmus, quem doctas agentem nugas vide in Adagiorum opere alioquin haut illaudato, Chil. II cent. VI. 21 in proverbio *Canere ad Myrtum.* Non minus ineptiunt veteres Critici cum alibi, tum in scholiorum loco, unde prolatum fuit hoc fragmentum, et ad Nubes 1364. Ista longe melius intellexit P. Burmannus, cujus doctam et elegantem praefationem serius quam oportuerat, legi. Monet ibi peritissimus ille Graecarum venustatum judex *Μυρρίνην scribendum cum litera majori; nomen enim esse celebris apud Graecos meretricis.* Estque certum in isto *Pelargorum* loco ejusdem illius meretricis Comicum meminisse. Nam in Scholiis

Dobreus Not. in Aristoph. p. 244 „*ΠΕΛΑΡΓΟΙ* fr. 8 *Brunckius Addend* p. 167. *Insignis fatuus fuit Desid. Erasmus.* Porsonus, Insignis fatuus est Heynius, qui quae hic joco dixit Brunckius, serio refellenda suscipit ad Apollodor. Addend. p. 1400 ad I. 9, 9. not. p. 170.“ Insignis fatuus fuit etiam Suevernius, quum haec literis mandaret, Ueber Ariſtoph. Wolken p. 28 annot. 2. „Was Brunck (Addend. ad Aristoph. fragm. p. 168) nach Burmann behauptet, daß überall, wo *πρὸς μυῤῥίνην* in dieſer Verbindung vorkäme, die mit zu Tiſch ſitzende Buhlerin *Μυῤῥίνη* zu verſtehn ſey, könnte als Anſpielung in einzelnen Stellen Statt finden, aber in der Stelle der Wolken hat Ariſtophanes dieſe gewiß nicht im Sinn gehabt.“

III.

Excerpta ex Herodiano ap. Piersonum ad Moer. p. 462 *Σημεῖον λέγοντες σημειοῦσθαι οὐ λέγομεν, ἀλλ' ἀποσημαίνεσθαι, ὡς Ἀριστοφάνης ἐν Πελαργοῖς·*

ἀπεσήμηνάμην
τὰς τῶν κακούργων οἰκίας.

Plane haec repetiit Thomas Magister p. 791 ed. Bernard., sive p. 337 ed. Ritschl., apud quem *Πελάργοις* habent edd. Veneta et Parisina, *Πελλαργοῖς* vero codex Basileensis.

---

ad *Pluti* v. 149. ubi recensentur nobiles aliquot Corinthiae meretrices, pro mendoso *Πυῤῥίνη*, verum nomen restituit Hemsterhusius *Μυῤῥίνη*. Ergo ubicumque occurrit convivantium mentio *πρὸς μυῤῥίνην* canentium, intelligendum est eos meretricem illam accubuisse, et illi cantilenam cantasse. Si mihi prius innotuisset egregia illa observatio, Bergleri correxissem versionem in *Nubium* loco modo citato: *ἔπειτα δ' ἐκέλευσ' αὐτὸν, ἀλλὰ μυῤῥίνην λαβόντα τῶν Αἰσχύλου λέξαι τί μοι.* Ad eum locum Scholiastes: *οἵ τε γὰρ ᾄδοντες ἐν τοῖς συμποσίοις ἐκ παλαιᾶς τινος παραδόσεως κλῶνα δάφνης ἢ μυῤῥίνης λαβόντες ᾄδουσιν.* Sunt ibi meretricum nomina *Δάφνη* et *Μυῤῥίνη*. Per *κλῶνα* autem intelligere possis, quod Philocleo in *Vespis* 1377. appellat *ὄζον τῆς δαδὸς ἐξέχοντα.*“

Hic igitur librarius Ciconias Aristophanis, sancte testatur. Quo spectent verba interlocutoris: *Obsignavi domos hominum sceleratorum*, non liquet; etsi fieri potest, ut hi improbi homines ipsi dicantur Pelargi. Ut ἀποσημαίνομαι significat *obsigno* (ich verſiegele), ita ἐπισημαίνομαι interdum declarat *signo* (ich beſiegele), auctore potissimum Harpocratione in voce.

Saepius Menander (p. 277 Mein.) ἄστικτον χωρίον agrum dixerat creditori non obnoxium. Literae enim agro vel aedibus inscriptae ostendebant, locum illum creditori oppigneratum esse (Harpocrat. s. ἄστικτον χωρίον, cujus glossa in Συναγ. λέξ. χρησι ap. Bekk. Anecd. p. 455, 20 partim descripta est). Ὅρος ponebatur, id est lapis vel tabula vel statua, ut scires, locum aere alieno obstrictum esse (ὑπόχρεως, στικτὸς, ὑπόβολος Polluc. III, 805., ubi cf. Jungerm.). In hac statua legebatur summa pecuniae debitae et nomen creditoris: ita enim et fraudi debitoris et errori aliorum obviam ibant (Etymol. M. p. 159, 21.). Atque ut tabula ὅρος, sic is, qui eam figeret, ὁριστὴς dicebatur, praedium inde etiam ὡρισμένον χωρίον (Pollux IX, 9.); neque vero privati homines erant ὁρισταί, sed magistratus publice creati (Etymol. M. p. 632, 31.). His adde, ut Suidam mittamus, Harpocrationem in Ὅρος, et pulchrum Scholion ad Lucian. Jov. Frag. c. 48 fin., de quo breviter dixi ad Babylonios p. 40. Profuerint ista libro Pollucis Falkenburgiano X, 10. ὁ γοῦν Εὔπολις ἐν τοῖς Κόλαξι προειπών, ἄκουε δὴ σκεύη τὰ κατ' οἰκίαν, ἐπήγαγε παραπλήσιον· τεσσυγέγραπται τοῖς τὰ ἔπιπλα. Ex eodem Eupolidis loco Phrynichus in Epitome p. 334 attulit σκεύη τὰ κατὰ τὴν οἰκίαν καὶ ἔπιπλα, quum vulgo, tum in Codice Bachmanni Parisino. Scribes,

Ἄκουε δή· σκεύη τὰ κατὰ τὴν οἰκίαν
παραπλήσιόν τε σου γέγραπται τἄπιπλα.

Audi quaeso; vasa domestica et prope alia ex tuis utensilibus oppignerata sunt. Quid esset γέγραπται, intellexit nemo, neque Hemsterhusius vertens ille, *descripta vel commemorata tibi sunt utensilia*, neque Hanovius

Exerc. Crit. p. 141, qui temere dicit, recenseri vasa scriptoque consignari, et totum fragmentum, si a vocula *τὴν* discesseris, infeliciter corrigit, neque Bentlejum ullo modo refellit. Nam Bentlejus conjecerat, — *τέ σοι γέγραπται τἄπ.*, quod verum esse potest, quandoquidem *τεσσυγέγραπται τοῖς* significat *τέ σοι / σου γέγραπται*; at Hanovius et alia male et illud finxit pessime *ἀναγέγραπται*. Perperam etiam Runkelius conjecit, *παραπλήσιόν τε συγγέγραπται τἄ*. Rem oppigneratam tabula indicare apud Graecos non est *ἀναγράφειν τι*, neque *συγγράφειν*, verum simpliciter *γράφειν τι*, quemadmodum et *γράψαντα* usurpavit Plutarchus in Alcibiade c. 16, et supra Grammatici identidem *γράμματα* commemorant. Redeo ad Pelargos. Vix igitur crediderim, Aristophanem de illo more tabulam sive *ὅρον* ponendi locutum esse. Licet enim diserte moneant Grammatici satis multi, non minus domum (*οἰκία*), quam agrum praediumve (*χωρίον*) tali lapide esse distinctum, adversatur tamen et *ἀπεσημηνάμην*, verbum ab *ἔγραψε* diversum, quod potius exprimit *obsignare aliquid vel scrutandi causa vel publicandi* (etwas verſiegeln), et *τῶν κακούργων*, quo non lenti potius infitiatores, quam homines malefici notantur. Quamobrem isti homines magnum aliquod crimen admiserant, veluti furtum, quod ut publice deprehendi (*φωρᾶν* Ran. 1359. Nub. 495) posset, per lancem liciumque conciperetur. Bene enim in manifestos depeculatores talis cadit oratio: Ich habe die Häuſer der Böſewichte verſiegelt. Ceterum de simili re Demosthenes verbo *παρασημαίνεσθαι* utitur In Phaenipp. 2, 6 B. *ἀντὶ δὲ τοῦ τὰ σημεῖα ἐᾶν τῶν οἰκημάτων, ἃ παρεσημηνάμην*—. et ibid. 8, 5 *παρεσημηνάμην τὸ οἰκήματα*—.

IV.

Athenaeus IX, 387, f. *ΑΤΤΑΓΑΣ. Ἀριστοφάνης Πελαργοῖς·*

Ἀτταγᾶς, ἥδιστον ἔψειν ἐν ἐπινικίοις κρέας.

Codices *ἀττάγας* probante Schweighaeusero: at paullo post Athenaeus v. *ἀτταγᾶς* ab Atticis vulgari regula exceptum esse narrat. Tum *ἔψειν* ed. Casauboni, *ἑψεῖν* male plurimi Codd. Venetus, Palatinus atque Ed. Princeps. Pro *ἐπινικίοις* Cod. Laurentianus *ἐπινικίας*. Recte Casaubonus: „*Attagenen* inter delicatissimos cibos habitum argumento est versiculus Aristophanis“ idemque probat quodam Hieronymi loco. Choragus eo ipso die, quo poëtae tragico comicove praemium decretum esset, hanc victoriam et poëtae et Chori conventu hominum epulisque celebrabat, neque id magis Dionysiorum tempore urbanorum, quam minus alioqui festo Lenaeorum, quod quidem malo Antimachi exemplo ac poena ad Daetalenses p. 9 ostensum est. Ad has epulas Suevernius 8) jure, ut videtur, Aristophanis versum revocavit. Nam neque praeterea aliud quidquam occurrit, quod Comicus tum in animo habuerit, nec dubitare licet, quin Attici verbo *τἀπινίκια*, illud ipsum convivium saepe reddiderint. Documento sit initium Convivii Platonici p. 370 Bekker. — *ὅτε τῇ πρώτῃ τραγῳδίᾳ ἐνίκησεν Ἀγάθων, τῇ ὑστεραίᾳ ἢ τὰ ἐπινίκια ἔθυεν αὐτός τε καὶ οἱ χορευταί.* Et p. 372 B. *Ἐπὶ δεῖπνον εἰς Ἀγάθωνος. χθὲς γὰρ αὐτὸν διέφυγον τοῖς ἐπινικίοις, φοβηθεὶς τὸν ὄχλον· ὡμολόγησα δ' εἰς τήμερον παρέσεσθαι.* Convivium postero die initum forsitan non commune fuit poëtarum aliorum, sed Agathonis victoria ista elati proprium; ceterum die proximo superiore epulas opipare sane apparateque factas esse, attagenes apud Comicum testificantur. Quod autem Suevernius hunc versum Parabasi tribuit (metri causa accuratius dixisset Epirrhemati vel Antepirrhemati), ego

8) Ueber Ariſtophanes *Γῆρας* p. 21 annot. ubi ita dicit: Von dieſen Siegesſchmäuſen (welche den Chor vom Chorag erwarteten) iſt wohl der aus den *Πελαργοῖς*, wahrſcheinlich aus ihrer Parabaſe erhaltene Vers bei Athen. IX, p. 387, f.

Ἀτταγᾶς ἥδιστον ἑψεῖν ἐν ἐπινικίοις κρέας

zu verſtehn.

quidem talem versum cuivis parti comoediae, modo ne initio, lubens concesserim, ac praecipue fini totius fabulae relinquam, si tamen ut Ecclesiazusae sic Pelargi epulis finiebantur. Sed ad parabasin nolim confugere, qua Pelargos pariter atque Ecclesiazusas et Plutum caruisse existimamus.

V.

Athenaeus IX, 368, e. *κωλῆν — Ἀριστοφάνης — ἐν δὲ Πελαργοῖς,*

Κεφαλάς τ' ἀρνῶν, κωλᾶς ἐρίφων.

Initium Anapaesti tetrametri.

VI.

Pollux X, 174. *Φαίης δ' ἂν — καὶ χαλκώματα ἐν μέρει τῶν σκευῶν οὐ μόνον — εἰπόντος — ἀλλὰ καὶ Ἀριστοφάνους ἐν Πελαργοῖς,*

χαλκώματα, προσκέφαλαιά.

Hic locus ex iis est, qui Pelasgos tuentur. Vulgo enim legitur *Ἀριστοφάνους ἐν Πελασγοῖς,* cui formae *ἐν Πελαργοῖς* duo tantum codices substituunt inter se simillimi, Vossianus et Jungermanni liber. Longe plus auctoritate valet scriptura vulgaris, quam lectio ista deterioris familiae nosque *ἐν Πελασγοῖς* etiam atque etiam probamus. Tamen Hemsterhusius *ἐν Πελαργοῖς* reposuit, quod et ab aliis talem Comici fabulam, et hunc ipsum locum iterum a Polluce sub hoc titulo afferri vidisset. Sed qui omnes poëtarum fabulas sub idem ubique nomen cogunt, nonnunquam vel duplicem ejus indicem, vel commodam interpretationem audent expungere. In altero Pollucis loco VII, 105 *χαλκώματα δὲ Ἀριστοφάνης ἐν Πελαργοῖς καὶ Σφηξὶν εἴρηκε* (Vesp. 1214 *ἔπειτ' ἐπαίνεσόν τι τῶν χαλκωμάτων*) omnino *ἐν Πελαργοῖς* scriptum est nullo librorum dissensu (praeterquam quod *δὲ Ἀριστ. ἐ. Πελ.* MS. Jungerm. omittit): at nihil impedit quominus utrumque simul et *ἐν Πελασγοῖς* et alibi *ἐν Πελαργοῖς*

ratum ducamus in Polluce: qui nisi auctores valde diversos sequeretur, non tam saepe aut eadem iteraret, aut semet ipse insciens refelleret.

In his ipsis libris, septimo ac decimo, multa vehementer inter se pugnant, cujus rei insigne exemplum ex Aristophane depromam. Neque enim unum ducem, sed duo habebat, quum in eodem versu modo sic legeret, VII, 157 *καὶ τῶν πλατυλόγχων διβολίαν ἀκοντίων.* modo X, 144 longe aliter: *καὶ τῶν πλατυλόγχων, ὡς ὁρᾷς, ἀκοντίων.* Deinceps Hemsterhusius post Meursium, Fabricium, Jungermannum e numero fabularum Aristophanis *Πελασγοί* plane exemit, eumque Brunckius Dindorfius alii imitati sunt: ego vero multum eos vidisse censeo, qui fortasse jam ante Pollucem Pelasgos Aristophani tribuissent. Idem Hemsterhusius, quum Aristophanis verba *χαλκώματα, προσκεφάλαια* distinctione separari voluisset Jungermannus, idemque etiam Menagio placuisset, incredibili errore sic judicavit: „nec intercedo, quominus id fiat: cogitandum tamen, num dixerit *Aristophanes χαλκώματα προσκεφάλαια galeam aeratam* et caetera, quae huc pertinent —." Neque galea est *προσκεφάλαιον*, sed pulvinus capiti subjectus, neque *χάλκωμα* adjectivum est, sed substantivum, neque ista omnino graeca est oratio. Sed magnopere falleretur, si quis metro adductus e duabus Pelargorum reliquiis unum efficeret tetrametrum,

Κεφαλάς τ' ἀρνῶν, κωλᾶς ἐρίφων, χαλκώματα, προσκεφάλαια.

id enim esset sententiam pessumdare. Nam etsi etiam vasa aenea atque pulvini ad triclinium pertinent, non tamen ciborum genera cum hujusmodi instrumentis paene in unum confundenda sunt. Moneo id propter eos, qui ex pluribus fragmentis quam saepissime unum versum aut seriem versuum unam conglutinando effingunt. Qui si forte hoc dixerint, idem fragmentum nunc integrius, nunc minus plenum frequenter apud plures inveniri, me vicissim audiant et illud secum reputent, ex

quam ingenti turba fabularum quam pauca omnino versuum fragmenta aetatem tulerint, tam scilicet pauca, ut certa plurium conjunctio alba avi sit rarior, quam nisi in re vel perspicua, vel veri perquam simili ne experiendi quidem causa instituo. Et hic quidem ita decerno, haec duo fragmenta ex eadem parte dramatis sumta esse, ut quum illi priori initium versus tetrametri inesset, hoc posteriore finis tetrametri alius contineretur.

VII.

Athenaeus VI, 247, a — *ἐπισίτιοι γὰρ καλοῦνται οἱ ἐπὶ τροφαῖς ὑπουργοῦντες. Πλάτων —. Ἀριστοφάνης Πελαργοῖς·*

Ἢν γὰρ ἕν' ἄνδρ' ἄδικον σὺ διώκῃς, ἀντιμαρτυροῦσι δώδεκα τοῖς ἑτέροις ἐπισίτιοι.

Nam si tu unum aliquem virum injustum accusaris, contra reliquos testes duodecim parasiti testimonium dicunt. Describuntur mali homines, qui largo cibo pasti, dum patronis suis et geniis inservirent, vel jurisjurandi religionem violarint. Natalis Comes, vetus Athenaei interpres, hic *Πελασγοῖς* reddidit *Thuscis* idemque *Πελαργοῖς* in alteris duobus Athenaei locis transtulit *Ciconiis.* Id me docuit eximius juvenis, cujus pietatem, industriam, doctrinam laudare satis vix queo, C. C. H. Burmeister. Iterum vero quasi per transennam Pelasgi translucent. Tametsi enim *Πελαργοῖς* Venetus ac Laurentianus, optimi codices, sufficiunt, tamen vetus quoque lectio *Πελασγοῖς* non contemnendos habet auctores Codicem Palatinum, Ed. Principem, Casauboni aliasque vetustiores 9). Neque

9) Nam ex hoc Athenaei loco in Indicem aliquot Editionum pervenerunt *Πελάσειοι* Aristophanis et inde rursus ad Fabricium. Cf. Hemsterhusius ad Polluc. X, 174. Brunckius: „*Πελασγοὶ*, *Πελάσειοι*, *Περιαγγεῖς*. Nihil aliud sunt quam sordes librariorum.“ Lentius, quaeso. Tertium nomen fluxit e Schol. ad Avv. 1297 *Ἀριστοφάνης ἐν Περιαγγεῖ*, ubi Meursius scribebat *Πλάτων ἐν Περιαλγεῖ*. Praestat fortassis *Ἀρι-*

aliis ejusdem Athenaei locis litem dirimas, quoniam Athenaeus quoque saepenumero sibi contradicit. Non semper antiquioribus libris critici obsecundare debemus, haud raro valde corruptis, interdum etiam interpolatis; est ubi novitius codicillus antiquo parenti et tanquam codici codicum recte anteponatur. Ita hic *Πελασγοῖς*, permira lectio, virtute superat alteram *Πελαργοῖς*, quae ex lemmate *Ἀριστοφάνης Πελαργοῖς* ne scribis quidem ignoto facile calamos subibat. Neque vero *πελαργὸς* ciconia a librariis in *Πελασγὸς* mutari solet, verum alter ille Pelargus, homo Tyrrhenus, promiscue ab eis modo *Πελαργὸς* scribitur, modo etiam *Πελασγός*, sicuti et in aliis locis jam supra allatis, et in hoc Thucydideo II, 17 *τὸ Πελασγικὸν* codex Laurentianus *τὸ Πελαργικὸν* exhibet. Quin etiam portenti loco sit, tum apud Pollucem in optimis quibusque Codd., tum in multis bonisque apud Athenaeum *Ἀριστοφάνης Πελασγοῖς* errore fortuito nasci potuisse: neque enim alter grammaticus ab altero suspensus erat. Ac si quidam suas angustias omnes ad casum mirabiliter ludentem conferunt, hic tamen mea sententia standum est, quippe qua uterque titulus et *Πελασγοῖς* et *Πελαργοῖς* bene defendatur.

Restat, ut de metro hujus fragmenti quaeramus. Vulgo autem ita legebatur: *ἦν γὰρ ἕνα* (*ἓν'* Palatinus) *ἄνδρα ἄδικον συνδιώκῃς*. Sed Grotius, quum nullam metri speciem reliqui faceret, recte tamen posuit *σὺ διώκῃς*. Quo suscepto Porsonus, quem hic quoque Dindorfius imitatur, fragmentum ita ordinavit, *Ἀριστοφάνης Πελαργοῖς*·

Ἦν γὰρ ἓν' ἄνδρ' ἄδικον σὺ διώκῃς,
Ἀντιμαρτυροῦσι
Δώδεκά τοῖς ἑτέροις ἐπισίτιοι.

V. Adversarr. p. 83. Falluntur. Sunt enim hi versus

στοφάνης ἐν Πελαργοῖς καὶ Πλάτων ἐν Περιαλγεῖ, et tum — *ὡς Φρύνιχος ἐν Ἐπιάλτῃ. λέγει δὲ ἐν Ποιμνίοις ὁ αὐτός.* Sed istud scholium valde perturbatum est.

asynarteti Archilochei, e tetrametro dactylico et ithyphallico versu compositi (Logaoedicum Archilochium Ithyphallicum, ut dicit Plotius):

$$\overset{\prime}{-}\,\underline{v\,v}\quad -\,\underline{v\,v}\quad \overset{\prime}{-}\,\underline{v\,v}\quad -\,\underset{v\,-}{\underline{v\,v}}\ \Big|\ \overset{\prime}{-}\,v-v-\overline{v}$$

Idem metrum Comico bis restituendum est in Nubibus v. 465 sq., ubi quum Strepsiades ridicule cecinisset, *τί πείσομαι;* et mox

ἆρα τοῦτ' ἐγώ ποτ' ὄψομ';

(sic enim legi debet), Chorus his eum versibus excepit, quos emendatos apponam:

ὥστε γε σοῦ πολλοὺς ἐπὶ ταῖσι θύραις ἀεὶ καθῆσθαι,
βουλομένους ἀνακοινοῦσθαί τε καὶ ἐς λόγον συνελθεῖν,
πράγματα κἀντιγραφὰς πολλῶν ταλάντων
ἄξια σῇ φρενὶ συμβουλευσομένους μετὰ σοῦ.

Multi de hoc metri genere disputarunt, ut Hephaestio p. 88, Gaisfordus ad eundem p. 342, et omnium optime Hermannus in Elementis p. 595. Pauca sunt, in quibus mihi ab Hermanno discedendum sit. Conjicit enim Vir Summus, Horatium Od. I, 4. quod et syllaba ancipiti et cretico abstinuerit, relicto Archilochi exemplo hunc versum noluisse asynartetum. Sed quanquam Horatius, ut solet, severiorem legem, quam olim graecus poëta, sibi scripsit, purumque dactylum quarta sede constanter locavit: omnino tamen hos versus asynartetos esse voluit, ut qui caesuram post dactylos in toto carmine diligentissime servaret. Tum Hermannus peringeniose haec addidit: itaque judicavit, spondeos iu priore parte ubique recipi, sed excludi a pede quarto, ne metrum videatur catalecticum esse, quemadmodum illud, quo Cratinus in Seriphiis usus sit; hunc enim sine dubio etiam trochaeum in pede quarto posuisse. At trochaeo suscepto, cujus nullum usquam vestigium est, ithyphallicus versus perdetur: neque vero spondeum quarto loco movere ausim. Vix enim tali

spondeo offendor, qui neque ad ithyphallicam partem trahi potest, et vi sua par est dactylo, et bene a citis dactylis ad lentiores trochaeos quendam videtur transitum facere. Nullus poëtarum hanc metri formam expressit,

— — — — — — v v | — v — v — v

et cum spondeo in quarta etiam sede multo minus: contra hanc speciem non equidem reprehendo,

— v v — v v — v v — — | — v — v — v

Porro hujus spondei certa aliquot exempla habemus, primum illud Cratini,

Χαίρετε πάντες, ὅσοι πολύβωτον | ποντίαν Σέριφον

deinde etiam hoc Aristophanis in Pelargis,

Ἦν γὰρ ἓν' ἀνδρ' ἄδικον σὺ διώκῃς, | ἀντιμαρτυροῦσι,

quos versus alii generi non puto subjiciendos esse; omnia enim cum hoc nostro praeter unum spondeum planissime congruunt. Denique si majorem aliam libertatem concedere debemus, certe hanc minorem spondei non licet recusare: omnes autem in eadem sede Creticum pedem agnoscimus, qui ex ipso Archilocho apud Hephaestionem profertur,

Καὶ βήσσας ὀρέων δυσπαιπάλους, | οἷος ἦν ἐφ' ἵππης.

Adde illud Theocriti, Epigr. XVIII, 2.

Μήδειος τὸ μνᾶμ' ἐπὶ τᾷ ὁδῷ, | κἠπέγραψε Κλείτας.

Existimo autem, et spondeum in quarta sede, et creticum, pedem haud paullo molestiorem, gravi illa caesura ante posterius membrum valde excusari, quam verissime monet Hermannus tantum non ubique observatam esse. Unum ejus neglectae exemplum, sed in verbo composito, consignavit Hermannus ex Epigrammate Bacchylidis an Simonidis,

Τῶν ἐχορήγησεν κύκλον μελίγηρυς Ἱππόνικος.

Alterum exemplum e Nubibus repeto,

Ὥστε γε σοῦ πολλοὺς ἐπὶ ταῖσι θύραις ἀεὶ καθῆσθαι.

Nam etsi Rav. et Venetus *ταῖς* surrogant, nemo tamen corrigat,

Ὥστε γε σοῦ πολλοὺς ἐπὶ ταῖς θύραις | — ἀεὶ καθῆσθαι.

Postremo etiam cum Dindorfio mihi conveniat necesse est, qui in Fragmentis „Fortasse praestat, inquit, *ἐπίσιτοι* scribi" in Athenaeo autem has voces mittit: „*ἐπισίτιοι*] Vereor ne *ἐπίσιτοι* scripserit. Quae perinde censere Athenaeum ex eo apertum est, quod paullo post (247, e.) de *ἐπίσιτος* antea se dixisse ait." Praestitisset, haec ne semel quidem edi atque divendi, quam in duobus locis. Sive enim vocalis insequebatur, justissimam formam maximeque usitatam verbi causa talis versus repraesentabat,

Δώδεκα τοῖς ἑτέροις ἐπισίτιοι ἀντιμαρτυροῦσι:

sive consonans litera, quî minus Aristophani licuit creticum adsciscere, quam Archilocho Theocritoque? Accedit, quod Dindorfianum *ἐπίσιτοι* in quartam sedem spondeum infert, pedem usu perrarum, quem nos quidem defendimus, sed tamen Hermannus, summus Vir, ferendum esse negabat. At enim de metro Dindorfius omnino non videtur cogitasse.

VIII.

Moeris p. 92. *Βαλανεὺς παρὰ Πλάτωνι καὶ Ἀριστοφάνει ἐν Πελάργοις.*

De hac glossa a Viris Doctis in varias partes disputatum est. In omnibus Codd. ea sic legitur, ut supra posui. Sed Hudsonus locum ita interpolavit: *Βαλανεύς, Ἀττικῶς παρὰ Π. καὶ Ἀ. ἐ. Π. πολυπράγμων Ἑλληνικῶς.* At ut *πολυπράγμων* falso rejici potuerit, tamen *Βαλανεὺς* neque in Platone neque in Aristophane hominem male curiosum significat, sed balneatorem. Nititur autem interpolatio ista aliquot grammaticorum locis, quos Kusterus ad Suidam s. *Βαλανεώτης* composuit. Jam Sallierius ac Piersonus mirantur, notissimam vocem planeque atticam *βαλανεὺς* uno Platonis alteroque

deperditae comoediae testimonio communiri. Et Piersonus quidem, quod *βαλανεὺς* verbum vel in Aristophane frequentissimum (tum apponit Plut. 955. Ran. 709. Eqq. 1400. Avv. 491.) in rarioribus numerari nequeat, conjectura rescribi vult, *Βαλανίς, παρὰ Πλ.* —.

De quo Brunckius: „Probabilis est Piersoni conjectura, auctorem scripsisse *Βαλανίς.*“ At neque Platonem neque Aristophanem ista voce *βαλανὶς* usum esse deprehendimus. In eodem errato versatur Ruhnkenii opinio (v. Addenda ad Moerin l. d.), qui in Moeride legendum putat *Βαλανεύω*, Antiatticistam (ap. Bekk. Anecd. 84, 15) et versum, qui ibi affertur Ar. Pac. 1069 testatus. Postremo Schneiderus ad locum Platonis hanc Moeridis glossam non immerito suspectam fuisse Piersono et in Addendis Ruhnkenio existimat. Verum enim *Βαλανεὺς* mutare nullo pacto licet, idcirco quoniam haec ipsa vox non solum in Platone legitur, sed etiam in Pelargis Aristophaneis, quem versum hodieque servatum esse pulchre monuit jam Dindorfius. Sed quid verbis opust? Dixerat Moeris nondum contractus, quem nunc non integrum, sed tenuem ejus Epitomen legimus, dixerat, inquam, hoc modo: *Βαλανεύς, παρὰ Πλάτωνι καὶ Ἀριστοφάνει ἐν Πελαργοῖς, Ἀττικῶς. Βαλανευτής, Ἑλληνικῶς.* Principio *βαλανευτὴς* in Londinensi ed. Thesauri Stephaniani e Chrysostomo in Ep. ad Ephes. Serm. 10 T. 3 p. 816 derivatur, et recte derivatur (nam locum ipse contuli), idemque vocabulum a VV. DD. Suidae s. *Βαλανειομφάλους* pro *βαλανείτης* optimo jure restitutum est. Deinde Atticistae etiam alibi formam in — *εὺς* Atticis, alteram vero in — *ευτὴς* communi dialecto tribuerunt, veluti ipse Moeris paullo post p. 103 *Βραβεύς, Ἀττικῶς. βραβευτής, Ἑλληνικῶς.* Cf. Thomam Magistrum p. 170 s. *Βραβεύς*, cl. 734 s. *Οἱ πρόσβεις.* De hoc Atticistarum loco rectissime judicat, praeclarae vir eruditionis, Lobeckius ad Phrynich. p. 316 sq. demonstrat enim, formam in — *εὺς* Atticistis probatam etiam a scriptoribus atticis longe majorem altera commendationem habere, idemque

prudenter adjicit, nolle se de singulis quibusdam vocibus cum quoquam magno opere contendere. Ita minime Attici norant vocabula ἁλιευτής, βαλανευτής, ἑρμηνευτής, ἱππευτής; Hellenistarum fuit iste mos, raram exceptionem in legem et regulam vertere. Quamvis igitur ipsorum vitia Atticistarum praestare nec possimus neque debeamus, hic tamen Moeris verissime tum assignavit Atticis v. *βαλανεύς*, tum v. *βαλανευτὴς* ab eisdem abjudicavit.

Platonis locus a Moeride designatus hic est. De Republica I p. 344 D (p. 37, 18 B. sive p 61, 8 Schn.) *Ταῦτα εἰπὼν ὁ Θρασύμαχος ἐν νῷ εἶχεν ἀπιέναι, ὥσπερ βαλανεὺς ἡμῶν καταντλήσας κατὰ τῶν ὤτων ἀθρόον καὶ πολὺν τὸν λόγον.* Aristophanis vero fragmentum quod inter incerta recensuit Brunckius No. LXXVII, propter Moeridis verba Pelargis inserendum esse, haud obscure significat G. Dindorfius, me tanti viri sententiae prorsus adstipulante, illud dico Pollucis X, 63 *περὶ τῶν ἐν τῷ βαλανείῳ σκευῶν· — ἀρύταινα, ἀρύβαλλος — Ἀριστοφάνους μὲν εἰπόντος·*

Βαλανεὺς δ' ὠθεῖ ταῖς ἀρυτάιναις 10).

Καὶ αὖ πάλιν· (Eqq. v. 1090)

εἶτα κατασπένδειν κατὰ τῆς κεφαλῆς ἀρυβάλλῳ.

Justo altius hic Pollux vocem *ἀρύταινα* repetiit, quam si Equites ipse evolvisset, tribus versibus ante potuisset invenire,

τοῦ δήμου καταχεῖν ἀρυταίνῃ πλουθυγιείαν.

Sed est plane Pollucis, longinqua ubique consectari, id autem, quod ante pedes est, non videre. Nec temere affirmarim, Pollucem ut X, 63., sic etiam gemino in loco VII, 166 Pelargos Comici atque Equites demonstrasse, quum ita scriberet: *Καὶ τὰ τῶν βαλανείων ἀγγεῖα, ἀρύβαλλος, ἀρύταινα. ἄμφω δ' Ἀριστοφάνης λέγει:* poterat enim tum forte obliviosus homo ambo illos Equitum

10) Aristophanis sive Equites sive Pelargos spectasse videtur Phrynichus Bekkeri p. 20, 22 *Ἀρύταινα: σκεῦός τι, ᾧ οἱ βαλανεῖς χρῶνται πρὸς τὸ παρέχειν* (lege *παραχεῖν*), *ἀπὸ τοῦ ἀρύεσθαι, ὅ ἐστιν ἀπαντλεῖν.*

versus mente complexus esse. Verba e Pelargis sumta recte exponunt Kuehnius *balnearius proturbat haustris, ahenis ad hauriendum destinatis*, et Hemsterhusius, *Balnearius autem pulsat haustris.* Cave enim inductus locutione ὠστίζεσθαί τινι (Ar. Acharn. 24 ὠστιοῦνται — ἀλλήλοισι, ibid. v. 809 οὐδ' ὠστιεῖ Κλεωνύμῳ, Lysistr. 330 δούλῃσιν ὠστιζομένη all.) id fragmenti sic explicandum censeas, *tu vero balneator, ad haustra impelleris, in haustrorum quasi turba jactaris, in haustra incurris atque incidis.* Ut enim taceam, ὠστίζεσθαι graviorem formam ita magis usurpari, quam ὠθεῖσθαι, nec rei potius dativum adnecti, quam personae, et ut illud concedam, balneatorem hic ab aliquo invocari posse: tamen balneatores ipsi, cives de infima plebe, non servi eorum aquabantur. Id enim intelligitur ex superioribus grammaticorum locis, Phrynichi, ᾧ οἱ βαλανεῖς χρῶνται πρὸς τὸ παραχεῖν, atque Suidae, καὶ βαλανείτης (βαλανευτὴς) ὁ παρὰ τοῖς πολλοῖς καλούμενος παραχύτης. Quocirca balneator suismet ipsius haustris alios protrudit, neque vero ad aliena haustra impellitur. Isti autem balneatores, quorum pertenuis fuit conditio, etiam male audiebant, ut vel ex illis versibus Eqq. 1400 et Ran. 709 apparet. Vides igitur, hic quoque malos homines depingi. Utrum vero istud fragmentum e dimetris Anapaestis, an e tetrametris delibatum sit, nescitur.

IX.

Antiatticista Bekkeri p. 111, 7. Ὀβολίας ἄρτους: τοὺς ὀβολοῦ πωλουμένους. Ἀριστοφάνης Πελαργοῖς. Ego si prius caerimoniam, propter quam ὀβελίας ἄρτος coqui solebat, breviter illustravero, genus formamque hujus panis exponam ac tum de formis ὀβελίας, ὀβελίτης deque alia longe diversa ὀβολίας quid sentiam, declarabo. Sacrum igitur hunc panem fuisse, quodam Pollucis loco optimae frugis pleno docemur, VI, 75 Μᾶζαι δὲ αἱ μὲν ἱεραί, ἀμφιφῶντες μέν, ἃς ἔφερον εἰς Μουνυχίας Ἀρτέμιδος,

δᾷδας ἡμμένας περιπήξαντες. ὀβελίαι δὲ ἄρτοι οὓς εἰς Διονύσου ἔφερον οἱ καλούμενοι ὀβελιαφόροι, ἐκ μεδίμνου ἑνὸς ἢ δυεῖν ἢ τριῶν τὸ μέγεθος, δι' ὀβελίσκων τινῶν εἰργμένους (sic), ἀφ' ὧν καὶ τοὔνομα, πέλανοι δέ, κοινοὶ πᾶσι θεοῖς. Dionysiis itaque, forsitan ruralibus, quae Athenis quoque sub Lenaeorum nomine agebantur, certi homines a re dicti ὀβελιαφόροι panes hujuscemodi ὀβελίας ἄρτους in solemni pompa circumferebant atque in ipsius Bacchi templum portabant. Sic quodammodo suum reddebant gratoque animo eum acceptum referebant Baccho, qui teste apud Athenaeum Socrate Coo, in bellicis expeditionibus hunc ipsum panem invenisse ferebatur (c. Athen. III, 111, b).

Ceterum non iste quidem panis fuit, sed inauditum quoddam panis monstrum, si in eo conficiendo modius Atticus vel duo atque adeo tria interdum medimna consumebantur. Tales nugae vix cuiquam in mentem poterant venire, nisi Tzetzae, qui in Chil. VII, 776 p. 269 Kiessl. Pollucem ita pervertit, Ὄντας ἀπὸ μεδίμνου τε ἢ δύο ἢ τριῶν δέ—. At Pollux, qui clarius scribere Μεδιμναῖοι τὸ μέγεθος verbis ἢ δυοῖν ἢ τριῶν prohibitus erat, hunc panem magnitudine tantum et mensura, neque vero frumenti copia vas unius capax medimni aut duorum aut trium aequasse contendit. Fuit igitur panis ille, qui etiam a Photio oblongus dicitur παραμήκης καὶ γαστρώδης, omnino permagnus, sed non isto certe modo tam portentoso. Enimvero cur idem ὀβελίας nominatus sit et utrum ὀβελίας, an vero etiam ὀβελίας, quaestio est ad solvendum difficilis. Tametsi enim antiquitus ὀβελὸς et ὀβολὸς pro uno eodemque verbo habita sunt, de quo genere nonnulla protulit Schneiderus in Lexico s. ὀβολός, tamen jam multo ante Comici aetatem ὀβολὸς nummus ab altero ὀβελὸς veru accurate discerni solebat. Inprimis hoc tenendum est, verbum ὀβελίας ab omnibus fere et scriptoribus et grammaticis per ε̄ literam exarari solere, idemque in alteram quoque formam cadere ὀβελίτης, a Polluce I, 248 memoratam, quam cum voce χριβανίτης

ἄρτος multisque aliis comparare licet, postremo explicationes formulae nostrae non tam a nummo, quam a veruculo petitas esse. Atque hae interpretationes ut veritatis specie commendantur, sic alia aliorum, quae ab obolo ducta est, inanis quaedam videtur et irridenda. Neque enim perspicimus, quid cum obolo esse potuerit huic sacro pani, cujus tanta fuit magnitudo, ut si modo ejus praeterquam in re divina alius esset usus vulgatior, multo tamen pluris, quam uno obolo vendi deberet. Communem vero panem minore pretio Athenis emtum esse patet; quandoquidem illud Demosthenis Adv. Phormionem 37,7 Bekk. ἐλάμβανον κατ' ὀβολὸν τοὺς ἄρτους semel aliquando in caritate annonae valuit. Ac nisi formatio ὀβολίας ab Atticistis quibusdam improbata esset, non eam profecto Antiatticista, perpetuus eorum adversarius, uno Aristophanis exemplo tueretur. Sed tantum abest, ut Antiatticistam, unicum hujusce rei testem, Comici auctoritatem temere ementitum esse putem, ut et vera ab eo prodi largiar, et glossae ejus permultum tribui velim. Quum enim forma ὀβολίας eique conveniens expositio, quam praeterea etiam Athenaeus noverat l. l. scribens. Ὁ δὲ ὀβελίας ἄρτος κέκληται ἤτοι ὅτι ὀβολοῦ πιπράσκεται, ὡς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, sequente hunc grammaticum Eustathio, aliquo tamen fundamento niti debuerit: vix dubitamus, quin e Pelargis maxime Aristophanis non recte intellectis opinio ista manaverit. Scilicet Aristophanes panes aliquot, quos integro obolo singulos constare fecisset, novo et jocoso nomine ὀβολίας ἄρτους dixerat, ratione vocis ὀβελίας ἄρτος habita: nam alliteratione Comici illi impense delectantur. Quapropter et substituit Aristophanes ὀβολίας, et eo ipso tamen, usitatum vocabulum ὀβελίας defendit. Absurde igitur G. Dindorfius Frr. Aristoph. p. 19 „ὀβολίας ἄρτους p. 111, 7 ex Πελαργοῖς, quod ad Γεωργοὺς potius pertinere videbitur, si Athenaeum compares III p. 111, b.“ Hujus porro nominis plurimi grammatici hanc causam rationemque reddiderunt, ut istum panem verubus

impositum transfixumve homines coxisse dicerent. Namque et Athenaeus, l. l. haec posuit, ἢ ὅτι ἐν ὀβελίσκοις ὠπτᾶτο et Hesychius ὀβελίας ἄρτος, ὁ ἐπὶ ὀβελίσκου ὀπτώμενος, et Moeris p. 287 Ὀβελίας ἄρτος, ὁ ἐπὶ τῶν ὀβελῶν ὠπτημένος, et ut faecem grammaticorum omittamus, Photius p. 313, 20 Ὀβελίας ἄρτος: ὁ ἐπὶ ὀβελῶν ὀπτώμενος· λέγονται δὲ καὶ ὀβελιαφόροι, οἱ ἐν τοῖς Διονυσίοις τοὺς ὀβελίας ἄρτους αἴροντες· ἐτάσσετο δὲ ἡ λέξις ἐπὶ τῶν ἐργατῶν καὶ ἀγροίκων. et p. 314, 1 Ὀβελίας ἄρτος: περιπεπλασμένος μακρῷ ξύλῳ καὶ οὕτως ὀπτώμενος· γίνεται δὲ παραμήκης καὶ γαστρώδης. Illa verba, quae gravius distinxi, ἐτάσσετο δὲ ἡ λέξις ἐπὶ τῶν ἐργατῶν καὶ ἀγροίκων, si minus e versu Agricolarum profluxerunt, magnam tamen vim habent ad percipiendum illud Aristophanis fragmentum, quod in Athenaeo legitur,

Εἶτ' ἄρτον ὀπτῶν τυγχάνει τις ὀβελίαν;
Tum igitur aliquis forte fortuna panem coquit obeliam?

Miratur aliquis sententiam alterius parum assecutus, quod ejusmodi panis nunc potissimum coqui videatur. Signum interrogandi in fine hujus versus addendum putavi, et credo neminem, quid εἶτα in interrogatione significet, nescire, qui usus frequentissimus est quum in quolibet scriptore attico, tum in ipso Aristophane. Veruntamen et Photius locutionem ὀβελίας ἄρτος rusticis operisque assignat, et Aristophanes ea plane in *Agricolis* suis utitur. Nobis quidem magnopere placet, istum panem cum pompa et obeliaphoris ad ruralia Dionysia conjicere: vix enim credibile sit, locutionem ὀβελίας ἄρτος in proverbium vertisse de pane agricolarum (Bauernbrodt), quo nostri certe rustici, ac forsitan etiam olim attici, amplo quodam et permagno vescuntur. Adhuc disputavimus de ea explicatione verbi ὀβελίας, quae et a grammaticis plerisque stabilita sit, et facile vel per se fidem inveniat, et novam commendationem habeat a verubus (ὀβελοῖς) pistoris instrumento secundum Pollucem X, 113,

ubi obeliae panis scite meminit Jungermannus. Nunc vero etiam Pollucis verba eo in loco, unde huc oratio digressa est, consideremus, haec videlicet, *δι' ὀβελίσκων τινῶν εἰργμένους, ἀφ' ὧν καὶ τοὔνομα.* Pro *εἰργμένους* scriptum est *εἰρημένους* in Codd. Kuehnii et Jungermanni: tu leges sive *πειρομένους* cum Piersono ad Moerin p. 287, bene illo Tzetzen, Pollucis hic interpretem, comparante, l. l. *ἐμπεπαρμένους ὀβελοῖς*, sive etiam *εἰρομένους* ab *εἴρω*; nam *διείρειν* perserere nostrum durchſtecken exprimit. Verum si Pollux hoc sensisset, panes nostros inter coquendum verubus quibusdam fixos esse, non solum obscure admodum, sed etiam perverse esset locutus; tunc enim ei, ut caeteris grammaticis, ita dicendum erat, *ἐπ' ὀβελίσκων τινῶν ὀπτωμένους.* Nunc vero cum apparet in pompa enarranda ulterius pergere et illud declarare: *in hac pompa obeliae panes verubus quibusdam transfixi ferebantur.* Hanc Pollucis aliorumve, quas exscripsit, sententiam in illustri loco positam et alioqui valde probabilem magis etiam corroborant panes modo apud eundem descripti *ἀμφιφῶντες.* Constat, placentam hanc sacram ab eo nomen accepisse, quod facibus multis vel lucernis circumdata Dianae offerretur: ita enim recte censent plurimi auctores, veluti Apollodorus bis apud Suidam, Pausanias apud Eustathium, Athenaeus, Pollux, Hesychius; neque hanc sententiam mystica Philochori interpretatio evertit, qui licet bene moneat, plenilunii tempore, Munychionis mensis d. XVI, quo fere luna occidens cum ortu solis congruebat, hanc placentam consecrari solitam, falso tamen a communi siderum lumine ad causam nominis *ἀμφιφῶν* transiluit atque praecipitavit, quum per hos gradus descendere eum oporteret: propter commune lunae ac solis lumen placentae isti additae undique sunt faces, et ob additas demum faces illa *ἀμφιφῶν* appellari coepta est. Jam vero videmus, utrumque istud libum, *ἀμφιφῶν* et *ὀβελίας ἄρτος* arcto vinculo a Polluce conjungi: qui si de altero recte statuit verissimeque nomen *ἀμφιφῶν* inde repetiit, quod

illud in solemni Dianae Munychiae pompa faculis undique affixis illustratum esset ac colluceret, vix poterimus recusare, quin eidem de altera et ea simillima explicatione obeliae adsentiamus, quem in solemni quadam alia Bacchi pompa verubus transfixum circumferri atque idcirco ὀβελίας nominari contendit. Denique verba Artemidori, qui sane in Lycia, non Athenis versatur, attamen rem sacram enarrat, quia illud Pollucis magna attingit similitudine, infra posui, Athenaei VIII, 333 f. τούτοις δὲ οἱ θυσιάζοντες ἐμβάλλουσιν ἀπαρχὰς τῶν θυσιαζομένων, ἐπὶ ξυλίνων ὀβελίσκων ἀναπείροντες κρέα ἑφθὰ καὶ ὀπτὰ καὶ μάζας καὶ ἄρτους. Utrum igitur, inquit, ille panis ideo ὀβελίας dictus est, quod in eo coquendo verubus lignisque longis uti pistor consuesset, an eam ob causam, quod eum in pompa verubus quibusdam fixum ab obeliaphoris portari moris esset? Erunt fortasse, qui hujus dissidii tollendi causa utrumque simul Athenis usitatum fuisse opinentur; quasi diversas res nec tamen plane contrarias statim confundere deceat: ego nunc censoribus meis horum utrumvis eligendi dabo optionem. Namque, altera interpretatio ad pistoris usum accommodata tot habet auctores, ut temere spernenda non sit; rursum altera Pollucis propter se tantopere arridet, ut eam censores mei tanquam filiolam osculaturi, aut prorsus quasi puellulam amplexuri esse videantur. Non impedio tamen, quin hanc utramque memoriam componere studeas, dum simplicitati operam dederis et in hunc fere modum disputaris: Bacchus, quo pacto obelias panis in veru coqui pararique posset, omnium primus ostendisse dicebatur. Quare Dionysiis non solum ejusmodi placenta huic deo oblata est, eaque vel magnitudine vel sapore vel specie externa vulgarem antecellens, verum etiam ab obeliaphoris eam in solemni pompa verubus transfixam praeterferri oportuit, quo certius homines conspecto veruum signo divini illius artificii meminissent. Unum isthuc adjiciam, cum Polluce vehementer pugnare Athenaeum, qui l. l. ita scripserit: ἐκαλοῦντο δὲ καὶ ὀβελια-

φόροι οἱ ἐν ταῖς πομπαῖς παραφέροντες αὐτοὺς ἐπὶ τῶν ὤμων: nec mirum: ridicule enim sic jam loqueretur, παραφέροντες αὐτοὺς δι' ὀβελίσκων τινῶν πειρομένους, posteaquam longe alias opiniones attulisset, ἤτοι ὅτι ὀβελοῦ πιπράσκεται, ὡς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, ἢ ὅτι ἐν ὀβελίσκοις ὠπτᾶτο. Restat ut Pherecratis versum e fabula Ἐπιλήσμων ἢ Θάλαττα emendemus ab Athenaeo servatum, qui in optimis Codd. ita scribitur:

Ὤλεν ὀβελίαν σποδιν (sic), ἄρτου δὲ μὴ προτιμᾶν.

Excidit enim mihi aliquando mala conjectura, quam hic tandem retractabo,

Εἶθ' ὤφελ' ὀβελίαν σποδεῖν, ἄρτου δὲ μὴ προτιμᾶν.

Non solum v. ὤλεν et σποδιν corrigi debent, sed hoc inprimis ostendi, quomodo ὀβελίας et ἄρτος sibi invicem opponi potuerint: proinde quasi ὀβελίας omnino ἄρτος non fuisset. Sed de hac re viri doctissimi ne cogitasse quidem videntur, ut Casaubonus ita scribens: „Hunc (Olena, virum) monet, ut *obelias quidem torreat et paret, sed ne pani anteponat* — " aut Dobreus ad Plutum v. 598, ubi bene primum reponit σποδεῖν, deinde vero ita convertit: „Tu, Olen, obelian vora, spreto pane."

Scribendum est enimvero,

Ὄφελαν, τὸν ὀβελίαν σποδεῖν, ἄρτου δὲ μὴ προτιμᾶν.

Ludit Comicus in simili sono panis ὀβελίας et viri Ὀφέλας, cognomine hic dicti ὁ ὀβελίας, sive quod paullo ante obeliaphorus fuisset, sive quia corporis specie obeliam panem quodammodo referret; ludit vero etiam in ambiguitate verbi σποδεῖν, quod et paedicare (Ar. Eccles. v. 113) significat, et devorare, avide vesci (Pac. 1272). Ita demum obelias panis is manebit, qui semper fuit, neque amplius ὀβελίας et ἄρτος sibi erunt contraria. Sermo est enim de aliquo paedicone: (solet) non panem obelian, quem nihil curat, comedere (σποδεῖν), sed potius σποδεῖν subagitare alterum obelian, Ophelen virum mulieres imitantem. Ophelen virum in hoc dramate commemoratum esse fidem facit Athenaei locus VIII, 365, a — Φερεκράτης — ἐν Ἐπιλήσμονι ἢ Θαλάττῃ οὕτως·

Συσκευασάμενος δεῖπνον ἐς τὸ σπυρίδιον,
ἐβάδιζεν ὡς πρὸς Ὠφέλην.

Codices *πρὸς Ὠφέλην* vel *πρ. Ὤφελην, πρὸς τὸν Ὠφέλαν* Schweighaeuserus T. III p. 436 et Porsonus; recte, nisi legendum *πρὸς Ὀφελίαν* comica forma pro *Ὀφέλαν* propter verbum *ὀβελίαν*. Ac perbene Schweighaeuserus comparavit Apollodorum Athenaei VI, 243, d — *ὡς τὸν Ὀφέλαν ἄκλητον εἰσδεδυκέναι*. Praeterea ex Hypsipyle Euripidis notus est puer infans *Ὀφέλτης* (*Ὀφέλτην* Apollodor. III, 6, 4.) quem in *Ὀφέλην* haud mutaverim. Ceterum obeliae panis mentionem Nicophon quoque injecit in Etymologo 367, 33. sive in Athenaeo XIV, 645, c., obeliaphori autem Ephippo vel comoediae scribendae materiam et occasionem dederunt, teste Athenaeo XI, 482, d *Ἔφιππος ἐν Ὁμοίοις ἢ ἐν Ὀβελιαφόροις*, ubi e cod. Laurentiano repones *ἢ Ὀβελιαφόροις*. Neque enim Athenaeus de duabus Ephippi comoediis haeret incertus, sed unius fabulae duplicem titulum componit. Inutiles nec quidquam profuturos Grammaticorum locos penitus omisi, sicuti soleo, Eustathii p. 951, 55 et 1405, 26., Zonarae et aliorum. Nuper Boeckhius quoque, vir clarissimus, de obelia pane disputavit in Oeconomia Atheniensium T. I. p. 106, 107., quem apparet de hac tenui omnino oeconomiae Atheniensium particula haud ita diu nec sane multum cogitasse. Sed Boeckhii errores refutare longum est minimeque necessarium. Haec hactenus.

X.

Harpocratio, *Οἰκίσκῳ, ἀντὶ τοῦ μικρῷ τινι οἴκῳ* (verba *μικρῷ τινι οἴκῳ* male desunt in MS. Mediceo). *Δημοσθένης ἐν τῷ ὑπὲρ Κτησιφῶντος. ἐκάλουν δὲ οἱ Ἀττικοὶ τὸ ὑφ' ἡμῶν λεγόμενον ὀρνιθοτροφεῖον, οἰκίσκον. Ἀριστοφάνης Πελαργοῖς, Μεταγένης Ἄὔραις, ἐκ τούτων δ' ἔοικε πλανώμενος ὁ Δίδυμος καὶ τὸ Δημοσθενικὸν ἐξηγεῖσθαι.* Photius 319, 3 *Οἰκίσκος: περδικοτροφεῖον* (Cod.

παιδικοτρ.) Ἀριστοφάνης Πελαργοῖς. Idem 319, 3 *Οἰκίσκῳ: ἀντὶ τοῦ μικρῷ τινι οἰκῳ. Δημοσθένης ἐν τῷ περὶ Κτησιφῶντος· ἐκάλουν δὲ οἱ Ἀττικοὶ τὸ ὑφ' ἡμῶν λεγόμενον ὀρνιθοτροφεῖον* (Codex *ὀρνίθων τροφεῖον*) *οἰκίσκον.*

Ipsum, qui in Pelargis fuerat, versum Eustathius afferre censendus est p. 1423, 4. *ἐκ δὲ τοῦ οἴκου καὶ οἰκίσκος παρὰ Ἀριστοφάνει περδικοτροφεῖον, οἷον. τί δὲ τὸν ὀρνίθειον οἰκίσκον φέρεις.* Falso enim Hemsterhusius, Brunckius, Dindorfius Holcadibus ista adscribunt propter locum Pollucis X, 159, qui contraria docet, huncce: *καὶ οἰκίσκον δὲ ὀρνίθειον καὶ οἰκίσκον περδικικὸν Ἀριστοφάνης ἐν Ὀλκάσιν ἔφη.* Quum in Codice Falckenburgiano scriptum fuisse videatur *περδίκιον*, repones, *οἰκίσκον περδίκειον*, forma ad *οἰκίσκον ὀρνίθειον* plane adcommodata: et comparare quodammodo licet ipsum Pollucem VI, 33 — *κρέα* — *ὀρνίθεια* — *περδίκεια* —. Si in uno Polluce res verteretur, tum sane credi oporteret, *οἰκίσκον* et *ὀρνίθειον* et *περδίκειον* in Holcadibus simul inventum esse: nunc vero quum *οἰκίσκον* caveae etiam in Pelargis mentionem fuisse certis auctoribus constet, ita statuemus, recte quidem haec verba *οἰκίσκον περδίκειον Ἀριστοφάνης ἐν Ὀλκάσιν ἔφη* a Polluce conjuncta esse: illa autem priora *καὶ οἰκίσκον δὲ ὀρνίθειον* e Pelargis, alia Aristophanis fabula, haud dubie repetemus. Omnino Pollux accuratius ita loqueretur, *Καὶ οἰκίσκον δὲ ὀρνίθειον Ἀριστοφάνης καὶ οἰκίσκον περδίκειον ὁ αὐτὸς ἐν Ὀλκάσιν ἔφη:* ceterum viri docti, qui Eustathii versum ad Holcades transtulerunt, praeter hanc negligentiam in Polluce non valde miram aliam quoque majorem in eum conferunt glossarum ordinis turbati; tunc enim certe sic dixisset, *καὶ οἰκίσκον δὲ περδίκειον, καὶ οἰκίσκον ὀρνίθειον Ἀριστοφάνης ἐν Ὀλκάσιν ἔφη.* Quod vero Photius glossam *οἰκίσκος* e Pelargis derivatam non ut Harpocratio *ὀρνιθοτροφεῖον*, sed potius *περδικοτροφεῖον* interpretatus est, ex eo minime sequitur, *οἰκίσκον περδίκειον* in dramate nostro commemoratum esse: nam Eustathius, qui *τὸν ὀρνίθειον οἰκίσκον*, neque vero *τὸν περδίκειον* ex

Aristophane protulit, id tamen et ipse verbo *περδικοτροφεῖον* explicare non dubitavit: imo maxime quidem Photius, tum etiam Eustathius probant atque demonstrant, poëtam in Pelargis de perdicum quadam cavea egisse. Hanc igitur caveam neque Harpocratio male per vocem *ὀρνιθοτροφεῖον* exposuit; ipsa enim verba Pelargorum *τὸν ὀρνίθειον οἰκίσκον* intuebatur, et melius etiam Photius Eustathiusque non ut ille verborum, sed sententiae causa eandem Pelargorum glossam verbo *περδικοτροφεῖον* planam fecerunt. Quocirca non solum in Holcadibus *οἰκίσκος περδίκειος* perspicue nominatus erat, verum etiam illud in Pelargis *τὸν ὀρνίθειον οἰκίσκον* certissime pro cavea perdicis unius aut plurium habere debebimus. Ac profecta non poterat Aristophanes non in Pelargis duplicem verbi *πελαργὸς* potestatem ita conjungere, ut ab homine Tyrrheno, sive potius a novitio quodam Pelargo ad justam ciconiam saepenumero transiret; sicuti idem vicissim in Avibus v. 836. v. 871. v. 1135 simili de causa ciconiam Pelargo Tyrrheno furtim substituit. Ceterum ut in Avibus ciconiam dicis causa nominans de Tyrrheno cogitare nos jubet, ita ne in Pelargis quidem (ut Holcades paullisper mittamus) cavea in scenam illata perdix avis, sed profecto Perdix, civis Atheniensis, capiebatur. Fuit enim Athenis aetate illa Perdix quidam, caupo, homo claudus, qui comicis satis crebro irridendi sui occasionem daret. Is fortasse paullo obscurius notatur in Avv. 767 *πέρδιξ γενέσθω, τοῦ πατρὸς νεώτιον — ἐκπερδικίσαι* (quanquam id incertum est): at manifesto eum perstringi videmus in eadem fabula v. 1292 *πέρδιξ μὲν εἷς κύπηλος ὠνομάζετο | χωλός —*. Hic scholiasta, *ὁ Πέρδιξ ὄνομα καπήλου. χωλὸς δὲ ἦν οὗτος. μνημονεύει δὲ αὐτοῦ καὶ ἐν Ἀναγύρῳ· καὶ μὴν χθές γ' ἦν Πέρδιξ χωλός. τούτου δὲ πολλοὶ μέμνηνται.* A multis poëtis comicis hunc Perdicem irrisum esse testatur neque mentitur in testando. Vide modo Athenaeum IX, 388, f. *Φερεκράτης ἢ ὁ πεποιηκὼς τὸν Χείρωνα·*

Ἔξεισιν ἄκων δεῦρο πέρδικος τρόπον.

Φρύνιχος Τραγῳδοῖς·

Τὸν Κλεόμβροτόν τε τοῦ Πέρδικος υἱὸν —.

Displicet Meineckii conjectura Cur. crit. p. 36 *Ἔξεισιν οἴκων —*. Equidem *Πέρδικος τρόπον* ad hominem, non ad avem refero itaque versum expono: „Invitus huc procedet ingressu Perdicis:“ nam et Perdix claudicabat, et qui lenti ac veluti tergiversantes adveniunt, haud sane accelerant gradum. Recte vero monuit Casaubonus, proximis Athenaei verbis, *τὸ δὲ ζῶον ἐπὶ λαγνείᾳ συμβολικῶς παρείληπται* Phrynichi versum explicari. Non igitur eo Cleombrotus hic Perdicis filius dicitur, quod eum vero patrem habuerit, sed tantum ut ejus libidines notentur. Sed quum Perdix et ab aliis Comicis, et ab ipso Aristophane tantopere illusus fuerit, certe nos avi omissa *οἰκίσκον περδίκειον* in Holcadibus et vero etiam in Pelargis *τὸν ὀρνίθειον οἰκίσκον* de perdicis cavea ad cauponem istum spectare censebimus. Quam notus homo fuerit Perdix caupo apparet etiam e Clemente Al. Stromat. VII p. 546 ed. Sylb. *καὶ Πέρδικι, κάπηλον*. Jam vero dubitavit Brunckius, utrum verba ista, quae Pelargis reddidi, *τί δὲ τὸν ὀρνίθειον οἰκίσκον φέρεις;* pro initio tetrametri trochaici haberet, an leni mutatione hac *τί δαὶ τὸν* integrum efficeret senarium. Sed quoniam praestat totum apponi versum quam ejus partem, et quoniam talis sententia trimetris optime convenit, sane legamus cum Dindorfio *τί δὴ τὸν —;* nam Brunckianum *τί δαὶ* hic probari non potest. Hic non praetereo nobilissimum illum Demosthenis locum ab Harpocratione designatum De Corona 97, 6 B. *Πέρας μὲν γὰρ ἅπασιν ἀνθρώποις ἐστὶ τοῦ βίου θάνατος, κἂν ἐν οἰκίσκῳ τις αὐτὸν καθείρξας τηρῇ· δεῖ δὲ τοὺς ἀγαθοὺς ἄνδρας ἐγχειρεῖν μὲν ἅπασιν ἀεὶ τοῖς καλοῖς, τὴν ἀγαθὴν προβαλλομένους ἐλπίδα, φέρειν δ' ὅ,τι ἂν ὁ θεὸς διδῷ γενναίως.* Constat hunc locum vel ipsos Graecos magnopere olim admiratos esse, quos longum sit singulos enumerare, Lucianum Demosth. Encom. c. 5, Stobaeum Vol. I, p. 211 G., Clementem Alexandrinum Stromat. VI, p. 252, A. ed. Sylb., Alciphronem I

Ep. 25 aliosque innumerabiles, Plutarchum, Philostratum, Aristidem, Hermogenem, Rufum. Quanam igitur re hic tantam laudem meruit Demosthenes? Non sane eo, quod omnibus hominibus dixit moriendum esse; id enim quum alii multi jam ante eum affirmarant, veluti Sophocles in Electra v. 1173, Euripides in Alcestide v. 782, Aristophanes in Polyïdo ap. Stobaeum Vol. III p. 457 aliique apud Wyttenbachium ad Plutarch. Vol. VI p. 726., tum ista res, licet eam aegre demonstret philosophus, est tamen satis, credo, pervulgata. Neque magis eo meruit, quod venusta hyperbole usus ne eum quidem effugere mortem addidit, si quis se cavea quadam conclusum servaturus esset: certe nemo laudavit Cratinum, qui multo ante simillimam posuit orationis formam ap. Pollucem X, 160 *καὶ καλιὰ δὲ καὶ καλιὸς ὁ τοιοῦτος (ὀρνίθειος) οἰκίσκος, ὡς Κρατῖνος Θράτταις. Ἐς τὸν καλιόν, ἢν τύχῃ, καθείργνυται, Hic vel cavea, si res ita tulerit, se includat;* callidus civis inconstansque perstringitur, qui in omnes se formas mutet temporibusque callidissime inserviat, atque adeo putamus, fabulam hanc totam in ejusmodi homines scriptam fuisse, qui non minus, quam *θράτται* pisces, varii essent et quasi versicolores.

Quae sequuntur apud Demosthenem, mire placent, fateor, atque etiam feriunt animos: sed tamen quis non idoneus morum praeceptor discipulis suis crebro exposuit, honesta omnia non sine spe bona et vel cum periculo suscipi debere, mala autem, quaecunque deus hominibus imposuerit, forti animo magnoque ferenda esse? Discerpe isto modo in membra oratorum locos; nullum jam verbum, ne sententia quidem per se ulla aut Demosthenis, aut Ciceronis, aut aliorum in illustri laude ponetur. At Demosthenes justam omnium admirationem eo commovit, quod et loco maxime commodo, et verbis lectissimis non unam sententiam nescio quam, sed multas easque, dummodo conjungantur, longe optimas atque gravissimas breviter complexus est. *Nam finis quidem*, inquit summus orator, *omnium hominum vitae communis et idem*

propositus est, mors, licet cavea inclusum temet ipse custodias: decet vero bonos viros praeclara omnia in se semper suscipere, animis bona spe corroboratis, ferre autem, quidquid deus voluerit, animo virili. Sed Harpocratio Photiusque, qui *ἐν οἰκίσκῳ in parva domo* significare ineptissime profecto opinati sunt, plurimos deinceps nec eos solum gregarios traxerunt interpretes et ipsius Demosthenis, et scriptorum, quos supra dixi, caeterorum. At vero Demosthenes hyperbole, sive veritatis superlatione utitur, ut illa verba *κἂν — τις — τηρῇ* satis docent, atque hoc sentit „licet ejusmodi rem tentaris, quae effici nullo modo potest, ne sic quidem tu mortem effugies“: quam multi autem homines omni tempore in parva domo in tenui cubiculo cellulaque vixerunt? Jam praeclari nostri explicatores ita loqui jubent Demosthenem „nemo mortem evitabit quantumvis id fecerit, quod permulti faciunt quotidie,“ quae jam non est veritatis trajectio, sed oratio plena nugarum. Itaque *ἐν οἰκίσκῳ in quadam avium cavea* sine dubio declarat; haec est enim verissima hyperbole. Quocirca veram v. *οἰκίσκος* potestatem assecutus est Didymus ille, quem Harpocratio stulte reprehendit: sed tamen si Ulpianus plane hic Didymi sententiam reddidit, quum ita scriberet, *λέγει οὖν, ὅτι, κἂν μεταβάλλῃ τις τὴν δίαιταν, κἂν ὄρνις εἶναι νομίζηται, ἀποθανεῖται πάντως, καὶ μὴ δεικνὺς ἑαυτόν, ἀλλ' οὕτω κρυπτόμενος*, alium errorem Didymus commisit, ac vim comparationis justo extendit latius.

Nam ut omnis hyperbole e commoto dicentis animo, non e rei veritate metienda est, ita hic Demosthenes optime cavit, ne longior comparatio in vitium verteret: at Ulpianus germanam metamorphosin loquitur, sicuti Tereus in upupam aliique in alias aves mutati sunt; qui sermo humilis fuerit saneque abjectus, a tali autem loco tam splendido longissime abhorret. Ceterum fuerunt etiam, qui Didymi interpretationem simpliciter probarent, nullo tamen argumento in medium allato, ut ad Lucianum Gesnerus, et Hemsterhusius ad Pollucem X, 159.

Praeterea de Metagenis comoedia *Ἄὔραι* inscripta, unde itidem verbum *οἰκίσκος* ab Harpocratione profertur, habeo, quae post diligentem Meineckii operam Qu. Scen. II p. 52 sq. dicenda esse videantur: verum, ut opinor, non omnia decet effundere.

XI.

Scholiastes ad Plutum v. 84. — *Πατροκλέους* —) *εἷς ἦν τῶν τὸν Λακωνικὸν βίον ζηλούντων Ἀθηναίων, πλούσιος μὲν σφόδρα, ἄλλως δὲ κακόβιός τις καὶ φιλοχρήματος καὶ σκνιφὸς κωμῳδεῖται, ὡς ἐν Πελαργοῖς εἴρηται περὶ τούτου· ὅστις ἕνεκεν τῆς φειδωλίας οὐδένα προσίεσθαι εἴα φυλακῆς ἕνεκα τῶν χρημάτων καὶ γλίσχρου βίου.* Paullo meliorem scripturam habet Suidas, qui illud quoque scholium descripsit, *Πατροκλῆς: ὄνομα κύριον. καὶ παροιμία· ἐκ Πατροκλέους, ἐπὶ τῶν ῥυπώντων καὶ αὐχμηρῶν. Πατροκλῆς γὰρ ἐγένετο Ἀθηναῖος, πλούσιος σφόδρα, ἄλλως δὲ κακόβιός τις καὶ φιλοχρήματος καὶ σκνιπός· ὅστις ἕνεκεν τῆς φειδωλίας οὐδένα οἱ εἴα προσίεσθαι, φυλακῆς ἕνεκα τῶν χρημάτων καὶ γλίσχρου βίου.* — In Pelargis haec fere scripta erant, ut equidem conjicio, [11])

---

11) Retracto enim, quam alibi proponere memini conjecturam,

v v
v — v ὅστις ἕνεκα τῆς φειδωλίας
γλίσχρου βίου τ' οὐδένα προσιέναι [πώποτε]
εἴασεν οἱ, φυλακῆς ἕνεκα τῶν χρημάτων.

ut audaciorem neque in secundo quidem versu satis ad numeros suavem. Sed comparabam tum Nub. 835 *ὑπὸ τῆς φειδωλίας* maximeque Thesmophor. 932 — *στήσας φύλαττε, καὶ προσιέναι μηδένα ἔα πρὸς αὐτὸν* —. Non incommodus hic locus videtur de alia forma minus attica *φιδωλὸς* admonendi, qua non Aristophanes quidem, veruntamen Menander usus est in Adelphis. Photius p. 525, 9 *Μένανδρος· Ἐγὼ δ' ἀγροῖκος, ἐργάτης, σκυθρὸς, πικρὸς | Φειδωλὸς.* Male trimetros restituunt et Porsonus, cujus emendatio *πικρὸς, σκυθρὸς* inutilis est, et p. 8 Meineckius. Nam tetrametrum Menandro reddendum esse vel Terentii conversio declarat

Ὅστις ἕνεκεν φειδωλίας ἂν οὐδέν᾽ οἷ
εἶα προσικέσθαι, καὶ φυλακῆς τῶν χρημάτων,
γλίσχρου βίου τε (vel *τε βίου* —.

In his *οἷ εἶα προσικέσθαι* certum est: nam alia quaedam dubia videntur. Equitum versu 758

ἀλλὰ φυλάττου, καὶ πρὶν ἐκεῖνον προσικέσθαι σου,
πρότερον σὺ
τοὺς δελφῖνας μετεωρίζου —.

ubi *προσκεῖσθαί σοι, πρότερος* vulgo in Venetoque Cod. legitur, in Ravennate autem et Suida *προσικέσθαι σου, πρότερον* (sine *σὺ* in Rav.), repones, *προσικέσθαι σοι, πρότερον σύ* —. Cum hoc fragmento Aristophanis duo alia tam arcte cohaerent, ut non potuerint non in eadem fabula, adde etiam in loco communi, olim exstare.

Et alterum quidem Suidae debemus s. *Ἄχθομαι* — *Ἀριστοφάνης* — *καὶ Ἄχθομαι αὐτοῦ τῷ ῥύπῳ ἀντὶ τοῦ τῇ ἀνελευθερίᾳ καὶ μικρολογίᾳ. τὸν γὰρ ῥύπον ἐπὶ τῶν γλίσχρων καὶ ἀνελευθέρων ἐτίθεσαν. οὕτω γοῦν ῥυποκονδύλους λέγουσι τοὺς τοιούτους.* — Hausisse grammaticum e plenioribus ad Acharn. v. 63 scholiis, plane evincunt verba *τοῖς κόλποις* — *καὶ τιάραις*, quae etiam nunc in illo scholiasta leguntur. Sed Brunckius Dindorfiusque istud Aristophanis fragmentum *Ἄχθομ᾽ αὐτοῦ τῷ ῥύπῳ*, quamvis breve, negligere tamen non debuerunt. Suidas enim illud et prorsus tribuit Aristophani atque alii ejusdem poëtae versui subjungit, et postea certe e loco non diverso vocem *ῥυποκόνδυλος* affert, qua usum esse Aristophanem constat. Suidae glossam inde a verbis *Ἄχθομαι αὐτοῦ τῷ ῥύπῳ:* prodidit etiam grammaticus Bekkeri Anecd. p. 474, 19. omisso tamen nomine poëtae. Alterum invenimus in Phrynicho Bekkeri p. 43, 33., quem Moeris p. 201

itaque integrum in Photio versum habebimus. Scribendum est autem,

Ἐγὼ δ᾽ ἀγροῖκος, ἐργάτης, σκυθρός, πικρός, φιδωλός.

Forma *φιδὸς* pro *φειδὸς* non fugit Lexicographos, nomen *Φιδιτᾶς* est in Bekk. Anecd. p. 1186, adde sis Etymologum p. 791, 12. Apud Hesychium in *Φειδωλὸς* ante *Φίδνα* literarum series poscit *Φιδωλὸς* et habet Codex *Φίδωλος* (sic).

ad verbum descripsit, *Ἰξοί: ἐπὶ τῶν γλίσχρων καὶ φειδωλῶν. καὶ ἔοικε παρὰ τὸν ἶξὸν γενενῆσθαι τοὔνομα, ὅτι καὶ ὁ ἶξὸς γλίσχρος ἐστί. λέγει δ' Ἀριστοφάνης οὕτως· ἰξοί, ῥύποκόνδυλοι. ὅπερ σημαίνει καὶ αὐτὸ τοὺς γλίσχρους καὶ διὰ τὴν φειδωλίαν μήτε λουομένους μήτε νιζομένους.* Praeter Suidam verbum *ῥυποκόνδυλος* receperunt Eustathius p. 1828, 11 et Hesychius, in quo Musurus dedit *ῥυποκανδάλους:* pejus etiam, quam Codex *ῥυποκανδί.* Idem inter alia praelonga ac prope cubitalia Plato comicus usurpavit apud Eustratium ad Aristot. Eth. Nicom. p. 58, a.

Χαίρεις οἶμαι μεταπεττεύσας αὐτὸν διακλιμακίσας τε
Τὸν ὑπηνόβιον, σπαρτιοχαίτην, ῥυποκόνδυλον, ἑλκετρίβωνα.

Dixi jam alio in loco, fragmenta Aristophanis *Ἰξοὶ ῥυποκόνδυλοι* atque *Ἄχθομ' αὐτοῦ τῷ ῥύπῳ* ad Pelargos esse revocanda: quae res ob ambiguitatem argumentorum minus interdum expedita, hic tamen adeo facile demonstrari potest, ut nemo, qui modo sensum habuerit, a me dissensurus esse videatur. Sive enim versus, qui de Patrocle agunt, certissimo esse argumento debent, luculentam hominum avarorum ipsiusque avaritiae descriptionem Pelargis insertam fuisse, extrema in particulis istis avaritia describitur; sive verba singula consideraveris, Pelargorum versus *ἕνεκεν φειδωλίας — γλίσχρου* cum explicatione Phrynichi, partim etiam Suidae *γλίσχρους καὶ διὰ τὴν φειδωλίαν* apprime conveniunt; sive Patroclem in Pelargis nostris rideri cogitaveris, et Phrynichus suam glossam palam his verbis illustrat *μήτε λουομένους μήτε νιζομένους,* et Aristophanes hunc eundem Patroclem in omni vita ne semel quidem lotum esse miratur 12).

---

12) Hoc vitium in paucos homines cadebat, primum in Lacedaemoniorum simias (Avv. 1281 *ἐλακωνομάνουν ἅπαντες ἄνθρωποι τότε, ἐκόμων, ἐπείνων, ἐῤῥύπων, ἐσωκράτων —*) deinde vero in Socratem et in nonnullos de Socraticis (Nub. 835 *ὧν ὑπὸ τῆς φειδωλίας | ἀπεκείρατ' οὐδεὶς πώποτ' οὐδ' ἠλείψατο | οὐδ' εἰς βαλανεῖον ἦλθε λουσόμενος —*). Quodsi forte

Illa dico Comici verba in Pluto v. 84 *ἐκ Πατροκλέους ἔρχομαι, | ὃς οὐκ ἐλούσατ', ἐξ ὅτου περ ἐγένετο* ubi e joco Pluti dei *ἐκ Πατροκλέους ἔρχομαι* haud sane colligam, Patroclem, quo tempore Plutus posterior exhibita est, bonis subito amissis in paupertatem incidisse. Haud indocte ad versum Pluti Fischerus „Horum avarorum hominum facile princeps erat Patrocles. Unde exstitit proverbium *Πατροκλέους φειδωλότερος*, de homine divite, sed sordido et parco v. Apostol. Paroem. 18, 74 et Erasmus Adagg. p. 84." Deinde Spanhemium si audimus, in Avibus 790, ubi *Πατροκλείδης* memoratur,

εἴτε Πατροκλείδης τις ὑμῶν τυγχάνει χεζητιῶν,
οὐκ ἂν ἐξίδισεν ἐς θοἰμάτιον, ἀλλ' ἀνέπτατο,
κἀποπαρδών, κἀναπνεύσας αὖθις αὖ κατέπτατο.

ad eundem Patroclem, sordidum hominem, de quo Plutus mentionem facit, respici liquet. Spanhemii sententiam probat ad Aves Beckius, quod et uterque homo fuerit immundus, et patronymica interdum pro primitiis nominibus ponantur; nec sane ego improbaverim. Ceterum posterius argumentum magnam habet cautionem ne forte Neoclem aliquem, sive Themistoclis patrem, sive multo post Epicuri sive alium cum Neoclide demagogo temere commisceas. Attamen cave Scholiastam omittas, *Πατροκλείδης) δοκεῖ μὲν Πατροκλείδης πολιτικὸς εἶναι καὶ λόγιος, ἄλλως κατασχημονῶν τῶν στρωμάτων, διὸ καὶ Χεσᾶς ἐλέγετο.* Vere haec omnia pronuntiari, indicium faciunt Pollux V, 91 — *χέσαι· ὅθεν καὶ χεσᾶς Πατροκλείδης* itemque Eustathius p. 1000, 12 — *καθὰ καί τις ἕτερος διάῤῥοιαν πάσχων γαστρὸς, Χεσᾶς ἐλέγετο.* Recte interpretatur Eustathius; eodem enim morbo sanequam foedo Patroclides laborabat, quo Cinesias secundum Ar. Ran. 366. Eccles. 330, Gerytad. Fr. I aliosque scriptores.

Patrocles frater fuit Socratis, non tam proprii vitii aut sui culpam parens philosophiae illotus sustinet, quam totius familiae atque gentis.

Diutius paullo in memoria Patroclis dicam anne Patroclum moramur Socratis potissimum causa. Etenim ex Euthydemo Platonis p. 444, 12 B (p. 297, E) perspicitur, Patroclem quendam Socratis fratrem uterinum fuisse ob Phaenaretam obstetricem matrem utriusque: patribus enim diversis nati erant, Chaeredemo Patrocles, Socrates autem Sophronisco. Jam Spanhemius l. l., quod tempora mire congruant, Aristophanis Patroclem a Socratis fratre non putat distinguendum esse; Beckius hanc rem non audet decernere, alii denique ajunt, alii etiam negant. Addere poterat Spanhemius, Comici Patroclem a scholiasta *κακόβιόν τινα* dici, atque sic plane Socratis fratrem non videri hominem optime moratum fuisse, siquidem et mirum Xenophontis caeterorumque de hoc viro silentium ostendit, Patroclem Socrati non admodum fraterno amore conjunctum esse et apud Platonem l. l. ipse philosophus fratris stultitiam his verbis exagitat, *ὁ δ' ἐμὸς Ἰόλεως Πατροκλῆς εἰ ἔλθοι, πλέον ἂν θἄτερον ποιήσειεν.* Nos utrum Socratis fratrem, an alium quendam Patroclem riserit Aristophanes, in medio relinquamus.

Neque enim Patroclis nomine rebusque gestis defuncti sumus; adhuc restat Patrocles statuarius. Hic a Plinio A. N. XXXIV, 19 cum Canacho aliisque ad XCV^tam^ Olympiadem refertur, idemque a Pausania commemoratus est X, 9, 4 *Πατροκλέους δὲ καὶ Κανάχου φασὶν ἔργα*, ubi Bekkeri Codex pro *δὲ καὶ* substituit *δὲ ει οἱ αι* (*καὶ?*), id est non quidem *δὲ εἶναι καί*, ut Boeckhius et Bekkerus censent, sed *δὲ ἔνιοι καὶ* —. Hemsterhusius igitur ad Luc. Somn. c. 12 Patroclem statuarium a Socratis fratre *ὁμομητρίῳ*, quia temporis ratio satis conveniat, non esse diversum opinatur. Hic singulare alioqui magni viri judicium valde desidero. Namque et Atheniensem omnino hunc Patroclem fuisse, prius certe demonstratum oportebat, quam eum fratrem exstitisse Socratis (nemo unus autem Patroclem statuarium civem Atticum fecit), et illud plane miror, non expunxisse conjecturam istam Hemsterhusium, sed haec potius ad-

didisse satis profecto confidenter „alius est sine controversia Patrocles, cujus *Pausan.* meminit VI p. 457 (hoc est VI, 3, 4 fin.).“ Ipsa Pausaniae verba videamus: ἡ δὲ εἰκὼν ἐστι τοῦ Ἀριστοδήμου, inquit, τέχνη Δαιδάλου τοῦ Σικυωνίου, μαθητοῦ καὶ πατρὸς Πατροκλέους. De variis interpretum et criticorum erroribus tacere praestat: obsidet autem hunc locum vitium prorsus intolerabile. Aut enim sic dicendum erat, μαθητοῦ καὶ υἱοῦ Πατροκλέους, aut sic ὃς ἦν διδασκάλου καὶ πατρὸς Πατροκλέους, quemadmodum paullo post scriptum est, Σικυώνιος Κάνθαρος, Ἀλέξιδος μὲν πατρός, διδασκάλου δὲ ὢν Εὐτυχίδου. Ut quidem nunc est, necessario Daedalus fuisse tradetur et discipulus et idem pater Patroclis, uti exposuit Sylburgius: quod apparet quam sit absurdum. Equidem videor certa propemodum emendatione hunc errorem sustulisse. Deleto enim verbo πατρὸς ita legendum est, μαθητοῦ Κανάχου καὶ Πατροκλέους. Scilicet quum Κανάχου semel excidisset, quod inter verba μαθητοῦ atque καὶ accidere poterat facillime, librarii sive inepta conjectura, sive obvio errore ducti mutila verba μαθητοῦ καὶ Πατροκλέους ridicule mutarunt in lectionem Codd. atque Edd. μαθητοῦ καὶ πατρὸς Πατροκλέους. Genitivum vero Κανάχου res ipsa plane efflagitat. Namque non modo Plinius l. l. nomina „Canachus, Patrocles“ continuo ordine locavit, verum etiam Pausanias l. l. ita eos copulavit, ut communia artis opera utrique simul tribueret; postremo hos viros etiam cives fuisse (quin quidem aequales fuerint, dubitat nemo) nullo negotio demonstraveris. Nempe Canachum Canachosve omnes dixerunt Sicyonium nullo prorsus dissentiente; Patrocles vero tum saepius cum Canacho Sicyonio arcte consociatur, tum etiam Daedali Sicyonii magister fuit, id est videlicet ipse fuit Sicyonius. Tantum igitur abest, ut Patroclem statuarium pro Socratis fratre haberi liceat, ut Sicyone, non Athenis vitam egerit. Nam quod Hemsterhusius, secus atque omnes alii VV. DD., Pausaniae Patroclem a statuario discerni vult, refutatur et ipsa arte

statuaria, et nomine Patroclis simpliciter posito, et Daedali discipuli mentione, qui iisdem vixit temporibus. Quae quum ita sint Patroclem statuarium, civem Sicyonium, neque vero Atheniensem, ab hac disputatione nostra rectissime segrēgabimus 13).

Sed aliquando finem. Itaque remoto statuario hosce Patrocles eodem tempore vixisse Athenis reperiemus, primum Patroclem, hominem ditissimum maximeque avarum, et immundum, vita etiam turpi atque contemta, deinde Patroclidem oratorem, virum multum ac diu in republica versatum, eundem sordidum atque ejusmodi, qui fluentem alvum aegerrime contineret, denique Patroclem, Socratis fratrem, uterinum sine dubio, stolidum hominem, fortassis etiam malis praeditum moribus. Quos si non tres, at duo certe diversos homines mihi videri profiteor, neque tam, quomodo ista omnia constipem hominesque in unum confundam, laboro, quam potius, quomodo eos recte disjungam, animi pendeo. Huc accedit, quod Patroclis nomen tum Athenis, tum in aliis partibus Graeciae valde pervagatum fuit. Namque ut omittamus Patroclem Sicyonium, haud sane ignobilem virum, ac praeterea alios duo Patrocles Athenienses, a quibus supra profecti sumus, notissimus homo est *Πατροκλῆς Φλυεὺς* apud Demosthenem De Corona p. 233, 17 B., neque admodum obscurus Patrocles, statuarius, Catilli f. Crotoniates apud Pausan. VI, 19, 6. Alios his adderem Patrocles, nisi res vel sic satis videretur manifesta.

XII.

Scholiasta ad Plutum v. 665. *εἷς μέν γε Νεοκλείδης*) *εἰς πολλὰ κεκωμῴδηται· εἰς ῥήτορα καὶ τὰ δημόσια κλέ-*

13) Idem Hemsterhusius l. l. „Phaenareta — obstetrix, *primum* ut quidem videtur, Sophronisco marmorario nupta, Socratem, *deinde* Chaeredemo Patroclem peperit.“ Hoc etsi totum conjecturae ope inventum est, altero tamen probabilius esse arbitramur.

ποντα καὶ ξένον, καὶ τὰς ὄψεις λελωβημένον. εἴρηται δὲ καὶ ἐν Πελαργοῖς περὶ αὐτοῦ, ὅτι ῥήτωρ καὶ συκοφάντης.

Digna sunt, quae adscribantur, verba Hemsterhusii. „Intelligi potest, inquit, vel ipsum Aristophanem in *Πελαργοῖς* Neoclidae meminisse, tanquam rhetoris et sycophantae; vel de illo homine, notissimo calumniatore, plura fuisse in scholiis ad eam fabulam dicta.“ Vellem h. l. vir egregius alius scholii meminisset nostro simillimi ad Plut. v. 210 *Λυγκεὺς, ὡς αὐτὸς ἐν Δαναΐσι φησίν, υἱὸς Αἰγύπτου. ἐροῦμεν δ' ἐκεῖ τὰ περὶ αὐτοῦ* —. Quemadmodum enim alter scholiasta certissime hoc sibi vult: „de Lynceo in nostris ad Danaides scholiis plura dicemus“: ita etiam illae voces *εἴρηται δὲ καὶ ἐν Πελαργοῖς περὶ αὐτοῦ* — non sane aliter explicandae sunt, nisi hoc modo: „dictum est etiam in nostris ad Pelargos scholiis de Neoclide rhetore et calumniatore.“ Sed etsi de scholiis suis loquitur Graeculus, tamen profecto Neoclides non minus in ipsa Pelargorum fabula, quam in scholiis ad eam adscriptis memoratus erat: scholiastae enim fabulam exponere solam consueverunt, neque vero, ut hodie multi VV. DD., ubique immiscent aliena. Ac scholia comoediarum bene multarum, quae hodie deperditae sunt, aliquando exstiterunt; de Pelargis quidem res haud dubia est, paullo minus liquet de Danaidibus, incertumque videtur, utrum iste homo scholia vere scripserit, an tantum voluerit scribere, certo autem novimus scholia in Eupolidis Aureum Genus e schol. ad Vesp. v. 1301 *ὁ δὲ ἄχυρος παρ' Εὐπόλιδι ἐν Χρυσῷ Γένει, ὅπου καὶ τὸ Πλάτωνος παράκειται ἐξ Ἀδώνιδος*, de quo l. ad Nubes I. disputasse videor atque ibidem scholia, quae olim ad Maricantem scripta erant, paucis tetigisse. Peringeniose vero idem Hemsterhusius suspicatur, e Pelargis maxime sumtum proverbium illud adnotasse Suidam videri, *Νεοκλείδου κλεπτίστερος: οὗτος κεκωμῴδηται, ὡς ῥήτωρ ἦν καὶ τυφλὸς καὶ συκοφάντης καὶ κλέπτης. Ἀριστοφάνης·* (deinde subjungit Plut. v. 665. 666.). Quin hoc proverbium e comoedia fluxerit, nullus equidem dubito, scimus prae-

terea, Neoclidem in Pelargis fuisse notatum, attica forma *κλεπτίστερος* in Aristophanem convenit dixitque ipse *κλεπτίστατον* in Pluto v. 27, (pulchre autem de hoc formandi genere disserunt Porsonus ac Dobreus ad Aristoph. p. 244 sq. ed. Cantabr.), denique *Νεοκλείδου κλεπτίστερος* cum Aristophanico Ran. 91 *Εὐριπίδου — λαλίστερα* comparare licet. Sed quoniam Neoclides tum ab aliis illorum temporum poëtis comicis haud dubie irrisus erat, tum fortasse iterum ab Aristophane aliis in dramatis, quae perierunt [14]), et quoniam Suidas non modo fabulae no-

14) Hujus tamen rei nullum hodie habemus vestigium, nisi cui forte placebit, Neoclidi nostro falsum Hippoclidem comice substitutum esse. Hesychius *Ἱπποκλείδης: οὕτω κακοσχόλως* (Codex *κακοσχόλη*) *τὸ τῆς γυναικὸς μόριον Ἀριστοφάνης εἶπεν.* Photius III, 25 *Ἱπποκλείδην: τὸ γυναικεῖον αἰδοῖον, παρὰ τὸ ἱππεύειν.* Omitto alios Hippoclidas, in his unum omnium facile notissimum, saltatorem antiquum (v. Herodot. VI, 129) proverbii illius *Οὐ φροντὶς Ἱπποκλείδῃ* auctorem et quasi parentem; nullum tamen scio Hippoclidem, qui ad illud tempus congruat. Quare nomen hominis cujusdam libidinosi leviter inflexit Aristophanes neque id integrum retinuit, sicuti in Ranis v. 430 *Ἱππoβίνου* pro *Ἱππονίκου* aliaque generis ejusdem finxit jocose. Sed quoniam Neoclidae saepissime mala eloquentia, calumniae, peculatus, externa origo, caecitas oculorum, nusquam vero libidines objiciuntur: forsitan praestiterit misso jam Neoclide, comicum istum Hippoclidem de Hieroclide interpretari, homine nequam, quem Hermippus in Cercopibus et Phrynichus in *Κωμασταῖς* perstrinxerant, alius autem Comicus, et is fortasse Aristophanes ob adulationem rapinasque eum mutarat in *Κολακοφοροκλείδης* vel *Κοράκο* — teste Hesychio s. v. Quemadmodum vero cunnus nunc Hippoclides dicitur cum ludibrio Neoclidae, aut Hieroclidae, aut denique alius Pseudohippo-clidae, ita Aristophanes idem membrum novo nomine etiam *τὸν δορίαλλον* appellarat, ut Dorillum, tragicum poëtam, risui exponeret, modo veteres grammatici fragmentum *Αἱ γυναῖκες τὸν δορίαλλον φράγνυνται* satis recte exposuerint. Illud certe miror, qui factum sit, ut Brunckius Dindorfiusque hoc fragmentum sine ulla dubitatione ad Lemnias referrent. Tametsi enim perfacete Comicus ita verbi causa scribere potuit,

men, sed ne scriptoris quidem addidit: aliud quiddam, quo mire placeat Hemsterhusii conjectura, non dissimulabo. Nam primum et a scholiasta ad Plut. v. 665 afferuntur Pelargi, et a Suida sub illo lemmate vicissim affertur ille ipse Pluti versus 665; atqui ista saepenumero in scholiis vetustis sic reciprocantur: deinde scholiasta, ut ipse ait, in scholiis ad Pelargos monuerat, *ὅτι ῥήτωρ (ἦν) καὶ συκοφάντης*, quod ipsum prorsus in explicatione

---

Αἱ δὲ γυναῖκες τὸν δορίαλλον φράγνυνται τῷ γε Δορίλλῳ. „mulieres autem clausam et quasi obsignatam habent naturam, certe quidem clausam Dorillo“: tamen verba *ὁ δορίαλλος* atque *Δόριλλος* non uno loco consociata fuisse, paene certum est ex eo, quod grammatici praeter illam de Dorillo explicationem alias quoque proferunt, minime illas quidem credibiles, sed multum tamen diversas. Nec quisquam fragmentum *τὸν δορίαλλον* Lemniis adsignat, imo Hesychius, qui unus hic Lemnias nominavit, duo Comici verba accurate disjungit, alterum sedis incertae *δορυαλλὸς* cunnus, alterum e Lemniis petitum, in quo Dorylli tragici mentio facta erat (*ἢ ἐφ' ὕβρει τοῦ τραγῳδοποιοῦ Δορύλλου, οὗ μέμνηται ἐν Λημνίαις*). Quocirca vix mihi persuadere possum voces *Αἱ* [*δὲ*] *γυναῖκες τὸν δορίαλλον φράγνυνται* recte atque ordine Lemniis esse tributas; ac potius, si tamen conjectura faciunda est, lubens eos Thesmophoriazusis addixerim posterioribus, in qua fabula mulieres sacrorum causa a venere abstinebant. Veruntamen illud planissime credo naturam *τὸν δορίαλλον* ob Dorillum tragicum hic nuncupari, tum quod jocus liberalis est et duo soni conveniunt, tum quod hic idem Dorillus in Lemniis plane commemoratus erat, tum etiam quia nihil similius fieri potest hisce duabus glossis, *Ἱπποκλείδης* pro [*Νεο*]*κλείδης* cunnus, et *δορίαλλος* pro *Δόριλλος* cunnus; utrubique enim homines peni valde dediti ridentur nomine paullum immutato. Nec sane intelligas, quonam alio modo *τὸν δορίαλλον* naturam feminae explicare nobis liceat. Absurde enim grammatici *δορίαλλος* etiam sive a verbo *δέρειν* ducunt, sive ad pilos cunni evulsos trahi cupiunt. Addam ipse, quo non magis Aristophanes videtur allusisse, urbem Phrygiae aliter apud alios scribi solitam *Δορυλάειον*, *Δορύλειον*, *Δορύλαιον*, *Δορυλάϊον*, de qua Tittmannus disseruit ad Zonaram p. 564.

posuit Suidas, *ὡς ῥήτωρ ἦν — καὶ συκοφάντης.* Verisimile est igitur, lemma illud *Νεοκλείδου κλεπτίστερος* e Pelargis ipsis, reliqua autem, quae apud Suidam sunt, e scholiis Pelargorum manasse. Sequitur, ut de locis aliquot superstitum fabularum, in quibus Neoclidem vexavit Aristophanes, nonnihil adjiciam. Neque vero Neoclides iste exagitatur nisi in Ecclesiazusis Plutoque, fabulis omnium prope ultimis. Et hoc illud est, quod supra dixi, Pelargos sine controversia postremis Comici operibus adscribi debere. Nemo enim eorum, quos in Pelargis reprehensos esse sciam, ad superiorem aetatem revocari potest, atque omnes potius in ultima incidunt Aristophanis tempora, Meletus, Patrocles, Neoclides, apteque Scholiasta duobus in locis Pluto secundo adjunxit Pelargos, recentem fabulam omnium paene novissimae.

Primum igitur in Ecclesiaz. v. 255 haec leguntur,

ΓΥΝΗ Α. τί δ' ἦν Νεοκλείδης ὁ γλάμιων σε λοιδορῇ;

ΠΡΑΞΑΓΟΡΑ. τούτῳ μὲν εἶπον εἰς κυνὸς πυγὴν ὁρᾶν.

Bene vidit Dindorfius, *εἶπον* pro Imperativo habendum esse, sed ob hanc ipsam causam totum versum alteri mulieri (*Γυναικὶ* B), quae etiam paullo post v. 263 loquitur, necessario tribuere debebat. Nam haec subito pro duce sua respondet ipsique Praxagorae praecepta dat: Neoclidem quidem, inquit, jubeas censeo canis nates intueri. Itaque nunc oculorum potissimum morbus ridetur. Sed verba *Νεοκλείδης ὁ γλάμιων* in memoriam mihi redigunt Capreas Eupolidis, ap. Schol. Vesp. 897 *τὴν πανδοκεύτριαν γὰρ ὁ γλάμιων ἀνὴρ | ἔχει.* Diximus autem jam alibi, videri Archedemum magis, quam Neoclidem ab Eupolide illusum esse. Uberius idem vitium in Neoclide castigatur Ecclesiaz. v. 396 sqq. *ΧΡΕ. τί δ' ἄλλο γ' ἢ | ἔδοξε τοῖς πρυτάνεσι περὶ σωτηρίας | γνώμας καθεῖναι τῆς πόλεως. κἄτ' εὐθέως | πρῶτος Νεοκλείδης ὁ γλάμιων παρέρπυσεν. | κἄπειθ' ὁ δῆμος ἀναβοᾷ πόσον δοκεῖς, | ὡς δεινὰ τολμᾶν τουτονὶ δημηγορεῖν | καὶ ταῦτα περὶ σωτηρίας προκειμένου, | ὃς αὐτὸς αὑτῷ βλεφαρίδ' οὐκ ἐσώσατο. | ὁ δ' ἀναβοήσας*

καὶ περιβλέψας ἔφη· | „τί δαί με χρὴ δρᾶν;“ ΒΛΕ. σκόροδ' ὁμοῦ τρίψαντ' ὀπῷ | τιθύμαλλον ἐμβαλόντα τοῦ Λακωνικοῦ, | σαυτοῦ παραλείφειν τὰ βλέφαρα τῆς ἑσπέρας, | ἐγωγ' ἂν εἶπον, εἰ παρὼν ἐτύγχανον. Restant aliquot versus Pluti fabulae, quorum primus ille ipse est, ad quem scholiastae Pelargos compararunt, 665 εἷς μέν γε Νεοκλείδης, ὃς ἐστι μὲν τυφλός, | κλέπτων δὲ τοὺς βλέποντας ὑπερηκόντικεν. Quam sit in simillima sententia dissimilis tamen tragici et comici oratio, ostendit Sophocleum illud, quod non fugit Bergleri diligentiam, Oed. T. 389 δόλιον ἀγύρτην, ὅστις ἐν τοῖς κέρδεσιν | μόνον δέδορκε, τὴν τέχνην δ' ἔφυ τυφλός. Postremo de Neoclide agitur in eadem fabula inde a vs. 716—726 atque etiam v. 747 verbo ille commemoratur. Sed quoniam liberum est nostrum disputandi genus, ne hoc quidem praeteribo. Dicitur enim Aesculapius deus fugientem Neoclidem v. 725 his verbis derisisse,

ἐνταῦθα νῦν κάθησο καταπεπλασμένος,
ἵν' ἐπομνύμενον παύσω σε τὰς ἐκκλησίας.

Posterior versus incredibile memoratu est, quantum negotii interpretibus jam dudum exhibuerit. Mihi quid videatur, paucis aperiam.

Omnino dicit Aristophanes illud judicii genus, quod luculenter descriptum est a Polluce VIII, 44 Παρανόμων δὲ (ἦν δίκη), εἴτις ψήφισμα γράψαι ἢ νόμον παράνομον. ὑπομοσάμενος γάρ τις τὸ γραφέν, οὗ ἡ κατηγορία ὑπωμοσία ἐκαλεῖτο, διήλεγχεν, ὅτι ἐστὶ παράνομον ἢ ἄδικον ἢ ἀσύμφορον. et § 56 ὑπωμοσία δέ ἐστιν, ὅταν τις ἢ ψήφισμα ἢ νόμον γράφοντα γράψηται, ὡς ἀνεπιτήδειον. τοῦτο γὰρ ὑπομύσασθαι λέγουσι. καὶ οὐκ ἦν μετὰ τὴν ὑπωμοσίαν τὸ γραφέν, πρὶν κριθῆναι κύριον. sed non ideo omnium lectio subsidiorum ἐπομνύμενον cum viris quibusdam doctis in ὑπομνύμενον mutanda est. Actio enim παρανόμων sive ὑπωμοσία non solum ante suffragia interponebatur (Xenoph. Hellen. I, 7, 12.) verum etiam latis jam suffragiis institui poterat, quo facto populus iterum in suffragia mittebatur (Xenoph. ibid. § 34 τούτων δὲ διαχει-

ροτονουμένων, τὸ μὲν πρῶτον ἔκριναν τὴν Εὐρυπτολέμου, ὑπομοσαμένου δὲ Μενεκλέους, καὶ πάλιν διαχειροτονίας γενομένης, ἔκριναν τὴν τῆς βουλῆς.). Jam ut prior illa actio necessario ὑπωμοσία dicenda erat, ita haec posterior, licet ipsa quoque interdum hoc nomine notata sit, haud dubie tamen accuratius ἐπωμοσία appellatur. Ita res ipsa plerumque dicitur ὑπωμοσία et ὑπόμνυσθαι, quod proprie valet *ante* jurare, scilicet priusquam cives in suffragium mittantur, ἐπωμοσία vero atque ἐπόμνυσθαι est *postea* jurare, sive inito jam suffragio, re jam perlata et a populo confirmata tum demum jurejurando intercedere; quam calumniam plebes vehementer oderat. Id igitur saepius fecerat iste Neoclides, indignante id quidem hic Aristophane, in quo τῆς ἐκκλησίας lectio vulgaris, sive rectius conjectura librariorum, qui verba παύσω σε τῆς ἐκκλησίας perverse copularant, probari nullo modo potest. Imo vero legi debet Ravennatis, Veneti et aliorum quorundam Codd. apud Dobreum auctoritate τὰς ἐκκλησίας, breviter dictum est ἐπομνύμενον — τὰς ἐκκλησίας praegnanti locutione pro τῷ ἐπόμνυσθαι (τῇ ἐπωμοσίᾳ) κωλύοντα (ἐμποδίζοντα) τὰς ἐκκλησίας, totiusque versus sententiam recte ita declaraveris: *Ne tibi amplius in posterum liceat, jurejurando intercessioneque populi conciones impedire.* De actione legum male rogatarum haud male exposuit Schoemannus De Comitt. Athen. p. 159—170 et maxime p. 164. 165., sed de hoc tamen loco multum male tricando nihil bene extricavit collega suavissimus, p. 162. 163., ipse enim, ut fit, criticam legem nimium male rogat, vel quod illud ἐπομνύμενον probabiliter explicatum iri desperat, vel quod cum Brunckio aliisque hunc versum ita scribendum esse decernit, Ἢν ὑπομνύμενον παύσω σε τῆς ἐκκλησίας.

Unus omnium interpretum, qui, licet h. l. non prorsus recte exponeret, haud longe tamen a vero abesset, Luzacius fuit, quantum colligo e Beckii verbis hisce: „Sed ὑπωμοσίας in foro attico omnes *dilationes*, aut *exceptiones dilatorias*, jurejurando interposito probatas,

dictas esse, et jusjurandum calumniae, quod dilationem decreti vel legis petente accusatore, pignus erat causae ad Heliastas deferendae appellatum esse *ἐπωμοσίαν*, ostendit Luzac. Not. ad Or. de Socrate cive p. 119." Ceterum Nub. v. 1177, ubi vulgo legitur, *ἔωθεν ὑπανιῷντο τῇ νουμηνίᾳ*, certissime ita scribi debere,

ἔωθεν ὑπομνύοιντο τὴν νουμηνίαν.

in Commentariis nostris ad illam fabulam ostensum est. Aliquid praeterea addam de v. 720 *ὄξει — Σφηττίῳ*. Didymi explicationem habent Athenaeus II, 67, d., Hesychius s. *Ὄξος Σφήττ.*, Photius 330, 25., Etym. M. 738, 44., sed omnes fere concedunt, Didymum opinionem suam, non historiae fidem sequutum esse. Ergo nobis quoque licebit, nostram quandam conjecturam sequi et suspicari potius, Neoclidem fuisse Sphettium, qui fuit pagus tribus Acamantidis. Hanc suspicionem quodammodo corroborare videtur illud v. 718 *σκορόδων — Τηνίων*, de quo hic disputare longum est. Certe Sphettii plane alia flagrabant infamia, non ista nescio cujus acrimoniae. Lepidissime jocatus est Aristophanes Nub. v. 157 *ἀνήρετ' αὐτὸν Χαιρεφῶν ὁ Σφήττιος, | ὁπότερα τὴν γνώμην ἔχοι, τὰς ἐμπίδας | κατὰ τὸ στόμ' ᾄδειν, ἢ κατὰ τοὐρρόπυγιον.*, sed VV. DD. hunc jocum non perceperunt. Tametsi enim revera Sphettius fuit Chaerephon, ut discimus e Schol. Platon. p. 331 Bekk. atque etiam aliunde, tamen ob certam causam nec sane levem pagus hominis nunc adjicitur. *Ὁ Σφήττιος* enim jam tantundem valet ac paederastra, cujus nimirum maxime erat quaerere de podicibus (*ἢ κατὰ τοὐρρόπ.*) et in hac potissimum cura toto animo versari. Praeclare Eustathius p. 741, 26 — *καθὰ καὶ οἱ Σφήττιοι ἐπὶ ἀγριότητι· ὅθεν ὁ Χαιρεφῶν Σφήττιος ἔσκωπται.*

Attulimus ea Aristophanis fragmenta, quae grammatici vel scholiastae addito Pelargorum nomine tradiderunt. Sin tamen alicui divinationis aleam jacere lubet, parvulas illas opes aliis quibusdam augebit, quae et certiores multo, et plures et aliquanto graviores essent, si totius comoediae

argumentum restituere nobis contigisset. Initium faciam a Polluce X, 156 *πέτευρον δέ, οὗ τὰς ἐνοικιδίας ὄρνιθας ἐγκαθεύδειν συμβέβηκεν, Ἀριστοφάνης λέγει· ὥσπερ καὶ κρεμάστραν ἐν ταῖς Νεφέλαις.* Photioque p. 426, 12 *Πέτευρον: πᾶν τὸ μακρὸν καὶ ὑπόπλατυ καὶ μετέωρον ξύλον. Ἀριστοφάνης ἐν τῷ ε.* In Nubibus quidem sive prioribus sive alteris *πέτευρον* non inventum esse apparet; nos vero id vocabulum tenui illo quidem, sed tamen aliquo indicio usi vel ad Pelargos, vel ad Holcades revocare possumus, in qua utraque fabula cognati nominis *οἰκίσκος* mentio injecta erat. Fingamus etiam, id quod neque demonstrare in proclivi est, nec refellere, verbum *ἀντιπελαργεῖν* e nostra fabula emanasse. Suidas *Ἀντιπελαργεῖν: παροιμία ἐπὶ τῶν τὰς χάριτας ἀντιδιδόντων. καὶ Ἀντιπελάργωσις.* De eo plura Zenobius Adag. XCIV. ibique Schottus; compara etiam simillimum Aristophanis locum Avv. 1354 — 1360. Plus tribuam alii conjecturae, quae Pollucis testimonio nititur IV, 114 *καὶ Ἀριστοφάνης πού φησι· Φθέγξαι σὺ, τὴν φωνὴν ἀναστοιχήσας ἄνω. ὃ δ' αὐτὸς καὶ „φθέγμα κεκράτηκε“* Hic pro *ἀναστοιχήσας* Falkenburgius habet, nimirum e Codice suo, *ἀνατειχήσας*, quod proxime ad verum accedit, *φθέγξαι σὺ, τὴν φωνὴν ἀνατειχίσας ἄνω.* Nondum has duas particulas in fragmentorum Comici numero Brunckius Dindorfiusque reposuerunt; ego ut senarium certe priorem non nolim Pelargis reddere, hac maxime causa moveor. Omnes fatebuntur, permiram esse ac paene subabsurdam hujuscemodi orationem, *τὴν φωνὴν ἀνατειχίζειν ἄνω, vocem quasi murum aliquem, in altum exstruere:* quae offensio tum sublata est, si quis forte unum e Pelargis allocutus erat, hominem rauca et submissa voce utentem; veteres enim Pelargi murum arcis, altissimum illum, aedificarant, adeo ut novitius jam Pelargus suorum similis esse, suam ipsius gentem imitari jubeatur. Sed quoniam Lexicographi vulgo praecipiunt, *ἀνατειχίζω, ἀνοικοδομῶ* significare tantum, *muros iterum exstruo, reaedifico*, admoneo, his verbis interdum etiam hanc vim subjectam esse,

in altum moenia exstruo, aedes attollo. Aristophanes in Pace v. 100 *τοῖς ἀνθρώποις τε φράσον σιγᾶν | τούς τε κοπρῶνας καὶ τὰς λαύρας | καιναῖς πλίνθοισιν ἀνοικοδομεῖν, | καὶ τοὺς πρωκτοὺς ἐπικλείειν.* Quid de h. l. Schaeferus, gravis censor aliorum, Hermanni adeo obtrectator, sui vero laudator unicus? Negat ad Plutarchum T. V p. 140. *ἀνοικοδομεῖν* hic tolerari posse, suscipit autem *ἀποικοδομεῖν*, deceptus hac Dindorfii adnotatione „*γρ. ἀποικοδ.* margo ed. Florentis.“ At dura videatur ea Critice necesse est, quae universae Atheniensium civitati latrinas *obstruat* (hoc enim esset *ἀποικοδομεῖν*), atque Atticos cives ad unum omnes jusserit in propatulo cacare, quod jam ne rustici quidem nostri faciunt unquam, nisi praesentissima necessitate coacti. Adeone nesciebat Schaeferus, *ἀνοικοδομῶ* etiam *sursum, in altum aedifico* declarare?

Atqui id nullo negotio discere poterat ab Aristophane Vesp. 802 *ἠκηκόειν γὰρ ὡς — κἀν τοῖς προθύροις ἀνοικοδομήσοι πᾶς ἀνὴρ | αὑτῷ δικαστηρίδιον μικρὸν πάνυ —*, ubi proxime verum *ἀνοικοδομήσει* habent Ravennas et ed. Juntina II, omnium in Vespis quidem facile optima; nam inepte *ἐνοικοδομήσει* substituunt Cod. Venetus, duo Brunckiani multaeque Edd. vetustae. Qui si Aristophanem parum noverat, cur non saltem evolvebat Lycurgum in Leocrat. p. 128, 9. Bekk. *τὴν θύραν ἀνοικοδομήσαντες?* Ac mittimus Lycurgum, etiamne illius fragmenti erat oblitus, *φθέγξαι σὺ, τὴν φωνὴν ἀνατείχίσας ἄνω?* Illud denique minus etiam committendum erat, ut alium ejusdem fabulae versum negligeret, Pac. 207, *αὐτοὶ δ' ἀνῳκίσανθ' ὅπως ἀνωτάτω*, qui scilicet ad hoc idem genus debet revocari. Denique de eo fragmento, quod Stephanus Byzantius s. v. *Βρέττος* conservavit, *Ἀριστοφάνης·*

Μέλαινα δεινὴ γλῶσσα Βρεττία παρῆν.

alio loco a nobis disputabitur. Plane enim existimo, hunc senarium Aristophani, non recentiori cuidam poëtae

tribuendum esse versumque, quasi in pristinam sedem, sic ad Pelargos maxime reduco: sed haec quidem res plurima verba requirit; nunc autem scribendo nos defatigati sumus.

DE

SOCRATE VETERUM COMICORUM

DISSERTATIO.

ORATIO

D. X. MENS. DECEMBRIS A. MDCCCXXXII

ROSTOCHII

IN AUDITORIO ACADEMIAE MAXIMO

HABITA.

Nulla ratione vel hujus diei gravitati, vel Vestrae ipsorum exspectationi melius mihi videor responsurus esse, quam si ex interioribus literis orationem deprom-sero. De omnibus enim Aristophanis fabulis una maxime summorum virorum industriam exercuit ingeniumque elusit nobilis illa (*Nubes* dicitur), quae scripta est in Socratem. Non quo Socratem ab Aristophane in scena irrisum esse, quisquam mirari posset: quippe quum huic philosopho alii illorum temporum Comici non magis pepercissent, sed in eo magnopere laboratur etiamnum, quod Aristophanem tanta crudelitate in hominem inno-centissimum saevire videmus, ut ab Anyto 1), qui Socra-tem multis annis post capitis arcessivit, haud ita longe abhorrere videatur, tum quod philosopho persona tam a vero aliena imponitur, ut e comico Socrate Socrates ipse propemodum sublatus sit, denique quod haec omnia in Aristophane potissimum animadvertimus, hoc est eo poëta,

---

1) In superstitibus fabulis et in fragmentis saepe ridetur Alci-biades, interdum Meletus, nusquam vel Critias, vel etiam Anytus. Sed mihi convenit cum *Sueverno* p. 66, ubi Cri-tiam crebro ab Aristophane vexatum fuisse contendit.

qui quum pro excellente ingenii magnitudine suas cuique partes mira veritatis imitatione attribuere soleat, tum etiam propter patriae amorem, justitiam aliasque virtutes de civibus suis, doctis praesertim, alibi verissime judicaverit. Quamobrem hac dicendi opportunitate sic utar, Auditores, ut primum doctissimorum hominum sententias, meo quodam interposito judicio, singulas aut certe praecipuas enumerem, deinde vero, quidnam ego de hac re, non solum difficillima, verum etiam gravissima jamdiu ipse sentiam, paullo accuratius declarem. Antiquissima maximeque pervulgata opinio est eorum, qui originem comoediae Socrati infestae ab insta Aristophanis malitia nescio qua repetendam esse censent: veruntamen ea post *Wielandium* nullum, quem quidem operae pretium sit commemorare, invenit patronum. Et recte: ne enim dicam, optimum virum fuisse Aristophanem, id quod omnes, qui eum probe noverint, fatebuntur, Comicus neque Socratem tantopere oderat, quantopere, ut insigne exemplum afferam non odii solum, sed etiam poenae, Cleonem, neque aut ab Anyto vel Meleto corrumpi potuit, aut, ut erat liberrimi homo judicii, a quoquam concitari. Isti igitur nihil omnino dixisse putandi sunt; *F. A. Wolfius* autem, qui in hoc argumento satis diligenter versatus est, quantum ego existimare possum, non multum. Qui quum statuissnt, Socratem eo tempore, quo *Nubes* data est, philosophia nondum etiam de coelo devocata, certis philosophorum disciplinis maximeque physicis literis tanto studio deditum fuisse, ut inania multa scrutaretur, excitassetque alios ad hujusce rei tam singularis amplius quaerendae cupiditatem: mox apparuit, philosophiae parentem temporum vitio paullum quidem aliquid in hoc genere olim peccasse, at longe minus tamen, quam a *Wolfio* illius auctore sententiae omnes requirerent. Sed fuerit sane tum quidem Socrates nugarum vel maximarum perditus amator, num idem deos etiam vel esse negavit, vel sustulit patrios, num denique juvenes corrupit? Non diceret ista *Wolfius* certe: atqui

haec causam nostram plane continent, reliqua omnia prae his parvi ducenda sunt. Aliam viam ingressos esse video optimos duumviros, *Henningsium* atque *Roetscherum*, quorum uterque est ab *Hegelio*. Hi omnes, et praeceptor, et discipuli, saepe alias ita disputant, ut nihil admodum se mente complexos esse homines vulgo querantur, ego autem sine ullo stomacho, ut potius cum quadam etiam voluptate ne me quidem percipere istud, quidquid est sapientiae, potuisse animadvertam: hic vero illi raro fortunae beneficio apertissime id disputant, quod non modo ego, sed quivis intelligat, etiam indoctus. Docent igitur Socratem in Nubibus plane talem induci, qualis fuerit reapse: bombax! adjiciunt, justas eum Comico poenas dedisse, ideo quod Socratis eadem causa fuerit, quae sophistarum; Socratem pariter atque sophistas contemto ipsius veritatis studio causas rerum justo altius repetere solitum, inutilia quaeque rimari, ac pleraque temere opinari, quemadmodum solent homines argutuli: postremo concludunt sic, Athenienses jure suo de Socrate supplicium sumsisse: quasi vero nostri philosophi propter errores quosdam suos, quos ipsi *Hegeliani* plurimos committunt, morte multandi sint. Invideo equidem *Suevernio*, qui has ineptias tanta animi aequitate tantaque patientia refutarit: ipse ne eas denuo refellam, verecundia impedior quum mea, tum multo magis Vestra, quibus tantam injuriam inferre non audeo. Quare istos Anyti defensores, non, ut infra demonstrabo, Aristophanis, tandem aliquando missos faciamus. Jam vero fuerunt, qui existimarent, ne rideri quidem in Nubibus Socratem, verum sophistas, eosque deformi jocosaque Socratis persona indutos: quae ratio quum jam olim a *Lessingio* commendata esset, sive quis alius ejus inventor exstitit, multis deinceps probata est, credo, quod sic culpa a Socrate non magis, quam Aristophane tota demoveretur in Sophistas. Non objiciam, Sophistas ab Aristophane obiter tantummodo illusos esse, neque quaeram, quem aut qualem animo informemus sophistam, quoniam per-

multi tum ex eo genere Athenis vixerunt, et ii valde inter se dissimiles: illud dicam, quo vel uno quaestio omnis profligatur, hanc opinionem cum veteris Comoediae indole mirum in modum pugnare. Nam quum cives illis temporibus sub sua quisque persona, adde nominatim, ludibrio ab Comicis habiti sint, nihil causae excogitari potest, quamobrem aut Socrates, argumentum Comoediae opportunum in alienas partes successerit, aut non suas egerint potissimum sophistae, ignobiles homunciones atque Aristophani haud sane pertimescendi.

Singularis et prorsus mira sententia fuit *Reisigii*, qui magis discipulos quosdam Socratis et familiares, omnium maxime vero Euripidem, castigari, quam ipsum magistrum arbitratus est. Crederes igitur, virum egregium in eodem fere errato versatum esse cum *Lessingio*, ut qui ea, quae in Socratem dicta sunt, si non omnia, at pleraque ad Euripidem transtulisset. Falso: revocat enim idem *Reisigius*, eos sibi ait videri diligentiores, qui Socratem suas ipsius partes egisse putaverint, confirmat plane, cadere illas criminationes omnes in Socratem, non in alium quenquam, oportere. Haec quonam modo inter se concilianda sint, Oedipus aliqui viderit: nisi forte hoc voluit, quod vix credere possum, tam parum Aristophani notum fuisse Socratem, ut Euripidem cum eo, amicitia horum virorum inductus, paene confunderet. Sed de hoc, ut cuique videbitur, conjecturam faciat: nobis enim satis est, Socratem ipsum ab Aristophane petitum esse, Euripidis vero in nostris quidem Nubibus vix pertenue quoddam exstare vestigium. Venio jam ad *Suevernium*, cujus oratio est illa quidem varia et multiplex, et ex contrariis hominum studiis quodammodo conflata: plurimum enim *Wolfio* tribuit, multum vidisse ait *Reisigium*, nonnunquam alios quoque sequi duces videtur. Veruntamen prae caeteris illud urget premitque, non esse poëtae eandem fidem habendam, quae historico, ne postulari quidem eandem, Comicorum personas ludibria verius, quam ipsos homines appellari posse,

aliud quiddam in Socrate fingendo Platoni propositum fuisse, aliud Aristophani; illum perfectae virtutis speciem formasse, hunc personas suas saepenumero ad scurras non fatuos detrusisse, quum quidem Socrati ne id quidem, quod esset maxime suum, ubique relinqueret. Enimvero haec quidem (sunt enim notissima) omnes, quicunque nostrum argumentum attigerunt, secum reputasse certum habeo: sed non id nunc quaeritur. Haerebamus in eo, quod impietas et tantum non patriae parricidium in jocoso Socrate serio, non quasi ab aliquo cavillatore, reprehenduntur, qui scrupulus etiam post *Suevernii* operam residet; illa quoque animo injecta erat, non minor fortasse, dubitatio, quod Aristophanius Socrates inter aliena multa atque undelibet assumta haud multum proprii ac sui retineret. Et hoc quidem quum sensisset *Suevernius*, haud pauca veri Socratis signa Nubibus intulit, cupidius plerumque, quam verius: certe aliquoties labitur manifesto, plus semel ruit paullo vehementius, veluti in eo, quod Philippidem in Alcibiadem, quid quod in illum Periclem Strepsiadem istum convertere non dubitavit. Magis ad persuadendum apposite et vero etiam subtilius ii disseruerunt, qui Socratem non odio ullo, sed sola libidine, sive nimio quodam ridendi studio a Comicis laesum putarent. Posuit hoc, non tamen omnino suscepit *Hermannus*, Vir Summus, cui valde assentior, illud potius egisse poëtam censenti, ut et Socratem et si quis alius mores juventutis simili corruptela depravaret, eos non solum contemnendos, verum etiam poena dignos esse ostenderet. Huc accedit, quod Nubes, sicuti pleraeque comoediae veteres, ad Rem publicam Atheniensium pertinebant, et ipse Aristophanes tum certe odium moderatum illud fortasse, odium tamen, in Socratem habebat.

Requiretis nunc, Auditores (quoniam me tam benigne semper auditis), quam tandem consilii viam de tanta re Vobis putem ingrediendam esse. Nihil scilicet reconditi in medium afferam, contorti nihil aut aculeati, nihil denique ejusmodi, quod non quivis Vestrum puncto

temporis vel invenire, vel inventum comprobare posse videatur. Contendo enim ille ego Comoediae vindex, qui Aristophanis defendendi multas habeam causas gravesque, nullam vel levissimam Socratis, contendo tamen, quod a nemine occultari debuerat, Socratis formam in Nubibus haud feliciter, nec sine magna iniquitate, tanquam a malo artifice, effictam esse. Hujus consilii ducibus et quasi signiferis uti mihi licet minime obscuris, primum illis, quos supra dixi, Viris Doctis, quorum irriti conatus sunt omnes simplicem veritatem respuentium, praeterea *Hermanno*, qui praeclare concessit et prae se tulit, Socratis imaginem in Nubibus ad vivum expressam non esse, postremo auctore uno omnium certissimo, ipso Aristophane. Namque illi tam varii conjectores pro certo sumunt id, quo nihil majorem dubitationem habet, utrasque Comici Nubes, priores posterioresque tam vehementer consensisse, ut aliquid illae quidem, sed non multum inter se differrent. In quo tantum omnes fefellit opinio, ut ego saltem, alterum optare coactus, eligere mallem *Guil. Esseri* 2), docti juvenis, interpretationem, qui primus, idque plaudente mox *C. Reisigio*, plures Nebulas ne exstitisse quidem, nostras autem esse unicas illas, et pristinas neque a poëta unquam retractatas, defendit: quod ipsum tamen credere est verissima testimonia atque fidem antiquitatis conculcare. Ego vero post diuturnam dubitationem jam dudum mihi sic intellexisse videor, Nubes illas duplices penitus inter se diversas fuisse, et nimirum alteras ab alteris usque eo discrepasse, eae ut fabulae, non editiones duae numerarentur. Dabitis igitur mihi hanc veniam, ut de duabus hisce comoediis nunc breviter exponam, primum de antiquiore ac seorsum ab altera: hoc enim modo, quaenam ratio inter Socratem et Aristophanem intercesserit, facillime poterit intelligi.

---

2) Ipsam *Esseri* dissertationem non legi equidem, sed, quantum ex *Hermanni* mei Praefatione colligo, nonnihil tamen vidit *Esserus*, sed invento uti prorsus nescivit.

Quum alii aequales Comici vel propter Socratis mirificam famae celebritatem, vel propter vitam moresque caetera integros, sed tamen inusitatos, vel ob vultum omnemque habitum, novum illum et turpiusculum commodas ejus insectandi occasiones nacti essent: tum vero Aristophanes etiam peculiaribus quibusdam causis, praeter has communes, ad aggrediendum philosophum motus est, non quo calvitio illius gravius aut praeter caeteros offenderetur, sed idcirco, quoniam oderat Socratem, ut amicum Chaerephontis, Euripidis laudatorem, maximeque praeceptorem Alcibiadis. Prodierant autem e Socratis ludo (si haec disciplina, ac non familiaritas potius appellanda est) adolescentuli quidam, divites, luxuriosi, insolentes, improbi, qui cum impietate in parentes ac suos linguae volubilitatem atque litium et judiciorum amorem conjungerent. Neque hic Socratem culpa omnino caruisse putaverim: quare Xenophon in nullo diutius loco moratus est, quam in diluenda, quae philosopho crimini data erat, Critiae atque Alcibiadis corruptione. Nam si Socrates a congressione sua et necessitudine neminem prohibere voluit, certe non debebat malis hominibus ea dare arma, quibus mox non ad salutem, sed ad perniciem Reipublicae uterentur: ceterum Chaerephontis, Alcibiadis, aliorum cum Socrate consuetudinem intuenti videbitur optimus vir majorem curam in semetipso, quam in noscendis aliis posuisse. Quum igitur illi oratores novitii causarumque patroni, qui non multo ante Athenis provenerant (omitto labem eorum domesticam), toto foro passim volitarent, quum optimos quosque cives accusarent, pessimos autem defenderent, Aristophanes, qui fere semper bonam causam susciperet, Ol. LXXXIX a. 1 archonte Isarcho Nubes composuit priores, qua fabula nebulones istos Dionysiis exagitaret: neque enim illas quidem Nubes in Socratem scriptas esse, sed tantummodo in eos, quos dixi, Socraticos, ipsum poëtam possum testem proferre. Atque ex omnibus Socratis nostri alumnis gravissime reprehenderat Alcibiadem, quocum perpetuas

gerebat, sed bono publico, inimicitias, neque multo lenius, ut opinor, in Critiam, socium eorundem ferme criminum, consuluerat. Nunc videte Aristophanis insignem animi moderationem. Qui quamvis discipulos solos sine magistro castigare ne posset quidem, suspicaretur vero aliquod certe in hoc genere Socratis peccatum, et peccatum magis, quam errorem: asperius tamen atque acerbius invehi in Socratem noluit. Itaque non fecit Socratem, ut in alteris Nubibus, poenas dare, gravissimam et in nostris Nubibus multum agitatam criminationem eorum, qui jactarent patrios deos sperni a Socrate et pro nihilo putari, prorsus omisit, neque vero simpliciter ei vitio vertit, quod juvenes corrumperet, sed longe longeque mitius etiamtum hac de re judicavit. Nam duas tantum res qua jure, qua injuria Socrati exprobravit, primum quod et subterranea, et caelestia quaereret argutiisque suis persequeretur: in quo citius dixeris malam vel nimiam sedulitatem vituperari, quam ullam injuriam: tum vero dolentius, certe multo iutius de eo questus est, quod Socrates non modo ipse pejorem causam meliorem faceret, verum etiam alios artem istam doceret. Nullo negotio demonstrare possum Aristophanem etiam laudandum fuisse, quod pestiferos cives in suis Nubibus vexasset: dummodo Socratis personae tantum habuisset honoris, ut extremae caveae nullam prorsus rationem duceret: nunc mihi non licet in argumento primarum Nubium enarrando amplius haerere, ne haec una pars omnem orationem meam quasi absorbeat. Quum Aristophanes multis in locis doctius scripsisset, quam apertius, fabula, quam ipse e cunctis Comoediis suis optimam fuisse judicat, tantopere displicuit, ut illi non modo Cratinus, senex confectus, sed etiam Amipsias, frigidus poëta, ab judicibus anteponerentur. Hanc tantam plagam in magno hominum conventu, etiam peregrinorum, acceptam moleste passus Aristophanes (et erat quum gloriae cupidus tum minime perferens injuriarum), alias Nubes docendi consilium cepit, quibus non tam novam laudem

adipisceretur, quam veterem ignominiam exstingueret. Interim ejus cum Socrate inimicitiae creverant incredibiliter, sive ab amicis philosophi irritatae, sive a Socrate ipso exulceratae, qui et comicos illos sales forti animo magnoque tulerat, et ab judicibus publicum quoddam integritatis testimonium reportasse videbatur: denique natura quoque sic comparatum est, ut improbatum antea laborem cum dolore animi renovemus. Quare quum poëta iram omnem in unum Socratem effunderet, quinque circiter annis post Nubes plane alias, id est superstites ac nostras scripsit, quibus non jam perditos quosdam adolescentes perstringeret, sed ipsum magistrum, nec perstringeret potius, quam accusaret, certe acriter, ut sic dixerim, allatraret, diceretque Socratem sophistam esse et eum absurdum, pecunia discipulos emungere, furtum committere quamvis jocosum, leges violare, patrios deos esse negare, juvenes corrumpere: postremo Anyto alicui nullum prope crimen reliqui faceret, quod in Socratem postea conferret. Verum enimvero tantum abest, ut hanc fabulam Aristophanes unquam docuerit, ut eam ne absolverit quidem. Quaeso, id quod mihi permirum videtur, cur tandem eam non absolvit, sed nondum etiam perfectam subito destituit, quum tantula pars operis restaret? Fortasse verebatur, ne Nubes iterum explorderentur. Id vero minime in hanc comoediam convenit, tam praeclaram illam, ut ab aliis certatim summis laudibus efferatur, a me omnium optima, secundum Ranas, judicari soleat. At fortasse secundae Nubes dari non potuerunt, quod poëta choragum invenisset nullum, vel quod ei Chorus ab archonte negatus esset. Mitto, quam hoc totum credibile sit de Comicorum principe: sed si Chorum non acceperat, absolvere prius fabulam debebat, quam ederet, aut judicia legentium testaretur. Imo nihil certius esse potest, quam Aristophanem, virum irasci celerem, ut tamen placabilis esset, paullo ante, quam Nubes nostras daturus esset, errorem suum animadvertisse, penitus intellexisse, quantam injuriam optimo viro facturus fuis-

set, atque intercedentibus utriusque amicis cum Socrate reconciliatum esse.

Neque tamen post mortem demum Aristophanis haec fabula edita est, si quidem eam et Xenophon et Plato jam noverant. Nempe poëta quum neque docuisset has Nubes, et ne plane perfecisset quidem, idem tamen delere nollet eam fabulam, quae ipsi quoque egregie placeret, sicuti placere omnibus debet: legendam eam dedit, ut erat, submisitque familiaribus suis, a quibus descripta mox in vulgus emanavit. Ceterum Aristophanem cum Socrate in gratiam redisse permulta argumento sunt: primum quod Socrati gratificans has Nubes non docuit, neque quod erat fabulae absolvit, in quo id ipsum quaesitum est, ut pateret, a consilio hujusce fabulae poëtam ipsum paullo post abhorruisse. Deinde vero etiam e Symposio Platonis id puto intelligi, qui quidem Aristophanis personam laetissimo convivio hominum amicissimorum vel maxime hanc ob causam inseruit, ut palam declararet, Comicum illo tempore (Ol. xc, 4 archonte Euphemo, in quod tempus incidere convivium illud fecit) in philosophi gratiam restitutum fuisse. Praeterea hic non potest non multum valere auctoritas duorum Socratis cultorum dicam an discipulorum, Xenophontis et Platonis: quorum alter non oderat Aristophanem, alter etiam amabat. Quodsi perrexisset Aristophanes Socratem odisse, cur deinceps obmutuit, cur non publice animum suum nudavit, cur maximas carpendi illius occasiones postea dimisit, cur eum bis terve omnino in cunctis fabulis reliquis et vero etiam in fragmentis risit, idque tanta comitate, ut non Periclem, non Aeschylum, non Sophoclem, non denique amicissimos sui lenius potuerit? Neque ego hos duumviros amicos inter se ullo tempore fuisse pugno, sed sic decerno, ne inimicos quidem fuisse eosdem, nisi quum Nubes utraeque scriberentur. Quae quum ita sint, non acrius Aristophanes Socratem perstrinxit, quam Amipsias in Conno, multo autem lenius, quam in Baptis Eupolis, poëta justo maledicentior. Et

quoniam raro alias, quod mihi proposuissem, tam certis argumentis tamque perspicuis videor efficere potuisse, gaudere debeo, hac mea industria praeclarissimorum duumvirorum, Socratis atque Aristophanis, existimationi optime consultum esse.

Sed in ejusmodi re, qualem modo cursim percurri, non diligentius pertractavi, hoc die, Auditores, omnibus laetitiis laeto subsecivam tantum operam collocandam esse arbitror. Quanquam non poenitet Aristophanis et Socratis honori inservisse propter ejus Principis honorem, qui cum eximio ingenio et cum facetiis Aristophani non recusandis Socratis probitatem conjunxit, ab his tamen severioribus studiis, quae nobis interdum vel paullum molestiae exhibent, jam dudum animos nostros avocat et totos ad se rapit jucundissima cogitatio Principis nostri, cujus duplicem nunc imaginem videmus, alteram hic in conspectu positam, quam cum voluptate reverentiaque intuemur, alteram non manu factam, non pictam coloribus, sed grata beneficiorum memoria repercussam et indelebilem, quae in animo impressa est uniuscujusque nostrum. Is est enim *Friedericus Franciscus*, qui beneficia in quam plurimos conferre cupiat, offendat autem sciens neminem, is est *Friedericus Franciscus*, quem omnes boni valde semper amarint, et ne perditi quidem cives odisse posse videantur, is est *Friedericus Franciscus*, quem et tranquillis temporibus vere et ex animo colamus, et cujus voluntati vel in hoc tanto motu tantaque rerum perturbatione lubentissime obediamus, is est *Friedericus Franciscus*, qui non modo secundas res nostras ornet, verum etiam adversas consoletur erigatque afflictas, denique is est *Friedericus Franciscus*, qui non tam sibi natum esse principem, quam civibus suis, quam patriae meminerit. Ita fit, Auditores, ut talem tamque bonum Principem et natum esse, et nobis natum, nobis etiam tamdiu conservatum, quum saepe alias recordemur, tum hodierno potissimum die, qui est *Friederici Francisci* natalis, hanc felicitatem non sine

grato animo erga Deum O. M. nobis publice privatimque gratulemur. Quapropter quis tandem jure miretur, *Friederico Francisco* vitam quam potest longissimam exoptare non adulatorem nescio quem, sed nos omnes, qui frequentes hic adsumus, ingenuos homines et libertati amicos, quibus quidem ita persuasum est, Megalopolin nostram, cui Deus faveat, Illius ductu atque auspicio quum antea laete floruisse, tum eandem, quamdiu tales Principes habitura sit, tamdiu, quasi aliquod haud fallax arvum, majores identidem uberioresque fructus, messore vix tandem sufficiente, ex se edituram esse. Recte igitur matutino jam tempore huc confluximus, recte totum hunc diem a quotidianis negotiis feriati, dulci quodam otio celebramus, non illo necessitate extorto, sed studio et voluntate suscepto: hodie enim non solum juvenes cum virginibus choreas ducunt gratas adspectu, sed etiam cum matronis seniores minus commode, affecto jam corpore, moventur tamen; hodie non tantum nobiles hilare vivunt et sese oblectant, verum etiam tenuiores habere se, cur triumphent gaudio, confirmant; hodie non modo divites opiparis se invicem epulis lautisque excipiunt, sed etiam pauperes, quantum licet in re curta, genio indulgent: communis omnium Megalopolitanorum hodie laetitia est, eadem animorum inflammatio, similis mens atque adeo par studium vel inter dissentientes aut disjunctos, geminus amor et patriae et principis.

Dixi in oratione, quae nuper ab me habita est, Nubes duas Aristophanis fabulas penitus inter se diversas fuisse videri, Viros Doctos autem, qui alteram editionem, quam vulgo putant, in singulorum versuum, sive paucorum, sive plurium discrimine verti existimarent, imprudentia lapsos esse. Quod ut intelligi possit, quam recte dixerim, primum causas, quibus duci me passus sum, omnes commemorabo; quo loco etiam argumentum alterius fabulae partim debebo concludere, deinde fragmenta Nubium primarum tractabo (etsi haec quidem obscurae rei haud multum lucis afferent), postremo alias quasdam res, cum quaestione nostra quodammodo copulatas, leviter attingam. Principio Aristophanes, qui suam nosset ingenii ubertatem, neque alia laude magis gloriaretur, quam novitate inventorum atque dictorum, hoc plane habebat, ut, quum alios Comicos alteram veteris dramatis editionem, novo nomine appellare vidisset, ipse veterem fabulam leviter inmutatam non temere reponeret, ac potius etiam in novis Comoediis vetus nomen lubenter retineret, praesertim si vel res prius ficta continuaretur, vel Chorus idem maneret, qui antea fuisset. Praeterea cupiebat Aristophanes *Nubibus* potissimum datis victoriam ferre et coronam, sperans, magnam ignominiam *Nubium* quarundam olim spretarum hoc maxime modo aboleri posse. Ac Plutum quidem primum et secundum duas communi nomine fuisse comoedias, apparet etiam caeco; in Thesmophoriazusis autem secundis argumentum in nostris tantummodo inchoatum absolvi jam alibi ostendimus;

idem prorsus valere de his titulis *Εἰρήνη α'* et *β' ἢ Γεωργοί*, certissime possum demonstrare; neque magis dubitare licet, quin et *Δράματα ἢ Κένταυρος*, ac *Δράματα ἢ Νίοβος* et (si forte) *Αἰολοσίκων α'* atque *β'* pro binis fabulis, non pro singulis jure habeantur. Ita ubique solet Aristophanes, qui Ranas tantum bis dedit nihil, vel paullum aliquid mutatas, jussus scilicet eandem repetere, et vero etiam, ut postridie ejus diei, plane coactus. Quocirca Nubes quoque duas, inter quas spatium quattuor minimum annorum erat interjectum, in magno illo binarum fabularum numero reponendas esse probabile videtur. Tametsi hoc quidem argumentum nullam habere persuadendi necessitatem fateor. Majorem vim hoc habet, quod jam dicturus sum. Nam quis tandem credat, Aristophanem Nubes I, quae fabula explosa erat, aut non mutatam, aut (ut vulgo putant) leviter hic illic emendatam spectatoribus iterum obtrusisse invitis? Omitto, quod re ipsa coactus erat poëta quinque annis post multa vel obsoleta, vel falsa jam atque inepta delere, et in eorum locum res longe alias sufficere. Num vero frequens populus spectatum isset contemtam fabulam et repudiatam? Num istam relatam probabilis histrio ullus non modo aliquis graecus L. Ambivius Turpio, egisset? Num choragus in istam tantos sumtus fecisset? Num denique istud fieri paterentur ipsi magistratus? Quae, malum, haec Comici pervicacia est? Dicere: iterum spectate, et jam laudate; judices priores, vosque, spectatores, pessime olim judicastis. Puto equidem, id ne legibus quidem Atheniensium licuisse, sic illudere auctoritati judicum publicorum. Non igitur Nubes in scenam referri poterant, nisi in maximis omnibus minimisque ita penitus emendatae, ut pro nova fabula rectissime haberentur. Sed quid ego haec colligo, aut cur subtilius rationem concludo, quum duas Nubes, easque plane inter se diversas, a se scriptas esse, ipse doceat Aristophanes. Hoc enim in Parabasi nostrarum Nubium v. 542 sqq. palam declarat, his ipsis verbis:

οὐδ' ὑμᾶς ζητῶ 'ξαπατᾶν δὶς καὶ τρὶς ταῦτ' εἰσάγων.
ἀλλ' ἀεὶ καινὰς ἰδέας εἰσφέρων σοφίζομαι,
οὐδὲν ἀλλήλαισιν ὁμοίας, καὶ πάσας δεξιάς 3).

Nam si poëta id forte tum unum agebat, ut eos notaret Comicos, qui nova professi, vetusta recoquerent, non potuit importuniore loco in collegas suos invehi: illi enim, ut videtur, ejusmodi fabulas, quae pulchre stetissent, saepius quidem flagitatas sub novo nomine brevi tempore post referebant; ipse scilicet, post quinque annos contemtam fabulam omnibusque sibilis explosam spectatoribus iterum propinabat. At certum est, Aristophanem illos versus hoc ipso consilio addidisse, ut pateret, secundas Nubes a primis penitus discrepare, eumque nihil aliud velle, quam hoc: *Ego propterea quoque aliis Comicis praesto, quod quum semper alias, tum etiam hoc tempore novam, non veterem Comoediam vobis exhibeo.* Quin etiam ex tota illa parabasi sequitur, Nubes duas fabulas etiam duas optimo jure et necessario dicendas esse. Nam si una eademque fuissent, debebat id plane ostendi, quum praesertim Nubes II pluribus annis post darentur. „Sperans, me nunc tandem aequiores judices nacturum, *ἀναδιδάσκω.*" At vero ille de Nubibus correctis vocem nullam mittit in tam longa parabasi, et contra Nubes utrasque manifesto disjungit. „*Quum primas Nubes docerem*, inquit, *primo dignus eram praemio, sed tamen victus sum, quamvis doctissime scripsissem. Vel sic tamen semper equidem spectatoribus non indoctis prospiciam. Sapientes judices de prima omnium fabularum mearum, de Daetalensibus bene existimarunt: quod mihi pignus est benevolentiae vestrae sempiternae. Nunc igitur haecce Comoedia* (Nubes II) *venit,*

3) Non male Scholiasta, *Δὶς καὶ τρὶς*] *Καίτοι καὶ αὕτη δεύτερον εἰσήχθη, ἀλλ' ἴσως διαφόρως. δοκοῦσι δὲ καὶ οἱ ἄλλοι κωμικοὶ ἀπὸ τῶν αὐτῶν ληρημάτων τὰ αὐτὰ εἰσάγειν δράματα.* Apparet, ante *τὰ αὐτὰ* voculam *οὐ* inserendam esse.

si forte non minus placeat, quam soror ejus, Daedalenses. Considerate autem hanc, qualis sit. Quae primum pudica et modesta est (σώφρων), sibimet ipsi versibusque confidit. Deinde nova est eadem: caetera jam aliena. Sed nondum ab illa parabasi discedere possum. Quod enim ait, Nubes I meruisse, ut poëtae earum primum tribueretur praemium, id hominem non stulte vanum credidisse ipsum, non temere jactasse, ex alio loco intelligitur (Vesp. 1046), ubi sancte adjurat Bacchumque testificatur, nihil Athenienses illa ipsa comoedia unquam vidisse praestantius. Et credimus, Nubes I ab eodem, qui hanc fabulam optimam dixisset non modo suarum, sed omnino omnium, quotquot ad eam diem scriptae essent, postea esse emendatas, atque adeo, quemadmodum uni de scholiastis videtur, permultis in locis valde mutatas? Ab hac tanta inconstantia, quae maximam hominum offensionem effugere non potuisset, Aristophanes abhorrebat plurimum. Nonne enim sic ipse quoque re et facto probasset, Nubes I tam vitiosas jure ac merito ab judicibus rejectas esse? Deinde Nubes I fabulam fuisse scriptam doctissime, et illa parabasis et alter locus Vesparum indicio sunt, ubi hanc ipsam rem diu multumque celebrari videmus 4). Plane illa quidem fabula literis redundabat, non eis tincta erat, vel etiam imbuta. Jam comparet mihi aliquis secundas Nubes: mox animadvertet, orationem adeo non abstrusam esse, tamque ad popularem captum accommodate ubique disputari, ut Athenienses, id est populus facile doctissimus et omni humanitate perpolitus, non potuerint verba poëtae sen-

4) Verba quoque describam, primo de Nubibus, *καὶ νομιζοίμην σοφὸς — θεατὰς δεξιούς, καὶ ταύτην σοφώτατ' ἔχειν τῶν ἐμῶν κωμῳδιῶν, — ἥ παρέσχε μοι ἔργον πλεῖστον — ταῦτ' οἶν ὑμῖν μέμφομαι τοῖς σοφοῖς, ὧν οὕνεκ' ἐγὼ ταῦτ' ἐπραγματευόμην — τοὺς δεξιούς.*, tum de Vespis *καινοτάταις σπείραντ' αὐτὸν διανοίαις, ὡς ὑπὸ τοῦ μὴ γνῶναι καθαρῶς — ἐσθ' αἰσχρὸν τοῖς μὴ γνοῦσιν παραχρῆμα, — οὐδὲν χείρων παρὰ τοῖσι σοφοῖς νενόμισται.*

tentiasque non illico intelligere: ne illum quidem locum excipio, ubi de origine tonitruum ac fulminis multa jocose magis dicta, quam erudite interponuntur. Sic igitur Aristophanes pristinum errorem et in priore fabula paene tota commissum optime correxit. Profuerit hoc etiam ad aliam dubitationem tandem aliquando tollendam. Multi saepe mirati sunt, quid fuisset, cur judices hasce Nubes, comoediam prope dixerim divinam (nostras enim illi somniabant), tam iniquo afflixerint judicio, ut Aristophanem non solum Cratino, decrepito seni et nonaginta amplius tum annos nato, verum etiam Amipsiae, mediocri poëtae, qui nunquam cum Aristophane debuerat velle contendere, postponerent.

Ili jam desinent mirari, ubi cognoverint, fabulam longe aliam vel judicibus, vel ipsis etiam spectatoribus tum displicuisse. Quid, quod fortassis minime injusta fuit judicum de Nubibus I sententia. Non enim Aristophanes, ut postea in Ranis (ubi vide vv. 1107—1116) de optima forma tragoediae, re vel difficillima ad explicandum, admodum populariter loquutus est, ut promto spectatorum studio et cognoscendi et probandi cognita cumulate satisfaceret: ita similem illi scopulum in primis Nubibus pari felicitate videtur praetervectus esse. In qua fabula quum eruditionem suam ostenderet, ne dicam ostentaret, et quid quantumque posset, magis quam alias experiri voluisset, omnis doctrinae genere eam refersit multaque composuit ex reconditis literis sumta, e philosophorum disciplinis, physice, inprimis vero, id quod tum vehementer agebatur, e rhetorice. At modum excesserat poëta, nec satis vel judices, vel spectatores ejus mentem assequuti erant. Itaque non stetit. Improbantur enim fere, quae non intellecta fuerint, ideo quod non libet hebetem esse, omnesque inscitiae culpam in alium, quam in semetipsos conferre malunt. Notum est illud Crassi, ut puto, apud Ciceronem: *qui non dicat, quod intelligamus, hunc non posse, quod admiremur, dicere.* Ceterum nimia quadam doctrina illam comoediam labo-

rasse, non e tristi judicum sententia potius concludo: etsi hos quoque gravi aliqua causa commotos tantam adhibuisse severitatem necesse est: quam ipsi credo Aristophani, qui in nostris Nubibus v. 522 se dixit solis tum scripsisse doctis hominibus, scilicet ut se excusaret. Non accipio miram excusationem poëtae: qui non, sicuti philosophus, tres aliquos auditores habet aut quattuor, sed magnam coronam, cujus est denique, ita sapientissimo cuique velle probari, ut tamen semper meminerit, id sibi negoti solum datum esse, populo ut placerent, quas fecisset fabulas, ut recte Terentius.

Si praeter has, quas dixi, rationes aliud argumentum proferre nullum possem, quo mea causa defendi videretur, tamen plures, quemadmodum spero, fidem orationi meae adjungerent, quam derogarent. Nunc satis mirari non queo, duo insignes locos, qui plurimum valere debebant ad argumentum primarum Nubium e tenebris in lucem revocandum, adhuc penitus neglectos jacere. Horum alter e parabasi Vesparum petitus est vv. 1037—1043., ubi poëta de injuria anno ante sibi facta cum populo Atheniensi expostulat. Verba haec sunt:

ἀλλ᾽ ὑπὲρ ὑμῶν ἔτι καὶ νυνὶ πολεμεῖ· φησίν τε μετ᾽ αὐτοῦ
τοῖς ἱππίοις ἐπιχειρῆσαι πέρυσιν καὶ τοῖς πυρετοῖσιν,
οἳ τοὺς πατέρας τ᾽ ἦγχον νύκτωρ καὶ τοὺς πάππους ἀπέπνιγον,
κατακλινόμενοί τ᾽ ἐπὶ ταῖς κοίταις ἐπὶ τοῖσιν ἀπράγμοσιν ὑμῶν
ἀντωμοσίας καὶ προσκλήσεις καὶ μαρτυρίας συνεκόλλων,
ὥστ᾽ ἀναπηδᾶν δειμαίνοντας πολλοὺς ὡς τὸν πολέμαρχον.
τοιόνδ᾽ εὑρόντες ἀλεξίκακον, τῆς χώρας τῆσδε καθαρτήν,
πέρυσιν καταπροὔδοτε —.

Primum hic verba μετ᾽ αὐτοῦ obscuriora esse fateor. Equidem speciosa est *Bentleji* conjectura μετ᾽ αὐτὸν

post Cleonem in Equitibus exagitatum emendantis: possis etiam *μετ' αὐτὸ postea*, eadem sententia. Sed haud scio, an Codicum lectio retineri possit, dummodo ita interpretere: *una cum ipso (i. e. Socrate) discipulos aggressus est.* Nemo quisquam jure offenderetur, tali oratione: *φησίν τε μετ' Αὐτοῦ τοῖς μαθηταῖς ἐπιχειρῆσαι*, quum praesertim Socrates a discipulis *Αὐτὸς* dici soleret, fidem faciente versu Nub. II, 220 *Μαθ. Αὐτός. Στρεψ. τίς αὐτός; Μαθ. Σωκράτης*, ubi compara sis interpretes: atqui verba *τοῖς ἠπιάλοις — καὶ τοῖς πυρετοῖσιν* significant tamen, si rem spectaveris, *pallidis istis discipulis.* Deinceps dubitant Scholiastae, utrum Socratici *ἠπίαλοι* et *πυρετοὶ* appellentur propter pallorem et cadaverosam faciem, an propterea, quod, ut febris corpori, sic illi Reipublicae nocuerint. Mihi vero placet utramque rationem conjungere: quoniam et pallor istis juvenibus saepe alibi ab Aristophane vitio datur, et iidem hic quidem praecipue tanquam perniciosi Reip. cives notantur. Sed Didymus videri potest *τοῖς Ἠπιάλαις* hic scriptum invenisse, *Ephialtis sive Incubonibus*, ne hoc quidem male: tametsi *ἠπίαλος* et *πυρετὸς* saepius consociantur: tum enim poëta, qui modo Cleonem cum maximo portento compararet, alia monstra subjiciendo magis etiam in similitudine persisteret. Verum pars Scholiastarum levia quaedam attulerunt, aut secundas Nubes immiscendo plane aliena, quae praeteribo: illa vero illustria atque praeclara sunt, *ἠπίαλος τὸ τοῦ πυρετοῦ κρύος· Ἀριστοφάνης Νεφέλαις καὶ Θεσμοφοριαζούσαις —. πέρυσιν] πέρυσι γὰρ τὰς Νεφέλας ἐδίδαξεν, ἐν αἷς τοὺς περὶ Σωκράτην ἐκωμῴδησεν. ἠπιάλους δὲ αὐτοὺς ὠνόμασεν εἰς ὠχρότητα περισκώπτων.* Hic perspicue dicit, in primis Nubibus discipulos Socratis irrisos esse, videturque convicium Socraticis factum *τοῖς ἠπιάλοις* ex prioribus Nubibus huc in Vespas redundasse: certe illud lemma *Ἀριστοφάνης Νεφέλαις*, quod verissimum esse censeo, ad primas, non secundas Nubes pertinet necessario. Quare existimo, *ἠπιάλους* in Nubibus I dictos esse Socraticos.

Quod vero multi timore perculsi ad Polemarchum accurrisse traduntur, sic censeo, relictis jam Scholiastis, qui omnia tentantes nihil proficiunt, Alcibiadem, Critiam aliosque juvenes praeter caeteros peregrinis maxime et inquilinis civibus, quos ab judiciis longissime scirent remotos, litem intendisse, hosce hospites designari verbis ἐπὶ τοῖσιν ἀπράγμοσιν ὑμῶν, hos etiam ad Polemarchum, patronum suum, quem eis jus dixisse constat, confugisse. Ita Terentius de Menandro convertit atque ex attico jure sumsit illa in Andria IV, 5, 15.

nunc me hóspitem
Lités sequi, quam hic míhi sit facile atque útile,
Aliórum exempla cómmonent: simul árbitror,
Jam aliquem ésse amicum et défensorem ei.

Istos igitur Socraticos primum patres avosque suffocasse, hoc est tantummodo male mulcasse, queritur poëta: putabant enim Socratem non modo discipulos sapientiores reddere parentibus, eorumque animos a propinquis suis abalienare, verum etiam hoc dicere, licere interdum filio patrem vel vincire, testante id Xenophonte Memorab. I, 2, 49 sqq.; atque etiam Phidippidis impietas ex hoc fonte profluxit. Praeterea iidem id studuisse dicuntur, ut multos atque innocentes cives in jus vocatos fortunis everterent: et existimabatur Socrates discipulos suos forensi eloquentia instruere et prorsus aptos facere ad Remp. capessendam, neque id ipse dissimulabat (Memorabil. I, 6, 15). Majorem etiam lucem ille Vesparum locus e Plat. Apolog. c. 10 et c. 22 init. accipiet, quum philosophus in altero loco adversus ipsum Aristophanem ejusque primas Nubes sese defenderit. Ibi enim narrat Socrates, discipulos suos gaudere, quotiescunque alios a se explorari viderint, et ipsos quoque magistri exemplo incitatos vulgo excutere homines atque refellere conari, non sine summa eorum, quoscunque demum refutarint, indignatione. Nempe Socrates alia omnia suos melius docuisse videtur, quam modestiam, non istam humilem

dico et abjectam, quae humi repit, sed erectam illam atque excelsam, quae intra suos se fines continet, et veram modestiam. Minime enim decebat homines adolescentulos id agere, ut simplices viros et a disserendi subtilitate fallaciisque alienos captiosis interrogatiunculis, tanquam laqueis quibusdam, irretirent, moxque victis ruborem suffunderent. Sed ex omnibus istis Socraticis Aristophanes in primis Nubibus Alcibiadem haud dubie gravissimis maledictis insectatus est: primum quod hunc perpetuo carpit, deinde vero, quod illa crimina in neminem unum magis conveniunt, quam in Alcibiadem, qui a Socrate eruditus illo ipso tempore multum in judiciis versabatur, et quem Cornelius Nepos, Theopompum sive Timaeum sequutus recte ait multos homines suos reddidisse opera forensi, quod plane est ipsum illud Aristophanis, *ἀντωμοσίας καὶ προσκλήσεις καὶ μαρτυρίας συνεκόλλων:* quod quidem vitium accuratius etiam in illa fabula tractatum est, quam alterum impietatis. Possum etiam commemorare qui tradiderit, Aristophanis victoriam, datis Nubibus I, ab Alcibiade ejusque asseclis impeditam esse 5): tenuem illum quidem auctorem et fide, ut opinor, indignum, veruntamen eum, qui probe sciret, Alcibiadem tunc omnium gravissime reprehensum esse. Atque etiam Platonicus Socrates quo dixi loco quum his verbis utatur: *οἱ νέοι μοι ἑπακολουθοῦντες, οἷς μάλιστα σχολή ἐστιν, οἱ τῶν πλουσιωτάτων* tanquam manu nos ducit ad Alcibiadem, qui profecto unus omnium maxime petitus est. Nolo jam pluribus, ut in re minime dubia. Utinam vero Socrates Genio suo obsequutus esset, qui eum ab initio monuerat, ne cum Alcibiade quidquam rationis haberet (Alcibiad. I, init.). Praeter Alcibiadem in illa fabula alii quoque adolescentes justas Comico poenas

5) Argument. Graec. ad Nub. II: *ὅτι πολλοὺς εἶχεν ἐραστάς, καὶ μάλιστα τοὺς περὶ Ἀλκιβιάδην, οἱ καὶ ἐπὶ τοῦ δράματος τούτου μηδὲ νικῆσαι ἐποίησαν τὸν ποιητήν.*

dabant, in his (ut ignobiles quosdam taceamus, veluti Chaerephontem), tum Critias, quem jam antea nominavi, tum etiam Theramenes: siquidem potius sequor Diodorum XIV, 5., quam alium nescio quem, qui in vit. X Rhetor., vit. Isocr. p. 836, F. cum Socrate Isocratem, ut saepe faciunt etiam librarioli, male confudit. Postremo Euripidi quoque in Socraticis locum ab Aristophane datum esse videri, infra demonstrabimus. Diutius fortasse in illa parabasi Vesparum moratus sum, quam opus erat; nunc tandem paucis complectar. Dilucide ostendit poëta, Nubes I non in Socratem a se scriptas esse, quem ne commemorat quidem, si μετ' αὐτὸν reposueris, sin autem μετ' αὐτοῦ suo loco reliqueris, non tangit, nisi levissime, sed se tunc in Socraticos istos si non unice, at praecipue acuisse stilum, quorum et privata impietas optimi cujusque dolorem excitasset, et summa in foro atque judiciis saepe victrix libido multum detrimenti Reipublicae importaret. Jam quis non videt, in secundis Nubibus Socratem ipsum incessi et omni contumeliarum genere affici? Quis tam stultus est, aut tam a sana ratione aversus, ut dicere audeat hic poëtae id propositum fuisse, ut non tam Socratem, quam certos quosdam Socraticos hoc nomine reprehenderet, quod cives hospitesque accusare consuessent et iniquo judicio circumvenire innocentes? Nam qui suspicati sunt, Socratem personam agere sophistarum, eis forsitan ignoscendum sit: hoc vero ferri nullo modo potest, ut quisquam nobis persuadere conetur, aculeos hujus fabulae contumeliosos non ad philosophum pertinere, sed ad discipulos quosdam et eos accusatores. Quae quum ita sint, concedamus, aliam fabulam fuisse Nubes primas, scriptam in Socraticos quosdam, impios adolescentes et litium amantissimos, aliam Nubes secundas, in qua multo etiam, quam illi antea, durius atque asperius Socrates ipse tractatur. Alter locus, quem a Viris Doctis pariter neglectum miror, multum et ipse prodest ad argumentum prioris fabulae in lucem proferendum. Quamvis enim poëta

tum Socraticos tantum non unice aggrederetur, tamen id sine ipsius praeceptoris persona ne potuit quidem fieri: ut jam non temere quaeramus etiam illud, quidnam maxime in Socratem ipsum dictum putemus. Novimus autem duas Socratis Apologias, alteram, quae vulgo ante *Valckenarium* ad Xenophontem referri auctorem solebat, scriptam ab novitio et graece indocto rhetore, primo, ut suspicor, post Christum natum saeculo, certe quidem ante tempora Athenaei eamque noli quaerere, propemodum inutilem: nisi quis forte ex ipso titulo colligat, Xenophontem, qui aemulandi studio atque adeo quadam obtrectandi libidine ἀντισυμποσιάσαι τῷ Ἀρίστωνος existimatus est, ipsum quoque longe aliam confecisse Socratis Apologiam, quam Platonicae opponeret. Ab hac longissime distat altera illa, quae quidem quin ab omnibus ad hunc usque diem Platoni rectissime tributa sit, sat scio, praeter *Astium* fortasse, dubitabit nemo. Etiam illud quoque manifestum est, orationem illam, si rei summam spectaveris, ipsam a Socrate ad judices habitam esse: adeo nulla est, qua Plato tamen mirifice excellit, verborum et sententiarum magnificentia, contraque omnia Socratis simplicitatem, magnam omisso more judiciali interrogandi cupiditatem, sermonem denique ipsum referunt atque testantur. Hoc vidit olim *Schleiermacherus*, alii multi deinceps, in his *Wiggersius* noster, probarunt, *Stallbaumius* autem, Vir Amicissimus, negare nuper profecto non debuit.

In hac igitur Apologia Socrates primum crimina ab Aristophane Nubium I commissione olim in se conjecta affert aliataque diluit, deinde vero novissimam Meleti et Anyti accusationem refutat. Ex quibus accusatio istorum hominum cum argumento Nubium II tantopere convenit, ut si quis forte, veteres quosdam auctores sequutus 6)

6) Aelianum, Varr. Hist. II, 13., Eunapium in Aedesio p. 35, Thomam Magistrum in argumento fabulae, scholiastas et in Argumentis et ad v. 623.

Aristophanem ab Anyto Meletoque corruptum atque instigatum Nubes secundas composuisse dixerit, nulla temporum ratione habita, ei, in magno caeteroquin errore, non modo petenti, verum etiam miram accusationis Nubiumque illarum comparanti similitudinem venia certe danda esse videatur. Namque ipsum quidem accusationis caput conservatum praeterea etiam a Xenophonte et apud Diogenem L. a Favorino, sciunt omnes his fere verbis conceptum fuisse: *Ἀδικεῖ Σωκράτης, οὓς μὲν ἡ πόλις νομίζει θεούς, οὐ νομίζων, ἕτερα δὲ καινὰ δαιμόνια εἰσφέρων· ἀδικεῖ δὲ καὶ τοὺς νέους διαφθείρων.* Quotus igitur quisque negabit, haecce crimina nostris Nubibus plane contineri? Istae vero non modo plenae sunt horum opprobriorum (quod ne scholiastas quidem fugit, ex quibus unus, *καί*, inquit, *τί γὰρ ἄλλ' ἢ ξένους εἰσάγοντος δαίμονας;*) sed etiam omnis vis poëtae fabulaeque nervi in hac duplici ratione confirmanda videntur expromi. Age vero, singulos accusationis locos, a Meleto propositos, secundum Xenophontem perlustremus. Xenophon primum hoc commemoravit: *Ἀλλά, νὴ Δία, ὁ κατήγορος ἔφη, ὑπερορᾶν ἐποίει τῶν καθεστώτων νόμων τοὺς σενόντας.* Consentit Aristophanes vv. 1179—1202, atque v. 1404. Perrexit Xenophon in hunc modum: *Ἀλλ', ἔφη γε ὁ κατήγορος, Σωκράτει ὁμιλητὰ γενομένω Κριτίας τε καὶ Ἀλκιβιάδης πλεῖστα κακὰ τὴν πόλιν ἐποιησάτην.* In hac una re fateor accusatorem cum primis Nubibus quodammodo conspirare: nisi quod Aristophanes juvenum errores aliquanto lenius castigarat, accusator multo post vitia horum duumvirorum, ac potius scelera atque flagitia vehementer insectatus est. Sed addidit Xenophon etiam illud: *Ἀλλὰ Σωκράτης γ', ἔφη ὁ κατήγορος, τοὺς πατέρας προπηλακίζειν ἐδίδασκε, πείθων μὲν —, φάσκων δὲ, κατὰ νόμον ἐξεῖναι παρανοίας ἑλόντι καὶ τὸν πατέρα δῆσαι.* Plane idem ostendere vult Aristophanes in longissimo loco vv. 1325—1450, quocum conferas v. 905. Denique concludi accusationem Xenophon fecit his verbis: *Ἔφη δ' αὐτὸν ὁ κατήγορος καὶ τῶν ἐνδοξοτάτων ποιητῶν ἐκλεγόμενον τὰ*

πονηρότατα, καὶ τούτοις μαρτυρίοις χρώμενον διδάσκειν τοὺς ξυνόντας κακούργους τε εἶναι—. Hic rursus miror incredibilem Aristophanis consensionem vv. 1375 sqq.

Ab hac tam atroci voce accusatoris Socrates apud Platonem diversissimas Comici criminationes multis annis ante in priore fabula positas, rectissime disjunxit. Operae pretium est, verba quoque ipsa describere, e quibus argumentum illius fabulae partim perspicere licebit. Sic igitur disputat Socrates in Apologia c. 3. *ὥσπερ οὖν κατηγόρων τὴν ἀντωμοσίαν δεῖ ἀναγνῶναι αὐτῶν. Σωκράτης ἀδικεῖ καὶ περιεργάζεται ζητῶν τά τε ὑπὸ γῆς καὶ τὰ ἐπουράνια, καὶ τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιῶν, καὶ ἄλλους ταὐτὰ ταῦτα διδάσκων. Τοιαύτη τις ἐστί· τοιαῦτα γὰρ ἑωρᾶτε καὶ αὐτοὶ ἐν τῇ Ἀριστοφάνους κωμῳδίᾳ, Σωκράτην τινὰ ἐκεῖ περιφερόμενον, φάσκοντά τε ἀεροβατεῖν καὶ ἄλλην πολλὴν φλυαρίαν φλυαροῦντα, ὧν ἐγὼ οὐδὲν οὔτε μέγα οὔτε σμικρὸν πέρι ἐπαΐω.* Facile apparet, non modo has sententias singulas, verum etiam animum poëtae totum, qui e verbis elucet, a secundarum Nubium indole atque natura adeo discrepare, ut portenti simile videatur, accusationem Anyto dignam atque has tam leves, tam paene dixerim amicas reprehensiones Comici ludentis in unum idemque drama a quoquam confusas esse, nedum ab Aristophane. Primum haec fere omnia, quae Socrates in accusationis formulam redegit, in nostris quidem Nubibus nego equidem vel inveniri: de qua re mox videro: nunc illud tantum quaero, satin' accurate aut plene secundarum Nubium sententiam is enarrasse videtur, qui principio gravissimum crimen inducti in civitatem novi cujusdam Deorum generis et inusitati prorsus omiserit, deinde vero juvenes corrumpi ne queratur quidem, sed pro eo aliud quiddam commemoret, alios nugas vanas et simulacra doctrinae inutilia magis, quam perniciosa, ab homine male sedulo edoceri. Puerum jusseris superstitis fabulae argumentum rationemque reddere: non poterit imperitius respondere, quam hic fecisset Socrates. Sed de partibus

illius loci perutilis quidem, at paullo obscurioris disputandum est sigillatim 7). Certissimum puto, e pluribus illis, propter quae Socrates Comico prius drama meditanti displicebat, hoc potissimum male habuisse poëtam, quod invenisset ille, quo modo inferior ratio superiorem vinceret ac penitus everteret. Namque impietas Socraticorum aliquot et judiciorum amor, quibus vitiis ipsis Aristophanes ut hanc fabulam componeret, motus est, cum quaestionibus naturae nihil quidquam habebant commune, verum illa ex immoderata quadam disserendi subtilitate, tanquam e fonte suo, tota manaverant. Nec si, ut plane videtur, permulti versus consumti sunt in naturae studio Socratis, qui obscurissima quaeque, modo penitus retrusa,

---

7) Quamvis in Nubibus I ἄλλοι isti, id est Socratici, proprie perstringerentur, Socrates autem multo magis, quam in Nubibus II delitesceret: tamen in Apologia, ubi Socrates se judicibus purgare studeret, crimina ipsi magistro in Nubibus I objecta refelli debebant. Ceterum e prima parte Platonicae Apologiae longe plus proficeremus, si Socrates solum Aristophanem et solas Nubes I refutasset. Nunc anceps est nonnullorum usus locorum, tum quia multi alii praeter Aristophanem immiscentur, veluti bis c. 2, tum quod Plato Nubes etiam secundas legerat. C. 2 legas haec, οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ πεπεισμένοι, ἄλλους πείθοντες: in horum numerum lubenter aggrego meum Aristophanem. Deinde quod c. 4 sequitur: οὔτε γ' εἴτινος ἀκηκόατε, ὡς ἐγὼ παιδεύειν ἐπιχειρῶ ἀνθρώπους καὶ χρήματα πράττομαι, οὐδὲ τοῦτο ἀληθές. id, si tamen pertinet ad Aristophanem, et e secundis Nubibus potuit, et fortasse etiam e primis derivari. Minorem dubitationem habet illud c. 9 καὶ ὑπὸ ταύτης τῆς ἀσχολίας οὔτε τι τῶν τῆς πόλεως πρᾶξαί μοι σχολὴ γέγονεν ἄξιον λόγου, οὔτε τῶν οἰκείων, ἀλλ' ἐν πενίᾳ μυρίᾳ εἰμὶ διὰ τὴν τοῦ θεοῦ λατρείαν. Scimus enim, paupertatem certe ut in secundis, sic etiam in primis Nubibus Socrati fuisse crimini versam; quae quidem cum desidia arctissime cohaeret. Nec vero postea Comicus Hesiodio illo versu:

Ἔργον δ' οὐδὲν ὄνειδος, ἀεργείη δέ τ' ὄνειδος.

quem saepe in ore habebat Socrates, deterritus est, quominus eum honorifico nomine ἀργὸς ἀνὴρ mactaret, ut v. 315.

modo nimium alta frustra pervestigaret: idcirco aut summa totius fabulae in hoc genere posita erat, aut Socrates non potius ob subtilitates suas in Aristophanis reprehensionem maxime incurrerat. Nunquam omnino Socrates captiosas, quibus impense delectabatur, interrogationes omnisque dialectices studium aut abjecit, aut tantummodo imminuit, sed per totam vitam hoc quidem cum summa aequabilitate atque constantia retinuit. Ergo quis tandem miretur, hanc partem philosophiae ante caeteras juvenes didicisse eos, qui non id sequebantur (quemadmodum est apud Xenophontem), ut *καλοί τε κἀγαθοί*, sed ut *δημηγορικοὶ καὶ δικανικοὶ* aliquando evaderent. Ex his tamen Critias quam Socrati malam gratiam retulerit, patet conferenti Memorabil. I, 2, 31. Namque dialectica, ipsa dico, non logicen, in causis et in accusatione factitanda plurimum valebant ad jura legesque pervertendas: ceterum eadem verae ac summae eloquentiae, cujus species in mente nostra insidet, nocent saepius, quam prosunt. Hoc optime vidit Cicero multis in locis, ut in Bruto c. 31. Non repugnant alii loci, ut ibid. c. 90 et Orator. c. 32, in quibus dialectica artem magis disserendi sive logicen, quam artes significat. Luculento hujusmodi sophismatum exemplo notum istud Alcibiadis colloquium esse potest, quod cum Pericle tutore suo, peradolescentulus seruit de eo, quid esset lex (Xenoph. Memorab. I, 2, 40—47, (quum praesertim his verbis finiatur, plenis aculeorum atque superbiae: *Εἴθε σοι, ὦ Περίκλεις, τότε συνεγενόμην, ὅτε δεινότατος* (legendum *δεινότερος*) *σαυτοῦ ταῦτα ἤσθα!* Ex his intelligitur, pervagatum illud *Τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖ*, quod ad priorem fabulam dilucide retulit Socrates Platonicus, ita comparatum esse, ut in eo exagitando maxima illius fabulae vis constiterit. Quamobrem primas Nubes significasse censendi sunt etiam hi scriptores, primum Quinctilianus 2, 16, 3. *Nam et Socrati objiciunt Comici, docere eum, quomodo pejorem causam meliorem faciat.* tum Diogenes Laertius II, 18 *καὶ Ἀριστοφάνης αὐτὸν*

κωμῳδεῖ, ὡς τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιοῦντα. denique Aelianus Varr. Hist. II, 13 λέγων τε αὖ καὶ τὸν ἥττω λόγον ἀπέφαινε κρείττονα. Similia quaedam etiam in Nubibus II reperiri posse non infitior (vide vv. 113 sqq. 881 sqq. et 1403 sqq.): sed cavendum est, ne cum eis, quae hic illic levius adsperguntur, rei summam temere commisceas. Omnino autem, quum unus idemque homo, Socrates, traduceretur, in duabus Nubibus haud dubie satis multa congruebant, si tu solas sententias spectare volueris: caeteroqui vero discrepabant non solum dicta, verum etiam inventa Comici, maximeque fabulae utriusque consilium. Mansit titulus *Νεφέλαι*, etiam primum a Choro datus, manserunt aliqui *Μαθηταὶ Σωκράτους* ac praecipue Socrates ipse, sed fabula tamen plane alia fuit. Nullum in prima animadverteres Strepsiadem, Phidippidem nullum, nullum inter personas quidem ipsas vel injustum sermonem, vel justum: ne caetera, quae sunt innumerabilia, persequar. Hoc unum addam, Socratem omnino docuisse, quemadmodum causa inferior dicendo fieri superior posset. Falso igitur a Cicerone in Bruto c. 8 Socrates dicitur iis, qui istud tam arrogantibus verbis profiterentur, sese opposuisse. Fortasse id non ut alii, palam profitebatur philosophus omnia dissimulare solitus, veruntamen reapse ejus subtilitas disputandi vel maxime in hoc genere expromebatur. Cave igitur Aristophanem, virum non mendacem, hic calumniatum esse dicas. Neque id Socrates ipse in Apologia negavit, sed partim tacendo, partim ad Apollinem Pythium confugiendo magis corroboravit. Nec si Socrates cum inferiore causa pugnare semper sibi videbatur, idcirco non imprudens saepe etiam superiorem debilitavit.

Venio ad illa verba, quae his praecedunt, *Σωκράτης — καὶ τὰ ἐπουράνια*. Patet *ἀδικεῖ* vel de suo adjecisse Socratem, verbum justo acerbius, sed accusandi formulae, quam ipse finxit, consentaneum, vel negligentius paullo verba transposuisse, quum quidem hoc cogitaret, *Σ. περιεργάζεται ζητῶν — καὶ ἀδικεῖ — ποιῶν*. De reliquis ita sentio.

Constat, philosophiam in tres partes divisam esse, in obscura naturae, in disserendi artem, in praecepta de vita atque moribus. Socrates autem ut duo postremos locos omni vita sibi perpetuo illustrandos ornandosque putavit, hancque iniit rationem, ut ad mores aliorum emendandos acumine uteretur dialecticorum: ita naturae studium olim magno cum impetu susceptum cito destituit, tum quod certi quidquam in hoc genere inveniri posse desperaret, tum ut (licebit enim hoc quoque suspicari) Aristophanis facetias ipsa re ac suopte exemplo eluderet. Sane post illa quidem tempora nullum fere studium in his literis collocasse Socratem invenio: quem antea, reluctante, ut opinor, natura ad hanc philosophiae partem aberrasse, *Wolfius* primum *Reisigiusque* in Praefationibus docuerunt, locis aliquot demonstratis: quibus ipse alios quosdam Platonis e libris haud ita quidem editis et jam vulgaribus sumtos adderem, si meum esset laureolam quaerere in mustaceo. Primum igitur subterranea atque infera (*τὰ ὑπὸ γῆς*) in Nubibus I perscrutabatur Socrates. Idem bis alibi illo in libro repetitur, c. 2 *ὡς ἐστί τις Σωκράτης, σοφὸς ἀνήρ, τά τε μετέωρα φροντιστὴς καὶ τὰ ὑπὸ γῆς ἅπαντα ἀνεζητηκὼς καὶ τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιῶν.* et c. 10 *τὰ κατὰ πάντων τῶν φιλοσοφούντων πρόχειρα ταῦτα λέγουσιν, ὅτι τὰ μετέωρα καὶ τὰ ὑπὸ γῆς, καὶ θεοὺς μὴ νομίζειν, καὶ τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν:* quae omnia ex primis Nubibus derivata esse possunt, si discesseris ab his tantum verbis *καὶ θεοὺς μὴ νομίζειν* aliunde petitis. Illud vero quum ter a Socrate inculcatum sit, in nostris tamen Nubibus deest omnino: nisi quod uno in loco et eo pusillo vv. 188 — 193 aliquid hujuscemodi strictim ostenditur. Praeterea etiam supera atque caelestia speculabatur Socrates (*τὰ ἐπουράνια* sive *τὰ μετέωρα*); quod ne ipsum quidem satis in superstites Nubes convenire dictito. At, inquit, Socrates de nubibus, fulmine, tonitru tam multa disputat, observat Solem, Lunae vero plane molestus est, et quid non facit harum ipsarum, de quibus omnis quaestio est, nugarum. Vero:

sed aliud est, orationem, ut hic, ad communem omnium intellectum accommodare, aliud rursus, doctam quandam ingredi disputationem, quod de priore fabula valere ex iis quae supra dixi, elucet manifesto. Ergo quum quattuor illa crimina in primis Nubibus Socrati objecta quaerere eum subterranea, quaerere etiam caelestia, eundem et vera elevare et corroborare falsa, denique eum alios haec tantummodo ipsa docere, quum, inquam, haec omnia in nostro dramate aut primoribus tantum labris attingantur, aut ne inveniantur quidem, sicuti vidimus: manet atque ingenue confitendum est, duas Aristophanem Nubes scripsisse penitus inter se discrepantes. Placet autem de priore fabula hic statim aliquam delibare particulam: nam si in tam paucis, quae exstant, fragmentis nonnihil certe ad Socratem caelestibus rebus mire intentum pertinuerit, facilius ad credendum adduceris, Socratem et aliquanto diutius et ratione plane alia in illo dramate supera investigasse. Principio decerpam verbum *μετεωρολέσχης*, nixus Scholiasta Veneto ad Pac. v. 91 *ἔφη δὲ καὶ ἐν ταῖς Νεφέλαις μετεωρολέσχας τοὺς φιλοσόφους, ὅτι τὰ οὐράνια περινοοῦσιν.*

Id qui nuper memoriae errori tribuit confusumque putavit cum *μετεωροσοφιστῶν* Nub. II v. 360, quocum contendas licet v. 333 *ἄνδρας μετεωροφένακας*, nae is erravit gravissime. Mitto, quod verbum *μετεωρολέσχης* ipsum natura sua ita comparatum est, ut ab Scholiasta aliquo proficisci ne potuerit quidem: tanta est antiquitatis nota impressum. Ne illud quidem commemoro, illud Scholiastae propagatum esse etiam a Suida s. *Μετεωροκοπεῖς: — καὶ μετεωρολέσχους* (sic) *τοὺς φιλοσόφους Ἀριστοφάνης φησὶν ἐν Νεφέλαις, ὅτι τὰ οὐράνια περισκοποῦσι.*, unde hoc saltem sequitur, non esse Venetum illud, quod dicimus, Scholium recens aut nuper excogitatum. Sed novam huic verbo fidem facit Scholiasta ad nostras Nubes et v. 224 *διότι μετεωρολέσχης ἦν* de Socrate et v. 330 *Σοφιστὰς*] — *νῦν δὲ τοὺς μετεωρολέσχας λέγει*·—. et v. 319 *στενολεσχεῖν*] — *παρὰ δὲ τὸ στενὸν*

καὶ τὸ μεταρσιολεσχεῖν τὸ στενολεσχεῖν εἴληπται, ὅ ἐστι τὸ μηδὲν λέγειν., siquidem etiam verbum μεταρσιολεσχεῖν e primis Nubibus fluxisse credo. *Μεταρσιολέσχαι* appellantur Anaxagoras et Empedocles in Incerti Auctoris Sisypho 389, a p. 540 B., ubi videsis Scholiastam. Majorem etiam vim habebit Lucianus meus, vetustior testis, Prometh. I, 6 — φροντιστὰς καὶ μετεωρολέσχας καὶ τὰ τοιαῦτα προσαγορεύουσα., abs quo ipsas Nubes dici etiam proxima verba indicio sunt, ἄρτι μὲν ἀεροβατοῦντας δεικνύουσα — τὰ ἀέρια λεπτολογουμένους. Verbum μετεωρολέσχης legas praeterea in Amoribus c. 54 et in Icaromen. 5, ubi modo praecedit ὑψαγόραι τινὲς καὶ οὐρανογνώμονες., μετεωρολογεῖν autem Necyom. c. 21. Taceo grammaticorum glossas Hesychii ac Suidae s. *Μετεωρολέσχαι, Μετεωρολόγοι, Μετεωροπολῶν.* Ex his satis superque clarum est, verbum μετεωρολέσχης ex primis Nubibus repetitum esse, id quod jam *Hemsterhusius* conjiciebat in Anecdotis p. (24), praefatus ille quidem, Jones philosophos, naturalium rerum indagatores, quales Jonicae sectae principes fuerunt, μετεωρολέσχας vocari: fortassis hoc quoque recte, modo adjecisset, comice atque ab Aristophane. Idem opportune attulit Hesychii vocem *Ἀερολέσχης: ὑψηλὸς ἐν τῷ λέγειν, κομπηγόρος.*, bene etiam hanc veteri comico adscribens, et haud scio, an primis Nubibus recte potuerit. Deinde Comicus in primis Nubibus aliud quoque verbum, in secundis obvium tantummodo v. 1463 et 1468, quod cum μετεωρολέσχης potestatem habet propemodum eandem, ἀδολέσχης, ἀδολεσχεῖν, fortassis etiam ἀδολεσχία aliquoties posuerat. Utrumque copulari videas in Phaedro a Platone ἀδολεσχίας καὶ μετεωρολογίας φύσεως πέρι, monente jam *Hemsterhusio:* qui addit, inde liquere, quam erudite Etymologus haec tradat p. 18, 1 et 8 *Ἀδολεσχία*] — ἐτάττετο δὲ τοὔνομα ἐπὶ τῶν τὰ μετέωρα λεσχηνευόντων. atque διὸ καὶ ἀδολέσχας τοὺς φυσικοὺς ἐκάλουν. Hujusmodi ἀδολέσχαι in Tagenistis consociantur cum Prodico illo, non quo is vulgaris aliqui esset sophista,

sed eam ob causam, quod in numerum *τῶν μετεωροσοφιστῶν* referendus est, relatusque in Nub. II v. 360. Et hic quidem praeter Prodicum Socrates quoque dicitur *μετεωροσοφιστής*. Sophistae nomen adhaesisse Socrati puto non tam ut philosopho, quam quod rhetoricam inprimisque dialecticam doceret. Certe hoc voluerunt et Aeschines, adv. Timarch. p. 24, 33 *ἔπειθ' ὑμεῖς ὦ Ἀθηναῖοι, Σωκράτην μὲν τὸν σοφιστὴν ἀπεκτείνατε, ὅτι Κριτίαν ἐφάνη πεπαιδευκώς*—. et Alciphr. Ep. I, 34 *σύγκρινον, εἰ βούλει, Ἀσπασίαν τὴν ἑταίραν καὶ Σωκράτην τὸν σοφιστὴν καὶ ὁπότερος ἄμεινον ἐπαίδευσεν ἄνδρας λόγισαι· τῆς μὲν γὰρ ὕψει μαθητὴν Περικλέα, τοῦ δὲ Κριτίαν.* Alter Socratem comparat cum Demosthene inimico, alter Periclem nobilem oratorem cum Critia; uterque vulgarem usum verbi *σοφιστὴς* sequutus est. Quod autem dixi, verbum *ἀδολέσχης* in primis Nubibus occurrisse, id haud dubium erit comparanti primo Phaedonem Plat. c. 14 p. 29, 18 B. *Οὔκουν γ' ἂν οἶμαι, ἦ δ' ὅς ὁ Σωκράτης, εἰπεῖν τινα νῦν ἀκούσαντα, οὐδ' εἰ κωμῳδοποιὸς εἴη, ὡς ἀδολεσχῶ καὶ οὐ περὶ προσηκόντων τοὺς λόγους ποιοῦμαι.* Fallitur enim cum Olympiodoro *Ruhnkenius* ad Memorab. I, 2, 31 Eupolidis istud *Σωκράτην, τὸν πτωχὸν ἀδολέσχην* hic oblique perstringi ratus, qui Comicus paucis tantum verbis et quasi praeteriens Socratem castigarat, quamvis severe. Tangitur enimvero ob primas Nubes hic Aristophanes, modo prorsus eodem, quo in Apologia c. 2 *πλὴν εἴ τις κωμῳδοποιὸς τυγχάνει ὤν*, ubi Aristophanem hoc tanquam nutu significari non fugit Scholiastam. Cum Platone consentiunt, aliis quibusdam additis, et, quem paene omiseram Aelianus l. l. *ὡς ἦν ἀδολέσχης*, et Maximus Tyrius Diss. XXIV p. 293, ubi auctor est, Socratem ab Aristophane *πένητα καὶ ἀδολέσχην* appellatum esse, minime is quidem, ut *Ruhnkenio* videbatur, cum Aristophane Eupolin confundens, sed renovata Nubium I memoria, et vero etiam haud paullo gravior testis, Xenophon in Oeconomico XI, 3, ubi Socrates, *καὶ ταῦτα ὢν ἀνήρ*, inquit, *ὃς ἀδολεσχεῖν τε δοκῶ καὶ ἀερομετρεῖν*,

καὶ τὸ πάντων δὴ ἀνοητότατον δοκοῦν εἶναι ἔγκλημα πένης καλοῦμαι. *Schneiderus* de verbis ἀδολεσχεῖν et ἀδολεσχία subtiliter expositum esse narrat ab *Heindorfio* ad Platonis Phaedrum p. 326. Is mihi liber haec scribenti praesto non erat. Sed ego hunc Xenophontis locum jamdiu multum posse judico ad conjecturam quandam meam valde confirmandam. Socrates Platonicus in ea parte Apologiae, unde huc digressus sum, pronuntiat Aristophanem fecisse Σωκράτην τινὰ ἐκεῖ περιφερόμενον, φάσκοντά τε ἀεροβατεῖν —. Id ab interpretibus, ut *Fischero*, ut *Stallbaumio* ad Nub. II, 226 revocatum est. Falso. Nam praeterquam quod Socrates apud Platonem de primis Nubibus verba facit, vis ac notio Participii περιφερόμενον ab illo quidem loco, ut mox ostendam, alienissima est. Haud praefracte negarim, verbum ἀεροβατεῖν in utrisque Nubibus collocari potuisse: etsi Aristophanes non temere solet unum eundemque jocum plus semel movere. Paullo verisimilius, sed non magis verum puto Socratem primo αἰθερεμβατοῦντα sive αἰθεροβατοῦντα sublimem in scena conspectum esse. Sed magni Platonis negligentiam non semper gratam, in rebus quidem historicis, quis nescit? Qui quum utrasque Comici Nubes legisset, imprudens videtur e secundis istud ἀεροβατεῖν in primas transtulisse, fallente magna verborum ἀερομετρεῖν atque ἀεροβατεῖν similitudine. Contra Xenophon, homo diligentissimus, verbum ἀερομετρεῖν, quo nihil primae fabulae magis conveniebat, nihil aptius erat ad doctas nugas Socratis irridendus, non potuit temere ementiri, aut sibi modo dominatum Aristophani dolo malo subjicere, sed ille profecto ut reliqua ἀδολεσχεῖν atque πένης, sic etiam quod his interposuit ἀερομετρεῖν ex primis Nubibus hausisse censendus est. Quare sic existimo, ἀεροβατεῖν nostris Nubibus unice adjudicandum esse, quemadmodum alterum ἀερομετρεῖν proprium fuit fabulae prioris. Sin tamen vera retulit Plato, ipsi poëtae illud suum ἀεροβατεῖν mirifice placuerat. Equidem, ut egregie *Hermannus*, hoc scite inventum est, philosophum, qui mentem in rebus subli-

mibus meditando defixerit, ipsum in alto suspensum ob oculos proponi. Veruntamen probe norat Aristophanes, jocos vel optimos persese, saepius auditos, taedii plus habere, quam jucunditatis. De verbo ἀεροβατεῖν protulit nonnulla *Hemsterhusius* in Anecdotis p. (24), perbene suspicans, primum ludicrae vocis auctorem et quasi parentem habendum esse Aristophanem. Restat vox una omnium ad explicandum difficillima, Σωκράτην τινὰ ἐκεῖ περιφερόμενον, e qua tamen primo intellexi, duas fabulas Comicum communi Nubium nomine complexum esse. Atque interpretes quidem, ut paullo ante declaravimus, quum vidissent, Socratem Nubb. II, 226 haec dicere,

ἀεροβατῶ καὶ περιφρονῶ τὸν ἥλιον.

decepti proximis in Platone verbis φάσκοντά τε ἀεροβατεῖν aut plane falsis, aut alienis certe, continuo ita statuerunt, corbem illum sublimem ac pensilem, in quo erat comicus Socrates, huc et illuc agitatum esse. Id vero fieri nullo pacto potest: partim quod istud non patiebatur machinarum theatralium ratio (ostendebatur autem tum Socrates μηχανῆς alicujus ope, sive potius κράδης, minime vero αἰώρας aut αἰωρήματος 8): quod si

8) Nulla erat in theatro Attico machina, cujus ope aliquis sublimis in aëre sursum deorsum ferri posset: quod omnino perdifficile factu videtur. De μηχανῇ exposuerunt, ut Hesychium et alios quosdam omittam, Pollux IV, 128. Suidas s. v. Ἀπὸ μηχανῆς, Schol. Luc. ad Hermotim. 86 et ad Philopseud. c. 29., Schol. Platon. p. 142 R. sive p. 394 B. Videamus primo, quam theatri partem occuparit notissima illa μηχανή, tum quidnam fuerit ipsa. Certo ea tenuit ultimam partem scenae, neque vero latera proscenii: alioquin et latera plane referta essent machinis, ultima vero pars machinam habuisset nullam et ne erat quidem in lateribus magnae isti machinae locus relictus propter periactos. Praeterea dii, quos μηχανῇ in conspectum proferat in ultima fere tragoedia, quasi procul apparere spectatoribus debent, non in ipso proscenio, ne lusus mentis turbetur. Quod igitur Pollux sic loquitur, καὶ κεῖται κατὰ τὴν ἀριστερὰν πάροδον, aut magnopere erravit et scribere debuit potius κ. κ. κατὰ τὴν ἀριστερὰν θύραν, aut id non de proximo loco, sed de recta linea intelligendum

maxime factum esset, ne sic quidem Socrates temere in aëre jactari posset, sed certum deberet locum petere vel

---

est et hoc dictum, machinam neque super media janua esse neque dextra, sed super τῇ ἀριστερᾷ θύρᾳ, id est, recta a loco τῆς ἀριστερᾶς παρόδου in anteriore parte proscenii et orchestrae prospicienti sitam esse, quamquam in remotissima scenae parte, μηχανήν. Haec explicatio adjuvatur verbis, quae insequuntur, his ὑπὲρ τὴν σκηνὴν τὸ ὕψος, quibus παρόδους exprimi non posse patet. Et in extrema scenae parte Machinam fuisse, dilucide monstrat Scholiasta ad Philopseuden, qui ἄνωθεν, inquit, ὑπὲρ τὰς παρ' ἑκάτερα τῆς μέσης τοῦ θεάτρου θύρας· αὗται δὲ πρὸς τὴν εὐθείαν τοῦ θεάτρου πλευρὰν ἀνεῳγεσαν, οὗ καὶ ἡ σκηνὴ (sed male addit καὶ τὸ προσκήνιον δέ). At hic Scholiasta non unam novit Machinam, sed duas, alteram super sinistra janua, super dextra alteram (μηχανῶν δύο μετεωριζομένων ἡ ἐξ ἀριστερῶν θεοὺς καὶ ἥρωας ἐνεφάνιζε παρευθὺ κτέ.). Videtur ergo cum caeteris, ut Polluce pugnare, vere autem non pugnat. Nam in summa re plane consentiunt, quum ambo tradiderint, nobilem illam μηχανήν, quae deos subito in aërem detraheret, in parte fuisse sinistra. At μηχανὴ proprie quamlibet machinam significat, quales in theatro Attico quum aliae multae fuerunt, tum haud dubie una etiam super dextra janua, et plane existimo, ibi αἰώρας fuisse ad volatum imitandum comparatas, quum interea μηχανὴ illa, ubi ad certum locum in aëre pervenisset, non amplius moveretur. Tum male opinantur Suidas et alter Schol. Luc., machinam spectatores semper quidem alias vidisse, tum autem eam conversam (στρεφομένη, ut Suidas recte) dei vultum ostendisse. Locum quidem semper videres, non item μηχανὴν ipsam, quae plerumque supra occultabatur. Pejus etiam converti faciunt machinam, machina turpiter mixta cum periactis. Certissimum puto, μηχανὴν notam illam fuisse ejusmodi quid, quod tractō fune uno pluribusve de summo tecto in aërem demitteretur. Haec sententia non modo simplicissima est, sed etiam extra omnem dubitationem ponitur verbo κράδη, sive Polluci adsentiens id in Comoedia idem valuisse censeas, quod μηχανὴ in tragoedia, sive cum aliis, id quod magis placet, κράδην pro aliqua parte τῆς μηχανῆς habueris. Κράδη enim ducta a quadam ficus similitudine funes designat qui deducantur. Denique res omnis sic videtur comparata fuisse. Μηχανὴν appellabant eam tabularum compagem, qua deus sustinebatur; haec rur-

tectum vel proscenium), partim quod tantum aberat, ut corbis ille commoveretur, ut Socrates in eo quietus,

---

sus apta erat et suspensa a funibus quibusdam, qui desuper paullatim remittendo deducebantur. Quod ubi machina ad certum usque locum in aëre demissa esset, tum funes ferreis uncis (ἀγκύραις) tecto incussis supra ita retinebantur, ut machina ne amplius delaberetur, sed staret immota. Finita oratione deus ita in aetherem abibat, ut machina funium illorum ope in altum reduceretur. Itaque de tribus januis in exitu scenae media machinam habebat nullam, sinistra nobilem illam, super dextra denique credo fuisse ἐώρημα, *quod funes requirebat multo, quam machina longiores, idcirco quoniam αἰώρημα de proscenio in tectum, tanquam in caelum, perduceret et iterum de caelo in proscenium.* (Hoc jam velim indictum. Nonnunquam enim etiam de machina in scenam descendebant, veluti in Prometheo Aeschyli et in ipsis Nubibus v. 238.). Etiam structura aeorae omnisque ratio longe alia esse debebat, ac machinae illius, putoque aeoram non modo ductilem fuisse, sed fortassis etiam versatilem, quodammodo certe plenam motuum: nam ἐώρημα quasi aliquod oscillum volatum in aere imitabatur, dum machina sensim sensimque vel demitteretur, vel reduceretur. Omnino diversas fuisse machinas Μηχανὴν sive Κράδην et rursus Αἰώραν vel per se intelligitur. Illud vero, quod dixi, discrimen jam Pollux mihi praeivit, his usus verbis Ἡ Μηχανὴ δὲ θεοὺς δείκνυσι καὶ Ἥρωας τοὺς ἐν ἀέρι et contra Αἰώρας δ' ἂν εἴποις τοὺς κάλως, οἳ κατήρτηνται ἐξ ὕψους, ἀνέχειν τοὺς ἐπὶ τοῦ ἀέρος φέρεσθαι δοκοῦντας, Ἥρως ἢ θεούς. Eamque vim αἰώρα etiam alibi habuit, ut in festo ejusdem nominis, quod cum oscillando erat conjunctum. Quaesivit ex me aliquando amicus, quonam pacto Trygaeus in Pace e proscenio in caelum h. e. in apertum tectum avolasset. Cui ego factum id esse aeoremati ope confirmabam. Idem jam dudum viderat Scholiasta Venetus ad v. 77 μετέωρος δὲ αἴρεται ἐπὶ μηχανῆς (in *aliqua* machina): τοῦτο δὲ καλεῖται ἐώρημα· ἐν αὐτῇ δὲ κατῆγον τοὺς θεοὺς καὶ τοὺς ἐν ἀέρι λαλοῦντας· (In postremis verbis confundit notam illam μηχανήν). Neque vero Trygaeus qua via in caelum abiit, eadem in terram revertit sive casu, sive vitio aeoremati. Postremo in Nubibus v. 226 prorsus habemus Μηχανὴν s. Κράδην, nisi quod pro speciosa machinae compage corbis pensilis (κρεμάθρα, ταρρούς) ridicule subjectus est. Haec breviter per-

sederet, solem observans; nempe *μετέωρον αὐτὸν ἐποίησε καθήμενον*, ut recte Scholiasta. Quid jam videtur de Socrate apud Aristophanem *περιφερομένῳ*? Si *περιφέρεσθαι* significaret *in scena irrideri*, res esset confecta. Hanc vero potestatem ac notionem illud verbum nunquam habuit. Num ergo tunc Socrates in lectica circumferebatur, vel sedebat in curru? Minime. Dici non potest, quam multa a me frustra jam tentata sint: nunc sine ulla dubitatione obscurum istud *περιφερόμενον* similiter ac *περιφθειρόμενον*, sed tamen lenius, interpretor, *Socratem, qui per vias plateasque errabat*, der ſich umhertrieb. Plane enim in prioribus Nubibus Socrates videtur talis inductus esse, qualis vulgo apparebat, otiose in foro et viis ambulasse atque cum obvio quoque collocutus esse. Quin etiam Socrates apud Platonem mox ipse verbi *περιφερόμενον* agere videtur interpretem. Deinceps enim in ea ipsa parte, in qua se ab Aristophane defendit, narrat, se ab Apolline, quem Chaerephon consuluerat, excitatum ubique circumivisse et omnes locos peragrasse, ut sapientem aliquem cognosceret: *ἦλθον ἐπί τινα*, inquit, *ἐπ' ἄλλον ἦα, ἐφεξῆς ἦα, περιιὼν ἐπιζητῶ*, ne plura commemorem. Huc igitur simul alludere poterat Aristophanes. Quae si vere a nobis disputata sunt, nullo negotio intelligitur, aliam fabulam fuisse primas Nubes, ubi in viis vulgo conspiceretur Socrates cum discipulis suis, aliam secundas, ubi intra parietes misellae domus, quod *φροντιστήριον* dicitur, sese continet. Jucundum est videre Aelianum V. H. II, 13 cum Platonico *περιφερόμενον* plane consentientem: *περιφερομένου τοίνυν*, inquit, *ἐν τῇ σκηνῇ τοῦ Σωκράτους* —, cujus verbi a Platone vel alio scriptore vetusto accepti, haud scio, an Aelianus ne ipse quidem rationem reddere potuisset. Etiam haec verba Aeliani, *τὰ δὲ αὐτὰ ταῦτα καὶ τοὺς προσόντας αὐτῷ ἐδίδασκέ τε καὶ εἰδέναι ἀνέπειθεν*. nescio quo

curri, locis etiam allatis omnino paucis: viris enim scribo me doctioribus: auditoribus vero meis copiosius exponere eadem soleo.

modo proxime accedunt ad illud Platonis, *καὶ ἄλλους ταὐτὰ διδάσκων:* quem utrumque locum considerans vix me teneo, quin conjiciam, in primis Nubibus nondum, ut in secundis, justam disciplinam Socrati tributam esse, sed tantum familiaritatem juvenum aliquot perditorum. Omnino autem incredibile dictu est, quantopere Aelianus in toto illo capite secum ipse dissideat, modo rebus quibusdam traditis fide perdignis, modo alia commentus a vero longissime disjuncta. Quae mihi probavit, ea fere huc redeunt. Bene judicat, magnis Dionysiis Nubes I datam esse, et quidem permagnam hominum multitudinem, etiam peregrinorum, Graecorum denique, spectandi cupidos confluxisse. Hoc verum esse, e didascalia et aliunde quoque cognovimus. Deinde haec verba, *μήποτε ἄρα ἀγριάναντες οἱ φίλοι οἱ τοῦ Σωκράτους ἐξάψωσι κατ' αὐτῶν τοὺς δικαστὰς, εἶτά τι πάθωσι κακὸν ἀνήκεστον,* utut absurda caeteroquin, ex parte tamen cum argumento Nubium I congruere, ex iis patet, quae supra disputavimus. Tum quod dicit, Comoedia Socratem tam parum delectatum esse, ut eam mirifice contemneret vixque aliquando ab Alcibiade aut Critia ad spectandam Comoediam perduceretur, nos vero facile credimus, *τοὺς τρυγοδαίμονας τούτους* (Nub. II, 296) optimo Socrati sordere potuisse. Denique mihi persuasit Aelianus, Socratem, quum Nubes I., docerentur, in theatro adfuisse, et primum quidem adsedisse, deinceps vero, ut praeter comicum etiam verus Socrates omnium oculis usurpari posset, stantem spectasse. Certe hoc et dignum erat Socratis persona, et ut modum excesserit Aelianus remque nimis auxerit, tamen et risisse tunc Socratem et Comici sales aequo animo tulisse, constat ex Aeliano ipso, e Seneca, e Musonio apud Stobaeum, Plutarcho, et si quaeris, etiam e Diogene Lib. II, 26 fin. Haec fere laudabilia sunt. At idem saepenumero mentitus est, quippe qui primas Nubes non magis, quam ego, unquam vidisset: ter autem suam ipse inscitiam prodidit mendacio inficeto. Primo se miraturum negat, si Socrates

inter ipsos etiam histriones conspici potuerit. Quam convenit, tanta dubitatione uti in re certissima? Proferrem illud Platonis *Σωκράτην τινὰ ἐκεῖ περιφερόμενον, φάσκοντά τε ἀεροβατεῖν, καὶ ἄλλην πολλὴν φλυαρίαν φλυαροῦντα*, haberem alia quoque, quae Aeliano objicerem, nisi res ipsa loqueretur. Tum vero Socratem ab Aristophane his nominibus reprehensum ait, quod esset physicus nugator (Nub. I.), quod dicendo efficeret, ut mala causa bona esse videretur (Nub. I.), quod peregrinos daemonas in civitatem induceret (Nub. II.), patrios deos nesciret neque coleret (Nub. II.), atque haec eadem familiares edoceret (forsitan Nub. I.). Sensisti jam Nubes utrasque turpissime ab Aeliano commisceri. Postremo refert, Athenienses Nubes primas cum summa voluptate audivisse, clarissimum poëtae plausum dedisse, etiam judices certaminis jussisse, principem locum assignare Aristophani. Non ignoro, similia quaedam prodidisse etiam Lucianum, Piscatt. 25 *ὥσπερ ἀμέλει καὶ πάλαι ἔχαιρον Ἀριστοφάνει καὶ Εὐπόλιδι, Σωκράτην τοντονὶ ἐπὶ χλευασίᾳ παράγουσιν ἐπὶ τὴν σκηνὴν, καὶ κωμῳδοῦσιν ἀλλοκότους τινὰς περὶ αὐτοῦ κωμῳδίας.*, ubi non negligendum est verbum *ἀλλοκότους*, quod in secundas Nubes tam apte cadit, ut eo unice referendum esse videatur, quum praesertim Lucianus quoque nihil de primis illis, nisi fando, inaudiverit. Num ergo putabimus, Aristophanem tunc judicum tantummodo iniquitatem et sibilos Alcibiadi ejusque asseclarum sensisse, populi autem favorem esse expertum? At nullo modo praeterisset hunc tam commodum defendendi sui locum Aristophanes in Parabasi vel Vesparum, vel Nubium secundarum. Quapropter et Lucianus meus profecto erravit, et Aelianus iste ruit foedissime. Sed satis de Aeliano.

Nubes primae, quas non modo Aelianus, sed ne alii quidem scriptores haud paullo antiquiores amplius evolvebant, maturissime interierunt, et jam interierant, ut plane existimo, tempore Grammaticorum Alexandrinorum, quorum opera fons sunt Scholiorum nostrorum

primarius. Nam illi quoque rationem utrarumque Nubium ignorant, neque quidquam afferre possunt, nisi conjecturas. Unum hujus generis exemplum proponam, quum facile complura possim: videor enim mihi Scholia ad Nubes II, utilissima illa, saepius animo valde adtento perlegisse. Callimacho igitur atque Eratostheni primas Nubes conferre non licuisse e Scholio ad v. 549 intelligitur 9). Id in universum vel sola verba illa, *ἐν δὲ ταῖς Νεφέλαις λέγεται* (nostras enim dicit) docebunt: de singulis vero sic habendum est. Callimachus fidem derogat didascaliis, quod tertio anno post Nubes Maricam ponant, quum tamen v. 549 magno argumento sit, Maricam prius quam Nubes scenae commissum esse. Haec scribens grammaticus nostrarum tantummodo Nubium meminerat, primarum oblitus: multo minus cogitabat, Maricantem inter utrasque Nubes tempore interjectum esse. Callimacho ita occurrit Eratosthenes, ut versum 549 in primis Nubibus et vere actis, quas solas consignabant didascaliae, inventum neget, sed unice eum pertinere censeat ad secundas, id est postea mutatas et ad docendum comparatas. Callimachum Maricam Nubibus praecessisse ratum illud quoque mirari debuisse, quod Cleo in Marica mortuus esset, viveret idem in Nubibus. At neutrum ei mirum videri posse, qui secum reputarit, superstitem esse Cleonem in particula primarum Nubium, omninoque Maricam inter duas Nubes tempore medium fuisse.

---

9) Ipsa etiam verba non gravabor describere: *Δῆλον δὲ, ὅτι πρότερος ὁ Μαρικᾶς ἐδιδάχθη τῶν δευτέρων Νεφελῶν. Ἐρατοσθένης δέ φησι, Καλλίμαχον ἐγκαλεῖν ταῖς διδασκαλίαις ὅτι φέρουσιν ὕστερον τρίτῳ ἔτει τὸν Μαρικᾶν τῶν Νεφελῶν, σαφῶς ἐνταῦθα εἰρημένου, ὅτι πρότερον καθεῖται. λανθάνει δ' αὐτόν, φησὶν, ὅτι ἐν μὲν ταῖς διδαχθείσαις οὐδὲν τοιοῦτον εἴρηκεν· ἐν δὲ ταῖς ὕστερον διασκευασθείσαις εἰ λέγεται, οὐδὲν ἄτοπον· αἱ διδασκαλίαι δὲ δῆλον ὅτι τὰς διδαχθείσας φέρουσι. πῶς δ' οὐ συνεῖδεν, ὅτι καὶ ἐν τῷ Μαρικᾷ προτετελεύτηκε Κλέων, ἐν δὲ ταῖς Νεφέλαις* (v. 577.) *λέγεται· εἶτα τὸν θεοῖσιν ἐχθρὸν βυρσοδέψην.*

Recte quidem Eratosthenes, sed cogitando verum invenit, non literarum ulla memoria usus est hodie ignota; accurate rationem iniit, neque tamen Nubibus inniti potuit, nisi eis, quae aetatem tulerunt. Huc accedit, quod et fragmenta restant omnino pauca, neque vulgares grammatici graeci aut scriptores argumentorum priorem fabulam oculis unquam usurparunt, quum famae se credere auditaque et ab aliis accepta referre nonnunquam fateantur, conjecturas interdum falsas sequantur, Nubes etiam utrasque confundant. Cui sententiae non obstat aut unum quoddam argumentum, bonae frugis plenum, de quo infra erit dicendi locus, aut alius argumenti pars haec, *Διτταὶ δὲ φέρονται Νεφέλαι*, haud vana fortasse, sed ab antiquissimis usque temporibus repetita, ne dicam e didascalia ipsa. Neque Photius aut Suidas, ne Athenaeus quidem vel Diogenes L. Nubes viderant priores: isti enim grammatici ut crebro recens conficta perscribunt, sic etiam multa, aliorum sapientiam identidem compilando, quamvis ipsi rivulos consectentur, ex fonte tamen hauriunt ultimae vetustatis. Alii quid sentiant, nescio; equidem praeter Xenophontem Platonemque nullum nominare possum scriptorem antiquum, quem in oculos incurrat primas Nubes ipsum legisse. Sed tamen Aristophanes, quum ad tertium locum detrusus esset, causae suae bonitate fretus Nubes I saltem ediderat (nam alioquin fragmentum prioris fabulae ne unum quidem exstare posset): aliter visum Eupolidi, qui aliquando (Ol. LXXXVIII, 3) gemina repulsa adeo offensus est, ut *Νυμφίας* suas ne omnino quidem sibi edendas putaret. Non ergo haec quidem est librariorum culpa: tametsi scribae etiam Plutum, Pacem et Thesmophoriazusas singulas ad nos, non binas propagarunt: id quod magnopere dolemus. Has enim fabulas si haberemus utrasque, profecto Aristophanis ingenium multo etiam magis admiraremur et perspicue animadverteremus, illum inventionis novitate, quae laus poëtae non ultima est, comici praesertim, mirum in modum excelluisse. Qui factum sit, ut

Nubes I tantillo post penitus evanescerent, ignoro: et multis in rebus casus quidam dominatur. Fortasse tamen Nubes I editae parum Athenis expetebantur, quum vel primo inter agendum tantopere displicuissent. Fortasse etiam jam antiquitus duae editiones falso putabantur non ita multum inter se discrepare, eoque satis habebant alteram in bibliothecis repositam memoriae prodere. Socratis quidem admiratione, quae paullo post mortem summa fuit, occaecatos homines priorem fabulam sedulo delevisse, atque adeo, si possent, e memoria rerum tollere conatos, id quo minus credam, impedimento est posterior fabula, cui pepercerunt. Non dissimulo tamen, Socratis famae servitum esse et bene gloriae prospectum ab iis, quorum culpa Nubes I occiderunt. Namque in primis Nubibus Socrates non solum leniter reprehensus est, atque ita, ut eum ipsum saepe nullo negotio agnosceres, verum etiam non inique omnino: siquidem philosophus minime debuerat (dicendum est enim saepius) malos adolescentes forensi eloquentia atque ista tanta dicendi subtilitate instruere, instructos quasi in Rempublicam immittere.

Contra in secundis etiam falsa crimina in Socratem conjiciuntur, quibus neque fides haberi soleat, nisi ab imperitis, neque vero peti eis tum potuerit, nisi ab inimicissimo sui: ut maximam Comici artem ubique admirari debeas, res vero ipsas et veritatem saepe requiras. Sed jam propius ad causam nostram accedamus reliquiasque prioris fabulae breviter examinemus. Non scilicet id nunc agemus, ut Comoediae ante hos bis mille forsitan annos intermortuae argumentum in vitam revocemus: quod, si minus consequi potui, at certe sequutus sum in iis, quae de Babyloniis, Thesmophoriazusis, inprimis autem de Daetalensibus scripta in vulgus edidi. In quo illud mihi pergratum accidet, si *Bergkius*, *Raspius* aliique juvenes ingenio praestantes meam rationem imitari voluerint. Hi tamen longe majus exemplar sibi propositum habeant, *Hermanni:* qui multas Aeschyli tragoedias eximie reno-

vavit et ab oblivione hominum vindicavit, in Phaëthonte vero Euripidis e codicillo nescio quo scenas totas paene divinitus restituit: quo uno mihi videtur admirabile quoddam specimen ingenii sagacitatisque edidisse. Nunc igitur praeclare mecum esse actum putabo, si modo primum aliquam Nubium I partem minutorum istorum ope fragmentorum illustrare potuero, tunc autem ex iisdem probabiliter effecero, duas ac diversas fabulas communi Nubium nomine inscripsisse Aristophanem. Et huic quidem opinioni duos quosdam locos obstare atque officere videri, pulchre intelligo. Principio Athenaeus IV, 171, c. quinque versus superstitis fabulae 1197 — 1201 Nubibus attribuit prioribus: *ὡς Ἀριστοφάνης ἐν προτέραις Νεφέλαις*, inquit. Hinc *Seidlerus*, de quo videtur etiam *Dindorfius* audivisse, non bene colligebat, Athenaeum tum forte primas Nubes contulisse solas, ceterum illos versus in utraque fabula exstitisse. At vero, ut maxime Athenaeus priores Nubes unquam sibi acquisiverit, quod difficile est ad credendum, ne possunt quidem versus isti in priorem quoque fabulam inferri, nisi cum persona et Strepsiadis et Phidippidis: quas quidem a primis Nubibus omnino abfuisse, certissimum est. Neque *Brunckio* adsentior *δευτέραις* corrigenti, sed Athenaeum errasse credo: quemadmodum (ne ipsius Athenaei, hominis satis alioqui diligentis, verecundiam saepius objurgem) Hephaestioni invito exciderunt verba *ἐν ταῖς προτέραις Θεσμοφοριαζούσαις* pro *δευτέραις*. Alter locus sine dubio in hac omni quaestione aliquid habebit momenti; sed is, dummodo recte judicaveris, meam causam adjuvat, quam leviter intuenti videbitur infirmare. Argumentum enim, quod ultimo loco posuit *Bekkerus*, scriptum est his ipsis verbis: *Τοῦτο ταὐτόν ἐστι τῷ προτέρῳ. διεσκεύασται δὲ ἐπὶ μέρους, ὡς ἂν δὴ ἀναδιδάξαι μὲν αὐτὸ τοῦ ποιητοῦ προθυμηθέντος, οὐκέτι δὲ τοῦτο δι' ἧνπερ αἰτίαν ποιήσαντος. Καθόλον μὲν οὖν σχεδὸν παρὰ πᾶν μέρος γεγενημένη διόρθωσις, τὰ μὲν γὰρ περιῄρηται, τὰ δὲ πέπλεκται, καὶ ἐν τῇ τάξει καὶ ἐν τῇ τῶν προσώπων*

διαλλαγῇ μετεσχημάτισται. ἃ δὲ ὁλοσχερῆ τῆς διασκευῆς, τοιαῦτα ἅττα τετύχηκεν. Αὐτίκα μάλα ἡ παράβασις τοῦ χοροῦ ἤμειπται, καὶ ὅπου ὁ δίκαιος λόγος πρὸς τὸν ἄδικον λαλεῖ, καὶ τελευταῖον ὅπου καίεται ἡ διατριβὴ Σωκράτους. Haec enarratio, inquam, tota a me est. Haud sane contemnendum hunc auctorem puto vel propterea, quod vere tradidit, poëtam voluisse quidem Nubes docere secundas, neque eo secius tamen quacunque demum de causa id fecisse. Nam si Nubes II tam non solum polite, verum etiam plene limatae essent, ut jam nullus versus operi deesset: e primis illis nihil omnino remanere potuisset, nedum ejusmodi quid, quo tempora ipsa conturbarentur. Veruntamen eidem homini non temere in omnibus credendum esse, maximo argumento illud est, quod dicere non dubitavit, ἡ παράβασις τοῦ χοροῦ ἤμειπται, mutatam esse omnem parabasin: quasi vero non pars ejus multo major vv. 559—622 ex priore dramate huc transfusa in nostro resedisset. Quamobrem de hac fama per manus tradita mihi sic videri profiteor. Legisse primum ejus auctorem etiam deperditas Nubes minime infitior: sed negligenter admodum alteram fabulam cum altera comparasse eundem, contendo. Quum igitur opera sua justo levius perfungeretur, tantum quidem bene animadvertit, Eupolideos illos versus non legi in fabula priore, praetereaque in eadem duo locos non magis inveniri posse, unum vv. 876—1089, alterum, qui hodie scenam efficit postremam, vv. 1459—1493: illud vero, in quo tamen res omnis vertebatur, nescio quo pacto eum fugiebat, fabulas se duas inter se, non editiones comparare. In hunc vero errorem negligentior aliquis facillime potuit incidere. Praeterquam enim quod utrique Comoediae idem erat nomen impositum: utrubique Socrates ridebatur, mentio fiebat discipulorum ejus, supera atque caelestia afferebantur, injustus sermo, justi tamen victor, multum agitabatur, res etiam forenses crebro immiscebantur: licet haec omnia primum ac secundum modo fierent diversissimo. Quod si etiam pauci illi loci, utrique

fabulae communes, quos infra explanabimus, ei ob oculos obversabantur: quid tandem error ejus habet admirationis? Quid, quod optimum virum suo ipsius indicio deprehensum plane tenemus. Incipit autem ita, ut ingenue profiteatur, nostram fabulam a priore non esse diversam. Audio: sed quidnam porro doceat, exspecto. Pergit igitur sic, ut narret, singulos locos in quavis propemodum parte fabulae emendatos esse, alia deleta, retractata alia, alium rerum ordinem institutum, alias personas suffectas, vicissitudinem quoque personarum non esse eandem. Credo: at quomodo tum idem drama retinebimus, si, ut brevi comprehendam, tantum non omnia prorsus immutata videbimus? Haec quomodo inter se satis conveniant, equidem non possum statuere. Quare hujus viri auctoritate non solum opinio refellitur longe lateque disseminata eorum, qui posteriorem fabulam a priore dissidere nolunt, nisi in rebus quibusdam levissimis, verum etiam, si modo subtilius paullo rationem subduxeris, hoc comprobatur, duabus fabulis ab Aristophane unum idemque nomen datum fuisse. Sed tempus est, ad istas primarum Nubium particulas, quas nobis temporum injuria non invidit, perpaucas illas quidem et tenues plerumque aut plane pusillas, tandem aliquando transire. Ac primum illo loco, quem nunc Eupolidei versus occuparunt vv. 514 — 558, scriptos fuisse credo, vulgatissimum in illa parte parabasis metrum, Anapaestos tetrametros. Scholiasta ad v. 514 *οὐχ ἡ αὐτὴ δέ ἐστιν, οὐδὲ τοῦ αὐτοῦ μέτρου τοῦ ἐν ταῖς Νεφέλαις πρώταις, ἀλλ'* —. Nam Eupolideo quidem metro Aristophanes vix usquam usus videtur, nisi in ipsum Eupolin 10), Paeones autem tetra-

10) Certe quidem Eupolin maxime insectatur non solum in Parabasi Nubium II, sed haud dubie etiam in Anagyri. Plutarch. Sympos. III, 2 p. 570 Wytt. *Καὶ τῶν κωμικῶν ἔνιοι, τὴν πικρίαν ἀφαιρεῖν δοκοῦσι τῷ σκώπτειν ἑαυτούς· ὡς Ἀριστοφάνης εἰς τὴν φαλακρότητα, καὶ τὴν οἴνου δίψην Κρατῖνος δὲ τὴν Πυτίνην ἐδίδαξεν.* Aldina ibi et Basileensis *τὴν Ἀγάθωνος λίψιν* vel *δίψην*. Apparet, haec non de brevi quo-

metros non saepe in illa fabulae parte posuit, ac fortasse

---

dam loco sumi potuisse (veluti Nubb. 541 *οὐ κομῶ*, vel Pac. 767 *καὶ τοῖς φαλακροῖσι παραινοῦμιν | ξυσπουδάζειν περὶ τῆς νίκης. | πᾶς γάρ τις ἐρεῖ —.*), sed Aristophanem, si minus in integra fabula, at certe longiore loco et plane insigni calvitium irrisisse suum. Equidem sic corrigo: *ὡς Ἀριστοφάνης εἰς τὴν φαλακρότητα, ἐν τῷ Ἀναγύρῳ* (scilicet *ἔσκωψεν*)· *καὶ Κρατῖνος δὲ εἰς τὴν οἴνου δίψην τὴν Πυτίνην ἐδίδαξεν.* Res sic videtur se habere. Primum Aristophanes a Cratino in Pytine (Ol. 89, 1.) irritatus in Nubibus II, scriptis illis Ol. circiter 90, 2., dixerat v. 550 *ἐκστρέψας τοὺς ἡμετέρους Ἱππέας κακοὺς κακῶς* de Maricante, quem docuerat Eupolis Ol. 89, 4. Huic respondit Eupolis in Baptis Ol. 91, 1. datis ita: *Κἀκείνους τοὺς Ἱππέας | Συνεποίησα τῷ φαλακρῷ τούτῳ κἀδωρησάμην.*, non solum metro illo, quod ipse invenerat, tum rursus retento, sed etiam additis fortasse versibus aliquot continuis, in quibus aemuli et quidem melioris poëtae calvitium naviter illuderet. Huic iterum respondit Aristophanes in Anagyro, quem necesse est datum esse circiter Ol. 91, 2., tum quoque eodem metro parabasin pertexens: *Ἐκ δὲ τῆς ἐμῆς χλανίδος τρεῖς ἀπληγίδας ποιῶν.*, hoc est: *Eupolis Equites meos, optimam comoediam, dissuendo tres malas* (Maricam, et alias duas) *effecit et, quasi fur improbus, conglutinavit.* Vides, totas illas rixas inter Eupolin atque Aristophanem de eo, uter eorum fur dicendus esset (quem satis scio, aut Eupolin fuisse, aut neutrum) Eupolideo metro in scena agitatas esse: nam Cratinum quoque, initium ac semen omnium malorum, suspicari licet ab Eupolideo versu exorsum esse: quo eum alibi uti certo cognovimus. Ceterum Aristophanes, quo gravius convicium illud Eupolidis *τῷ φαλακρῷ τούτῳ* et frigidos quosdam jocos ejus ex hoc fonte haustos refutaret, coryphaeum, qui poëtae nomine et auctoritate parabasin Anagyri recitaret, cum ingente capillamento, sive potius pericephalaeo in medium prodire jussit: nisi forte Aristophanes tum coryphaei partes ipse agebat. Nempe ex parabasi Anagyri Aristophanii sine dubio repetitum est fragmentum illud apud *Hermannum* Opusc. T. III p. 40, quod ad auctorem jam *Th. Bergkius* retulerat, Eupolideos autem versus inter legendum nuper statim agnovit, me praesente, *Hermannus:*

Ἐγὼ δὲ διὰ ταῦθ', ἵνα μὴ καὶ γέλων ὄφλων λάθω,
ἐξῆμμαι περὶ τὴν κεφαλὴν τήνδε πηνίκην τινά.

semel tantum, in Thesmophoriazusis secundis. Videamus nunc Anonymum de Comoedia p. X, 15 ἐδίδαξε δὲ πρῶτον

Ita scribendum esse puto: nam dactylus versu locoque secundo removeri nequit. Quapropter Aristophanes (ut ad Plutarchi memoriam, unde huc deflexit oratio, revertar) non totam aliquam fabulam in calvitiem suam scripserat, sed eam riserat quum saepe alias, quasi praeteriens, tum vero etiam in certo quodam loco eoque prorsus singulari, in parabasi, quam diximus, Anagyri. Talem maxime exitum videtur peracerba ista rixa Eupolin inter atque Aristophanem habuisse: ex qua caeteroquin Aristophanem, eum, qui prior lacessitus erat, multo superiorem discessisse, jam (quemadmodum spero) nemo unus dubitabit. His ita disputatis restat, ut τρεῖς ἁπληγίδας Eupolidis ex unis Equitibus secundum Aristophanem consutas in lucem proferre studeam. Primum de Maricante id constat luculento Aristophanis testimonio et certe unum quoddam fragmentum apud Quinctil. I, 10, 18 cum Eqq. 188 sq. tam mirabiliter consentit, ut Aristophanes non temere queri videatur, Equites suos in Maricante compilatos esse. Secundam fabulam ab Aristophane dici arbitror Autolycum priorem, tum quod eodem tempore cum Marica data est Ol. LXXXIX, 4., tum quia certus homo, Autolycus in ea ludificatus est, ut demagogi Cleon in Equitibus, in Maricante Hyperbolus, tum quoniam Eupolis Autolycum fabulam postea longe aliter conformavit. His argumentis aut concedere debebis, aut aliam demonstrare Eupolidis fabulam, in quam opinio ista ullo modo cadere posse videatur. Tertiam denique fabulam, quae in hunc censum veniat, *Χρυσοῦν Γένος* fuisse tam certo cognovi, ut de hac comoedia non magis dubitandum esse videatur, quam de Marica. *Meineckius* quidem aliud agebat, quum in Quaest. Sc. I p. 40 in Vespas nonnihil ex Eupolidis *Χρυσῷ Γένει* derivatum esse pro certo sumeret: quo nihil minus verum est. Nempe uterque Comicus utitur verbo *κιθαραοιδότατος*. Sed quid postea? Nunquam vero vel docuit *Meineckius*, vel potuit docere, hanc Eupolidis fabulam ante Vespas commissam esse: siquidem incertum est, utrum *Χρυσοῦν Γένος* paullo ante Vespas, an paullo post eas in scena exhibitum sit. Docuit Eupolis *Χρυσοῦν Γένος* vivo etiamtum Cleone, sed post Equites, ergo post Ol. LXXXVIII, 4., quoniam de hac fabula cepit exemplum. Cleon enim in illo Eupolidis dramate exagitatus est, plane ut in Equitibus Aristophanis, id quod ex illo fragmento intelli-

ἐπὶ ἄρχοντος Διοτίμου διὰ Καλλιστράτου· τὰς μὲν γὰρ πολιτικὰς τούτῳ φασὶν αὐτὸν διδόναι, τὰ δὲ κατ' Εὐριπίδου καὶ Σωκράτους Φιλωνίδῃ, et scriptorem Vitae Aristoph.

---

gitur, Ὦ καλλίστη πόλι πασῶν ὅσας Κλέων ἐφορᾷ. Habemus etiam Agoracritum alterum in Eupolide: vide Stephanum Byzantium s. Μαριανδυνία. Χώρα. Εὔπολις Χρυσῷ Γένει· Α. ὁρῶ. Β. Θεῶ νῦν τήνδε Μαριανδυνίαν., et evolve non tu quidem Nub. 208 sqq. locum genere diversum, sed longe simillimum illum Eqq. 163 — 175. Quodsi recte conjeci, Hesychii glossam, Γαληψός· παίζει μὲν Εὔπολις παρὰ τὸ λαμβάνειν —., ad Χρυσοῦν Γένος potissimum referendam esse, propterea quod Cleon et saepissime argento corruptus est, et idem Galepsum cepit, auctore Thucydide V, 6: necessario sequitur, Eupolin paullo ante mortem Cleonis hanc fabulam docuisse. Sed verius est, illam Hesychii glossam pertinere ad Maricam, in qua Eupolis, ut Hyperbolum vivum aggressus est, sic etiam Cleoni insultavit mortuo. Non est hujus institutae disputationis, singula fragmenta de Χρυσῷ Γένει relicta pertractare: sed paucula quaedam ex hoc genere animi causa decerpam. Locis a *Runkelio* collectis adde etiam Schol. Rav. ad Thesmoph. 162. Tum in Scholiis ad Vesp. 920 scribendum est, ὡς Εὔπολις Χρυσῷ Γένει· Λοιπὸς γὰρ οὐδείς; Τροφαλὶς ἕξει. νὴ Δία | ἐφ' ὕδωρ βαδίζει, σκῖρον ἡμφιεσμένη. Ceterum hi versus praeclare illustrantur Aristophanis loco Vesp. 838 sqq. Deinde a Scholiasta ad Avv. 42. Eupolidis locus comparatur eum Aristophanico βάδον βαδίζομεν, unde certe emergit, Eupolin dixisse σοφὸν σοφίζεσθαι. Fortasse, τί γὰρ σοφίζῃ νῦν σοφὸν, ὦ ῥαψῳδὲ σύ; vel simili modo. Ceterum non dubito, quin ad hunc ipsum locum pertineat Eustathii memoria p. 1023, 13 — σοφιστὴν λέγει. καὶ τὸν ῥαψῳδὸν Εὔπολις. Praeterea e Scholiasta ad Vesp. 1301 ὁ ἀχυρός, παρ' Εὐπόλιδι ἐν Χρυσῷ Γένει· ὅπου καὶ τὸ Πλάτωνος παράκειται ἐξ Ἀδώνιδος. facile apparet, Scholia in Eupolidis Χρυσοῦν Γένος scripta fuisse. Sic etiam scholia exstabant in Maricam (Schol. Ar. Plut. 1038 ὅτι δὲ συμβάλλεται ἐν Μαρικᾷ Εὐπόλιδος οἶδα.), in Autolycum alterum (Schol. Rav. Thesmoph. 941 ὥστε οὔτε ἐκεῖ οὔτε ἐνθάδε δεῖ ξενίζεσθαι) et alias fortasse. Postremo Choeroboscus in Bekk. Anecd. III p. 1290., cui fidem habuit *Buttmannus* Gr. Tom. I p. 407 not. omnino errare videtur. Mirum enim, ni scripserit Eupolis, Εἰ μή τις αὐτὴν κατακλινεῖ.

p. XVIII, 22 *ὑποκριταὶ Ἀριστοφάνους Καλλίστρατος καὶ Φιλωνίδης, δι' ὧν ἐδίδασκε τὰ δράματα ἑαυτοῦ, διὰ μὲν Φιλωνίδου τὰ δημοτικά, διὰ δὲ Καλλιστράτου τὰ ἰδιωτικά.*, ubi transponenda esse aut verba *Φιλωνίδου* et *Καλλιστράτου*, aut *δημοτικὰ* et *ἰδιωτικὰ* intellexit *Clintonus*. Quum praeter Nubes I nullam aliam fabulam in Socratem scriptam docuerit Aristophanes, apparet ex illis verbis *τὰ δὲ κατὰ — Σωκράτους Φιλωνίδῃ*, primarum partium actorem, quum Nubes I darentur, potissimum illum fuisse Philonidem 11). Et quoniam in nostris Nubibus primas agit Strepsiades, Socrates autem, ut quidem videtur, secundas: primariam earum, quae vere datae sunt, Nubium personam in Socrate ipso reposuerim. Quod uti salvo totius fabulae consilio fieri potuit, ita etiam inprimis eo commendatur, quod Philonides, pulchre monente *Suevernio*, singulari quadam arte proprias ac certas personas imitando videtur expressisse, ut Euripidis, ut Socratis, Callistratus vero communes potius ac late patentes, veluti in Daetalensibus 12). Singuli versus, vel etiam

11) Vidit jam *Hanovius* Exercc. p. 7, ubi „Histrionis igitur partes, inquit, Philonides egit Nubibus" etc. Quae ibi paullo ante dixit improbamus.

12) Animadvertas etiam, Callistratum plerumque magnis Dionysiis in scenam progressum esse, at Lenaeis Philonidem. Compara modo Babylonios, Aves et fortasse Lysistratam cum Vespis, Proagone, Amphiarao, Ranis. Fieri igitur potest, ut Callistratus quidem et audax homo fuerit et dives, quum non dubitaret magnis Dionysiis vel potentissimos demagogos, excepto quidem Cleone, in scena actor perstringere, Philonides vero et paupertate et insita quadam timiditate impeditus sit, quominus ullum virum, qui ei multum nocere posse videretur, publice illuderet. Tum ei minus profuerit ista simiarum facultas, in quovis imitando promta atque expedita. At vero quidnam in causa fuerit, cur Aristophanes tum Philonidi, tum fortassis etiam Callistrato complures fabulas de manu, ut ajunt, in manum plane traderet, id nondum mihi videor penitus intellexisse. Nam si forte dixeris *Διὰ πενίαν* collato Suidae loco ap. Meineck. Sp. II p. 12., Philonidem potius pauperem fuisse arbitror, quam Aristophanem, de cujus pauper-

partes versuum, hi fere nobis servati sunt. Primum Athenaeus XI, 479, c. sic loquitur: *κοτυλίσκος δὲ καλεῖται ὁ ἱερὸς τοῦ Διονύσου κρατηρίσκος, καὶ οἷς χέονται οἱ μύσται, ὡς Νίκανδρός φησιν ὁ Θυατειρηνός, παρατιθέμενος τὸ ἐκ Νεφελῶν Ἀριστοφάνους· Μηδὲ στέψω κοτυλίσκον. Σιμίας δὲ ἀποδίδωσι τὴν κοτύλην ἄλεισον.* Quum initiates non modo usos esse poculis istis, sed etiam libasse eis, aliunde constet, praepostera est *Casauboni* emendatio *χέονται* in *χρῶνται* mutantis, nempe quod apud Hesychium est: *Κοτυλίσκος: κρατηρίσκος, ᾧ χρῶνται οἱ μύσται.* Simias autem, uti nunc est, verbum ipsum *κοτυλίσκος* interpretatur: sed quoniam *πλὴν κ. ἄ.* in bono Codice inventum est, videri potest grammaticus scripsisse *πληροῦν κ. ἄ.* atque id egisse solum, ut Aristophanis illud explicaret. Huic sententiae favet vis ac significatio verbi *στέφω*, quod valet *implere (Buttmannum* audi in Lexil. I p. 96 sqq. egregie disputantem): obstare illud potest, quod haud satis liquet, utrum *κοτυλίσκον* dixerit Aristophanes, an *κοτυλίσκους*. De qua re sic habeto. Si Aristophanes minutum craterem, Baccho sacrum, designet, quod nemo negabit, quin potuerit facere magnis praesertim Dionysiis: retinenda est lectio Singularis *κοτυλίσκον*, non modo communis librorum ad unum omnium, verum etiam de certo rerum genere prope necessaria. Quare Singularem numerum habent tum Athenaeus *ὁ ἱερὸς τοῦ Διονύσου κρατηρίσκος*, tum etiam Pollux VI, 99 *ἔστι δέ τι καὶ ὁ κότυλος Διονυσιακὸν ἔκπωμα, ὥσπερ καὶ ὁ κοτυλίσκος.* Nunc non videtur dubitandum esse, quin hoc Comici fragmentum ad Eleusinia mysteria pertineat. Ne enim dicam, hanc rationem ad argumentum fabulae magis etiam accommodatam videri, et proxime praece-

---

tate altum est apud veteres silentium, si ab uno discesseris Aeliano qui eum V. H. II, 13 appellat *πένητα ἅμα καὶ κατάρατον*. At Aristophanes meus, sat scio, non magis *πένητα* erat, quam *κατάρατος*. Sin vero eum finges avarum, a Callistrato locupletari opibus fortasse potuit, a Philonide autem nullo modo.

dunt illa verba Nicandri *καὶ οἷς χέονται οἱ μύσται*, quibus quidem Aristophanis versus testimonii loco statim subjicitur, et implendi verbum *στέψω* mysteriis illis mire congruit. Nam ultimo die mysteriorum (*Πλημοχόη* appellabatur) bina pocula, quae *πλημοχόαι* vel *κοτυλίσκοι* dici solebant, aqua vel vino repleta, unum ad ortum solis collocabant, ad occasum alterum: deinde evertebant utrumque libandi causa, additis verbis quibusdam mysticis. Hoc genus libationis dicebatur *μυστηριώτιδες σπονδαι* 13). Ita vero numerus Singularis *κοτυλίσκον* non caret offensione: quandoquidem bini calices, non singuli,

13) Venia detur notas res et centies decantatas aliquando repetenti: quod nunquam facio, nisi coactus et repugnanter. Athenaeus XI, 496, a *Πλημοχόη. σκεῦος κεραμεοῦν βεμβικῶδες ἑδραῖον ἡσυχῆ, ὃ κοτυλίσκον ἔνιοι προσαγορεύουσιν, ὡς φησι Πάμφιλος. χρῶνται δὲ αὐτῷ ἐν Ἐλευσῖνι τῇ τελευταίᾳ τῶν μυστηρίων ἡμέρᾳ, ἣν καὶ ἀπ' αὐτοῦ προσαγορεύουσι πλημοχόας· ἐν ᾗ δύο πλημοχόας πληρώσαντες, τὴν μὲν πρὸς ἀνατολὰς, τὴν δὲ πρὸς δύσιν ἀνιστάμενοι ἀνατρέπουσί τε* [sic] *ἐπιλέγοντες ῥῆσιν μυστικήν. μνημονεύει δὲ αὐτῶν καὶ ὁ τὸν Περίθουν γράψας, εἴτε Κριτίας ἐστὶν ὁ τύραννος, ἢ Εὐριπίδης, λέγων οὕτως·*

Ἵνα πλημοχόας τάσδ' εἰς χθόνιον
χάσμ' εὐφήμως προχέωμεν.

Quum Codices praeter Epitomen omnes *ἀνατρέπουσί τε* propagent, aliquid excidisse puto hujusmodi, ut *καὶ χέονται* vel lenius etiam *καὶ χέουσιν*. Tum Anapaestos illos, quos de eversis plemochois non debebat interpretari *Meursius*, *Casaubonus* ad inferias revocat eas quae mortuo fiebant effusa in foveam libatione: recte. Pollux X, 74 *τάχα δὲ καὶ Πλημοχόην· ἔστι δὲ κεραμεοῦν ἀγγεῖον, οὐκ ἔχον ὀξὺν τὸν πυθμένα, ἀλλὰ ἑδραῖόν τε καὶ στάσιμον, ᾧ χρῶνται τῇ τελευταίᾳ τῶν μυστηρίων, ἣν ἀπ' αὐτοῦ καλοῦσι πλημοχόην.* Denique Hesychius *Πλημοχόη: τῇ ὑστεραίᾳ ἡμέρᾳ τῶν μυστηρίων κοτυλίσκους πληροῦσιν, οὓς καλοῦσι πλημοχίας.* Ubi verbis *τῇ ὑστεραίᾳ ἡμέρᾳ τ. μ.* adversatur gravissima auctoritas Athenaei atque etiam, minor illa quidem, Pollucis: nisi forte idem dies ab aliis ultimus mysteriorum numerabatur, ab aliis de numero eximebatur. Evolve sis etiam *J. Meursium*, Eleusin. c. XXX (Thesaur. Gronov. T. VII p. 67 sq.).

ad libandum comparati, evertebantur. Namque et Nicander apud Athenaeum dicit *καὶ οἷς χέονται οἱ μ.*, et Athenaeus ipse in altero loco *ἐν ᾗ δύο πλημοχόας πληρώσαντες*, et Hesychius *κοτυλίσκους πληροῦσιν, οὓς καλοῦσι πλημοχόας*: quorum verbis minime repugnat ejusdem Hesychii Athenaeique vox atque etiam Pollucis, *ᾧ χρῶνται*, non illa quidem falsa omnino, veruntamen minus accurate dicta: hi enim numerum non definiverunt. Accedit, quod nihil facilius cogitari potest conjectura *κοτυλίσκους*, propterea quod litera *σ* proxime subsequitur. Quin etiam hunc locum ita prorsus afferunt, licet tacite, et *Hermannus* et *G. Dindorfius*, sive, uti videtur *Dindorfius*, casu ac potius quadam negligentia, sive *Hermannus* versum emendare maluit, quam de ista emendatione multum gloriari. Quod vero ad sententiam attinet, Socratem Eleusiniis mysteriis non initiatum fuisse, necessario sequitur e loco Luciani in Demonacte c. 11, quamvis aliter sentiat *Lobeckius* Aglaoph. p. 21 infra 14). Contra idem ille nova quaedam sacra et tanquam mysteria inducere credebatur: cf. Nub. II (143 *μυστήρια*) v. 274 v. 359 v. 436 maximeque v. 258 *τοὺς τελουμένους*. Itaque illa verba sic interpretor: *neque impleam pocula* (ut in veris mysteriis, sed aliud nescio quid faciam in novis his mysteriis atque adumbratis). Videtur enim Comicus hoc dicere, Eleusinia Mysteria, quae Athenis in summo honore erant, a Socrate et a Socraticis quibusdam pro nihilo putari, in eorumque locum nescio quid ineptiarum suffici. Alcibiades quidem nonnullis annis post priores Nubes publice adeo, quod sacra violasset profanassetque mysteria, reus factus est 15). Ceterum hoc fragmentum e parabasi

---

14) Nonnulli addunt, ab eodem contemta esse mysteria illa, quod apparere ex Isocrate in Paneg. I p. 106 ed. Bas. (?). Nihil tale apud Isocratem legisse videor.

15) Ambiguam esse hanc explicationem fateor. Quum primum illa verba legerem, partim *Δίνῳ* illo toties in Nubibus II commemorato, partim Simiae glossa ad illustrandum *κοτύλη*

sumtum esse opinatur *Dindorfius:* quasi non Comico in praecipuo illo loco parabasis, qui una cum commatio solus periit, alia omnia agenda essent. Imo illa verba catalectum versum effecerant in systemate Anapaestorum dimetrorum. Sequatur locus perdifficilis quidam, Diogenis Laertii II, 18 *Ἐδόκει δὲ (Σωκράτης) συμποιεῖν Εὐριπίδῃ. ὅθεν Μνησίλοχος οὕτω φησί·*

Φρύγες ἐστὶ καινὸν δρᾶμα τοῦτ' Εὐριπίδου,
ᾧ καὶ Σωκράτης τὰ φρύγανα ὑποτίθησι.

καὶ πάλιν,

Εὐριπίδης, σωκρατογόμφους.

καὶ Καλλίας Πεδήταις·

Ἤδη σὺ σεμνὴ καὶ φρονεῖς οὕτω μέγα.
Ἔξεστι γάρ μοι· Σωκράτης γὰρ αἴτιος.

Ἀριστοφάνης Νεφέλαις

Εὐριπίδης δ' ὃ τὰς τραγῳδίας ποιῶν
τὰς περιλαλούσας οὗτός ἐστι τὰς σοφάς.

In trimetris Calliae recte *G. Dindorfius*, ut puto: *A. τί δὴ σὺ σεμνοῖ —, B ἔξεστι —*. Sin tamen muliebri habitu forte inductus erat a Callia Euripides, tum possis etiam *Τί δ' εἶ σὺ σεμνὴ —*. Ab initio verissime emendavit *Emslejus, ὅθεν Τηλεκλείδης οὕτω φησί· —* comparata Vita quadam Euripidis, ubi haec leguntur: *Δοκεῖ δὲ αὐτῷ καὶ Σωκράτης ὁ φιλόσοφος καὶ Μνησίλοχος συμπεποιηκέναι τινά, ὥς φησι Τηλεκλείδης· Μνησίλοχος δὲ ἐκεῖνος Φρυγικόν τι δρᾶμα καινὸν Εὐριπίδῃ καὶ Σωκράτης ὑποτίθησιν.* Ipsum locum Teleclidis ita correxit *Dindorfius:*

Μνησίλοχός ἐστ' ἐκεῖνος, ᾧς φρύγει τι δρᾶμα καινὸν
Εὐριπίδῃ, καὶ Σωκράτης 16) *τὰ φρύγαν' ὑποτίθησιν.*

---

adhibentis *ἄλεισος*, in aliam opinionem adductus sum. Sic enim cogitabam: fortasse *Μύσται* i. e. Socratici, novis sacris initiati, et utebantur poculis istis et eis libabant, et se invicem agnoscebant hoc poculo, tanquam signo quodam, vera mysteria ridicule imitando. Tum ex primis Nubibus manasse possit trimeter Aristophanis ap. Etymol. M. 61, 18 *Γίγνωσκε τόνδ' ἄλεισον καὶ τὰ γράμματα.* Haec tamen an placeant aliis, nescio, mihi jam minime satisfaciunt.

16) Sive malis cum *Hermanno χὠ Σωκράτης* propter illud Diogenis

Quam emendationem, tam et rei aptam et alioqui lenem nihil dubitationis habere videri profiteor. Atque ut hoc optime *Dindorfius*, ita ne illud quidem male, quod istos Teleclidis versus ex *Ἡσιόδοις* depromtos esse conjicit. Nam si non modo fragmentis, verum etiam inscriptionibus ipsis fides adjungi debet, reliquae Teleclidis fabulae quinque aut quatuor in argumentis longe aliis versatae sunt. Contra mirifice ad id, quod agimus, conveniunt *Ἡσίοδοι*, quae comoedia simillima videtur fuisse Archilochis Cratini. Et de Archilochis quidem nuperrime breviter tantum, sed, ut mihi videtur, egregie disputavit *Raspius*. Veniamus ad Aristophanem. Hic vero homines docti jam olim vehementer mirati sunt, Diogenem, quod ei demonstrare propositum erat, hoc quidem loco minime effecisse: in quo haud sane dicitur Euripides in tragoediis scribendis nonnullas partes Socrati suo concessisse. Sed uti hoc ne ferri quidem potest, ita alio vitio laborant conjecturae *Εὐριπίδου δ'* vel *Εὐριπίδῃ δ'*: quasi vero (ut recte *Dindorfius*) integras tragoedias, easque si non omnes, multas certe, Euripidi Socrates solus composuisset. Verum enim praeclare vidit *Dindorfius*, offensus verbis superioribus *Εὐριπίδης σωκρατογόμφους*, quae intelligi posse non modo ab se, sed a quoquam rectissime negat, accusativum illum *σωκρατογόμφους* ab ultimo fragmento, quo unice referendus erat, temere avulsum esse. Hac una re intellecta aliquam certe partem nugarum, quas multas jam magnasque protulit quum alibi, tum hoc ipso in loco, honeste redemit. Primum hoc fragmento non aliud ab hac fabula (Nubes autem dicit priores) alienius inveniri (posse) existimat. Ego vero nihil ad hanc fabulam accommodatius fingi posse aut cogitari plane intelligo. Quid enim festivius, quam in juvenes Socraticos subito reponi Euripidem, jam virum et eum bene barbatum: qui et physicen, rhetoricen, adde poëticam, una cum Socrate tractabat, et mutuo

---

ᾧ καὶ Σωκράτης. In quo ipso tamen interpolantis studium quaerere malim.

amore tantopere cum eo conjungebatur, ut unus factus esse videretur ex duobus 17)? Porro quid tandem probabilius, quam praeter Socratem agitari Euripidem quoque potissimum ab Aristophane, qui infenso animo aut non certe amico tum imminebat utrique eorum? Denique quid tandem in antiqua comoedia pervulgatius, quam certi generis homines (ut hic Socraticos, Alcibiadem, Critiam, Theramenem, Chaerephontem, Euripidem, alios) in scenam singulos produci, productosque coram populo recenseri: quod saepenumero factum videmus et ab aliis, et ab ipso Aristophane. Atque haec me quidem movent, ut hoc fragmentum a numero reliquorum non modo non segregandum esse, quum in omnibus Codd. ad Nubes Aristophanis revocetur, sed etiam, si qua forte major resederit dubitatio, praejudicio tamen ipso adsciscendum putem. At, inquit *Dindorfius*, *Euripidis partes ut in altera editione nullae sunt, ita, si in prima fuissent, sublatas esse vix credibile videtur.* Omnino hoc, quidquid est, foris adsumsit a *Reisigio:* veruntamen male et hic, sententiae auctor suae, et ille actor alienae. Non convertam hoc argumentum in ipsos, neque sic agam: quum in secundis Nubibus tantum non omnia penitus mutata sint, non esse admirandum, si Euripidis partes nullae sint in altera fabula, et tamen aliquae, neque exiguae fortasse, fuerint in superiore. Sed nihilne aliud in omnibus Comoediis ab Aristophane quaesitum est, quam ut Euripidem perpetuo traduceret? Imo vero ille toties jam antea Euripidem illuserat, ut tandem modum statuere

17) Aelianus H. II, 13 *ὁ δὲ Σωκράτης σπάνιον μὲν ἐπεφοίτα τοῖς θεάτροις, εἴποτε δὲ Εὐριπίδης ὁ τῆς τραγῳδίας ποιητὴς ἠγωνίζετο καινοῖς τραγῳδοῖς, τότε γε ἀφικνεῖτο. καὶ Πειραιοῖ δὲ ἀγωνιζομένου τοῦ Εὐριπίδου καὶ ἐκεῖ κατῆει (ἔχαιρε γὰρ τῷ ἀνδρί, δηλονότι διά τε τὴν σοφίαν αὐτοῦ καὶ τὴν ἐν τοῖς μέτροις ἀρετήν (?).)* Haec compluribus mendaciunculis interposita jamdiu et repetuntur et, quod sciam, a nemine in dubium vocantur: quippe: sunt enim veri tam similia per sese, ut graviorem Aeliano testem haud requiras.

petulantiae suae cogeretur atque occurrere aliorum satietati. Etenim et in Acharnensibus (Ol. 88, 2 Lenaeis) et, sicut arbitror, in Nubibus I (Ol. 89, 1 Dionysiis) et haud dubie in Proagone (Ol. 89, 2 Lenaeis) Euripidem facetiis suis satis acerbe perstrinxit. Quid, quod in Vespis v. 61 *οὐδ' αὖθις ἀνασελγαινόμενος Εὐριπίδης.*, quae fabula paucis post Proagonem data est an horis, an diebus, Comicus spectatoribus palam promisit, se nihil postea Euripidi incommodaturum. Quo promisso sic stetit, ut multo post demum ad ingenium rediret, veluti in Thesmophoriazusis I, in Ranis, in Gerytade. Deinde affirmat *Dindorfius*, poëtam, cujus sit ultimum fragmentum, aut Teleclidem sibi videri, aut, quod minus probat, Calliam. Et Calliae quidem illud certe non est, cui ne potest quidem tribui, nisi multis audacissime permutatis: sed non magis Teleclidae hoc fragmentum adscribere ausim. Dico plane id, quod sentio, verecunde tamen, non *Dindorfii* causa, sed propter *Hermannum* illum, qui ut fidem faceret, hos versus fortasse Teleclidis esse acutissime conjecit, in margine olim positum fuisse: *καὶ πάλιν, Εὐριπίδης — σωκρατογόμφους*, quibus verbis significatum esse, post prius illud Teleclidis fragmentum inseri haec debere:

καὶ πάλιν,
Εὐριπίδης δ' ὁ τὰς τραγῳδίας ποιῶν
τὰς περιλαλούσας οὗτός ἐστι, τὰς σοφὰς,
τὰς σωκρατογόμφους.

Unum etiam in hac ratione requiro, facilitatem: optime quidem prospicitur Teleclidi, sed in Aristophanem paullo iniquius consulitur, quoniam lemma *Ἀριστοφάνης Νεφέλαις* jam plane in sicco destitutum est, derivato in alium locum ultimorum verborum flumine, quae tamen communi librorum consensu in Aristophanem conferuntur. Nihilo minus tamen mihi forsitan persuaderem, Aristophanis verba excidisse, ac postremum fragmentum ex eadem Teleclidis fabula repetendum esse, si modo metra congruerent. Fac enim duas illas reliquias ex eodem

dramate sumtas esse: idem concedes etiam illud, in eadem parte fabulae locatos fuisse versus tam similes ad sententiam, tamque inter se convenientes, quorum in alteris est, *Μνησίλοχός ἐστ' ἐκεῖνος, ὃς φρύγει τι δρᾶμα καινὸν* —, in alteris autem *Εὐριπίδης δ' ὁ τὰς τραγῳδίας ποιῶν — οὗτός ἐστι* —. Nunc prius fragmentum ex iambis constat tetrametris, e trimetris vero posterius. Ego quidnam excogitaverim, deinceps aperiam. Sed fuerint sane ultimi versus Teleclidis: tantum profecto certissimum erit, quamdiu lemma *Ἀριστοφάνης Νεφέλαις* sartum tectum conservabitur, in prioribus Nubibus aliquid ejusmodi scriptum fuisse, unde appareret, Socratem opem ferre solere Euripidi suo tragoedias meditanti. At vero *Dindorfius* serio nobis subjicit, illud lemma apud eum scriptorem, ex quo Diogenes hausisset, ad rem longe aliam spectasse. Hoc afferre, est refutare. Neque enim Diogenes (in quo quid magnopere laudem, nescio, nisi quod mihi paene artifex quidam compilandi videtur fuisse) tam sine oculis vivebat, ut Hypsaea caecior summa imis permisceret. Illud haud paullo etiam mendosius, quod a *Dindorfio* edocemur, Diogenem ipsum, non librarios ejus, et in primo Teleclidis fragmento gravissime lapsum esse, et in ultimo (ut Diogenes somniabat) Aristophanis tantum commisisse errorem, ut nihil supra addi posse videretur 18). Enimvero Diogenes tali quidem modo falli non potuit, nisi forte insaniebat: atque omnes, qui modo librariorum vitia ab erroribus scriptorum satis distinguent, tantorum vitiorum culpam in solos conferent librarios lubenterque concedent, hic quidem vix ullam in Diogenem ipsum erroris suspicionem cadere. Postea *Dindorfius* ab *Hermanno* benevole admonitus est, errorem omnem esse librariorum, non fuisse Diogenem tam

18) *Gravissimo peccato Diogenis*, inquit: *neque enim librariorum — persuadeo — aliud — edidit negligentiae et imperitiae documentum vix credibile.* Idem: *Immo hic quoque immanis subest hallucinatio Diogenis.* Hoc jam videtur tragoedias agentis: quanquam adspersum est nescio quid comici.

temerarium hominem, tam ineptum, tam communis prope sensus expertem, ut ista talia effutiret: neque eo secius tamen ab opinione sua divelli potuit: quod *Hermannum*, ut decet graves fortunae casus, spero moderate laturum. Equidem propter certas quasdam causas et tanquam indicia mihi sic suadeo, toto hoc loco librarium absurdum magis, quam indoctum, interpolandi vero cupidissimum, jam olim vi grassatum esse. Statim enim percussit animum ille maxime versus,

Φρύγες ἐστὶ καινὸν δρᾶμα τοῦτ' Εὐριπίδου.

Recte vero novum drama Euripidis et, quaerere noli, prorsus inauditum: sed iste scriba meminerat, ut opinor, Phrygum et Aeschyli et Sophoclis. Vides, senarium minime malum efflоruisse, initio foede corrupto, inserto *τοῦτ'*, aliisque vel deletis vel transpositis. Continuo pergit

Ὃι καὶ Σωκράτης τὰ φρύγανα ὑποτίθησι.

Hic *Menagius*, *Piersonus*, *Valckenarius* corrigebant videlicet,

Ὃι καὶ τὰ φρύγαν' ὑποτίθησι Σωκράτης.

Neque dubium est, quin ita prorsus rescripserit primus interpolationis auctor, qui certe ᾧ suo periculo adjecit, ut alter senarius nasceretur: sed tamen casu quodam in fine servata est vera lectio Diogenis ipsius, *καὶ Σωκράτης τὰ φρύγαν' ὑποτίθησιν*. Jam vero quis tandem credet aut modo suspicabitur, Diogenem verba *ὅθεν Τηλεκλείδης οὕτω φησί* commutasse cum his, *ὅθεν Μνησίλοχος οὕτω φησί*, eandemque subjecisse non, quemadmodum debebat,

Μνησίλοχός ἐστ' ἐκεῖνος, ὃς φρύγει τι δρᾶμα καινὸν
Εὐριπίδῃ, καὶ Σωκράτης τὰ φρύγαν' ὑποτίθησιν.

sed potius monstra quaedam atque portenta,

Φρύγες ἐστὶ καινὸν δρᾶμα τοῦτ' Εὐριπίδου,
ᾧ καὶ τὰ φρύγαν' ὑποτίθησι Σωκράτης.

Quae tanta fuit aut infelicitas Diogenis, ut fragmentum, cujus apud vitae Euripideae scriptorem paucissimae tantum literae depravatae sunt, ipse ex tam inquinato fonte

hauriret, aut tanta insania, ut verba usque adhuc integra eaque ad intelligendum aperta nugas nugis cumulando turpissime contaminaret? Librarius vero hoc in se admittere omnino potuit, ut quae leviter corrupta accepisset, ea a pristina forma magis etiam deflecteret et dissimilia sui jam reddita memoriae proderet: praesertim si ei neque audacia deerat, (et pars scribarum omni cogitatione ad interpolandum ferebatur) et metrorum, ut plerique librarii, trimetris exceptis, erat ignarus. Sequuntur illa verba *καὶ πάλιν, Εὐριπίδης σωκρατογόμφους*. Haec equidem quovis pignore contendam, a Diogene ipso non magis profecta esse: qui certe (omitto metrum, quod nullum est) eatenus graece sciebat, ut videret, tam nugatorium fragmentum percipi a nemine posse atque animo comprehendi. Quod contra librarius iste, ut lacunam alterius fragmenti Teleclidei expleret, voces re ipsa disjunctas facile potuit opinione sua conglutinare. Quum enim Diogenes, ut equidem arbitror, iterum ex Hesiodis jambum tetrametrum attulisset, in quo Euripides ostendebatur, similiter ac modo socer ejus Mnesilochus: istius hominis aetate omnia illius versus verba jam interierant, praeter unum et quidem primum, *Εὐριπίδης*, quod pro integro quodam fragmento haberi non posse vel librarius sentiebat. Quid igitur faceret? Animadvertit, non solum Teleclidi aliquid abesse, verum etiam, ut erat peritissimus trimetrorum, Aristophani superesse illa verba, *τὰς σωκρατογόμφους*, postremo etiam verbo *Εὐριπίδης*, a quo incepit et Aristophanes et Teleclides, facile in hanc fraudem induci potuit, ut *σωκρατογόμφους* Aristophani detractum donaret Teleclidi, scriberetque *καὶ πάλιν, Εὐριπίδης σωκρατογόμφους*. Posui id, quod simplicissimum esset, ne consilia mea in dubiam ancipitemque fortunae aleam committere viderer. Id si quos juvabit, hi quum alia fingent, *Dindorfio*, quam me digniora, tum etiam *πάλιν* librario interpolanti, non Diogeni attribuent reponentque (me quidem invito, etsi miror voculam *καὶ* non etiam illis *Ἀριστοφάνης Νεφέλαις* praepositam neque

minus miror prius illud *Εὐριπίδης*, quo verbo exorditur Aristophanes, miror denique *σωκρατογόμφους* hic locatum, quod certe et est Aristophanis et plane est ultimum verbum, sicuti *Εὐριπίδης* primum,) sed illi reponent statim post v. *ὑποτίθησιν* locum Aristophanis, hoc modo: *καὶ Ἀριστοφάνης Νεφέλαις· Εὐριπίδης δ' — τὰς σωκρατογόμφους.* Horum si tu utrumvis me auctore feceris: nam posterior etiam ratio et pulchre exornari potest et multis, credo, placebit: Aristophanis tamen, non Teleclidis, fragmentum emerget, his verbis conceptum:

> *Εὐριπίδης δ' ὁ τὰς τραγῳδίας ποιῶν,*
> *τὰς περιλαλούσας οὗτός ἐστι, τὰς σοφάς,*
> *τὰς σωκρατογόμφους.*

At vero *Dindorfius*, cui ita potius videtur scribendum esse

> *Εὐριπίδης δ' ὁ τὰς τραγῳδίας ποιῶν*
> *τὰς σωκρατογόμφους οὗτός ἐστι τὰς σοφάς.*

ne prior illa emendatio sano homini in mentem veniret, prospexit atque cavit sedulo, neque *Hermanno* paucis verbis, ut in re haud dubia, sed graviter adhortanti, ut a tali incepto desisteret ac potius in altera sententia, verissima illa, tandem acquiesceret, putavit concedendum esse.

Istud enim, inquit, veteris comoediae vi plane caret et vero etiam est (sperabam modo *ineptum*, at ille) est *miserum*. Nos vero fateamur, quod dissimulandum non est, miserum esse non modo Aristophanem, quem ita scripsisse apparet, verum etiam Teleclidem, *Hermannum*, me inprimisque Diogenem, omnes denique homines esse miseros, praeter *Dindorfium* quidem, quem solum sapientem, solum regem vere possumus appellare. Ego quidem tam miser sum, ut in obvio quoque offendam et ne tantum quidem intelligere possim, primum unde subito exorta sint illa verba *τὰς περιλαλούσας*, quae sapienter expunxit *Dindorfius*, deinde quae tanta religio haereat in verbis *τὰς περιλαλούσας*, quae aptissime dici opinabar

in Euripidis tragoedias crebro nimium verbosas 19), postremo cur τὰς σωκρατογόμφους verbum magni ponderis in fine positum tantopere displiceat, quod mihi videbatur in postremo loco potissimum exsistere, nec sine praecipua quadam vi agmen claudere epithetorum, quum reliqua, apposita magis, quam necessaria, in mediam turbam conjiciantur. Quanquam haec omnia, miserrima sane, ubi per *Dindorfium*, non mea opera ulla ad veram sapientiam pervenero, prae reguli sententia, sat scio, contemnam atque irridebo. Aliud fragmentum a Photio servatum est 398, 11 *Πάρνης: τὸ ὄρος, θηλυκῶς· Ἐς τὴν Πάρνηθ' ὀργισθεῖσαι φροῦδαι κατὰ τὸν Ἀνκαβηττον* 20) *Ἀριστοφάνης Νεφέλαις καὶ ἑξῆς.* Hic ἐς τὴν pro ·Γ. compendio verbi ἐστίν (id crebrius etiam ita scribitur ᾽ϛ) posuerunt *Porsonus* ad Ran. 1088 et *Naeckius* Choeril p. 54. Perspicuum est autem et jam ab aliis monitum, de Nubibus haec dici, atque illud postremum καὶ ἑξῆς eo valere, ut Comicus paullo post iterum *Πάρνης* genere usurparit feminino. Verum de sede hujusce versus pristina quaeritur. In quo vide, ne erraverit *Hermannus*, eo fere loco, quo nunc v. 322 in Anapaestis Parnethis fit mentio, versum nostrum reponens. Namque in ea fabulae parte Chorum necesse est in conspectum prodire (et certe in Nubibus II ille tum primum adventat); at in fragmento Chorus jam abiit et e medio excessit. Jam vero tota via erravit *Dindorfius*, quum illud καὶ ἑξῆς ad ista verba, quae dixi, ipsa referret:

Βλέπε νυν δευρὶ πρὸς τὴν Πάρνηθ'· ἤδη γὰρ ὁρῶ κατιούσας etc.

---

19) *Loquaces* tragoedias non magis quisquam miretur, quam *sapientes*. Nam *Valckenarii* conjectura Diatrib. 14, b τὰς περιλαλήτους quo pertineat, unus ille viderit non miser. Verbo composito περιλαλεῖν Aristophanes usus est etiam in Ecclesiaz. v. 230 ubi conjectura recte abstinere poterat *Meineckius* ad Menandr. p. 202.

20) Alii et librarii et philologi scribunt *Ἀνκάβηττος*, *Ἀνκαβηττός* alii. Mihi placet, scribi id *ὀξυτόνως*.

deinde adjungeret, hunc versum jam in prima editione scriptum fuisse postremoque sic concluderet, fortasse scenam illam primo ita institutam esse, ut Nubes, quum vix appropinquassent, rursum in montes dissipatae recederent, sive propter inurbanos *Strepsiadis* (!) jocos, sive alia de causa iratae: ceterum hanc partem in altera editione contractam esse, ne sermones tam levi re tamque tenui longius, quam deceret, extendi viderentur. Horum nihil ullo, quod quidem idoneum sit, argumento poterit confirmari. Equidem versum istum 322 nullam omnino in hac causa vim habere ratus fragmentum nostrum ex ultima totius fabulae scena et tantum non ex ipso fine decerptum esse crediderim. Chori enim est, fabula aut plane finita, aut certe quidem ad exitum vergente, orchestra ultimum relicta exire: saepiusque in extrema comoedia Anapaesti tetrametri, unus pluresve, inveniuntur, veluti in Nubibus etiam secundis. Quamobrem Aristophanes, cupidus paene novarum rationum amator, in priore fabula Choro Nubium has partes videtur demandasse, ut ab initio tanta sapientia obstupefactus philosopho ejusque alumnis magnopere faveret (similiter atque in Nubibus II) postremo autem, cognita juvenum istorum Socraticorum improbitate irato animo se proriperet et in illos Atticae montes versus abiret atque evanesceret. Denique non praeteribo *Dindorfii* conjecturam *καὶ τὸν Ἀνκαβηττόν*, quam ipse necessariam putat, nisi forte Parnethi impositus fuerit Lycabettus, quemadmodum Pelio Ossa. Et hujus quidem joci, quem infelix vocula *κατὰ* peperit, causam sententiamque video nullam. At ille, ut hanc tam perversam opinionem trabali clavo figeret (quemadmodum dicitur), mutavit verba primum posita: *corrigendum, opinor* scripsitque potius *necessaria emendatio est:* scilicet ne quid *Hermanno* acceptum referre videretur, abs quo multi multa quotidie discimus. *Hermannus* vero Codicis lectionem *κατὰ τὸν Ἀνκαβηττὸν* verissime tuitus erat, quum demonstraret, Nubes dici per Lycabettum recessisse in Parnethem, quem montem

satis procul ab urbe abesse, eminentem super colles et juga inter ipsum et urbem protensa. Ac profecto Lycabettum propius, quam Parnethem, ab urbe Athenis situm esse, e locis compluribus patet, quos a *Meursio* olim collectos nolo repetere. Quare hic versus (praecesserat autem *ἀπῆλθον*, *ἔβησαν*, vel ut in Ecclesiaz. 311 et Pac. 197 *εἰσὶν* aut simile quiddam) ita de graeco convertendus est: *Nubes abierunt in Parnethem iratae, prope ad Lycabettum*, hoc est (si quem major verborum copia forte delectat): *Nubes petunt Parnethem, pervenerunt autem jam ad Lycabettum usque.* Nunc substituat mihi aliquis *καὶ τὸν Λυκαβηττόν:* statim videbit, isto modo dicendum fuisse *ἐς τὸν Λυκαβηττὸν καὶ τὴν Πάρνηθα.* Certe ego olim, quum Lipsiae habitarem, Taucha proficiscebar Ileburgum: *Dindorfius* si, ut planissime videtur, trans Ileburgum Taucham proficisci solet, non invideo equidem, miror magis. Idem Photius 428, 27 et ex eo Suidas s. *Πηνίον* aliud quoque fragmentum, non minus memorabile illud, susceperunt: *Πηνίον: ζῷον ὅμοιον κώνωπι· Ἀριστοφάνης Νεφέλαις. κείσεσθον, ὥσπερ πηνίω, κινουμένω* (*βινουμένω* Suidas)· *ἀντὶ τοῦ ξηροί·* (Codex Galeanus *κεισαισθον — πηνίωι κινουμένωι ἀντ ξηροῖς*) *σκώπτει γὰρ τοὺς περὶ Χαιρεφῶντα εἰς ξηρότητα καὶ ἀσθένειαν· ὅτι δὲ κώνωπος εἶδός ἐστι, Σπεύσιππος ἐν τῶι β'* (pro *β'* Suidas *δωδεκάτῳ*, i. e. *ιβ'* jota bis scripto: nam *Ὅμοια* Speusippi sive *Διάλογοι τῶν περὶ τὴν πραγματείαν ὁμοίων*, quorum secundus liber saepe affertur ab Athenaeo, semel etiam quartus, librorum erat omnino decem: vide Diogenem Lib. IV, 5.) *τῶν ὁμοιοτήτων φησὶν οὕτως· πηνίον· ἐμπίς· κώνωψ.* Primum *Hermanno* adsentior, si Suidae lectio *βινουμένω* probanda sit, id verbum ad *πηνίω* referendum esse: *jacebitis sicuti duo culices, qui coëunt.* Non dubito tamen, Photii scripturam auctoris fide dignioris sequi itaque interpretari: *Jacebitis, aridi tanquam culices, alter alterum paedicans.* Videtur enim foedus puerorum amor etiam in primis Nubibus quum Chaerephonti, tum vero Socrati quoque objectus esse. Hoc vero

crimen, quo vix ullum hodie atrocius putatur, illis temporibus ne minimam quidem vim habebat omnique carebat et acerbitate et injuria, non tam quod multi tum ista infamia flagrabant, quam quod haecce libido vulgo plurimis levissima de causa exprobrari solebat. Sic Aristophanes, ut hoc uno utar, hoc crimen etiam in Eupolin contulit Pac. v. 763, neque mirari liceret, si Eupolis hanc criminationem in ipsum Aristophanem, caeteroquin istius libidinis osorem, vertisset. Socrates autem, qui formosam animi speciem amabat, non corporis pulchritudinem, aut non debuit id his verbis enuntiare ac palam prae se ferre: *Παιδεραστής εἰμι καὶ σοφὸς τὰ ἐρωτικά* (quis enim coëgit eum tam inusitate loqui? tametsi insolentia sermonis optimo viro magnae inprimis curae erat 21)) aut

21) Hujus rei exempla in commentario ad Nubes secundas satis multa proposui. Nunc unum addam e Photio sumtum 186, 16 *Κύνα: τονωπα* (sic) *δοκεῖ πρῶτος ὀνομάσαι Σωκράτης.* Legendum videtur: *Κύνα: τὸν ὀπαδὸν δοκεῖ* —, una tantum litera addita et duabus repetitis. Hanc correctionem veri admodum similem judico. Ob immundum quidem victum, ex quo Diogenes *ὁ κύων* et Avidienus (Hor. Sat. II, 2, 56) Canis dictus est, certe non Socrates, hostis paene munditiarum, ulli homini hoc cognomen daturus erat. At nullo modo mirandum sit, si Socrates, qui divina humanaque omnia cum brutis animalibus et cum omni pecudum genere solebat comparare (cf. Memorabil. I, 2, 37 sq.), unum pluresve e suis discipulis dicam an sectatoribus comitibusque, propter fidem spectatam ac cognitam in tanta etiam comitandi similitudine *canem* appellarit. Et certe unus de Socraticis, Antisthenes, cynicorum ille quidem princeps, jam vivus cognomen habebat *Ἁπλοκύων*, auctore Diogene Lib. VI, 13., ubi § 19 sequitur epigramma *Τὸν βίον ἤσθα κύων, Ἀντίσθενες* —. Ita grammaticus, Photii signifer, certum quendam locum explicabat sive Aristophanis e Nubibus prioribus, sive alius scriptoris, ex quo recte sibi videbatur colligere (*δοκεῖ*), discipulos a Socrate philosopho *canes* nominatos esse. At *Hermannus* a me consultus, improbata mea opinione, duas glossas in unam temere confusas esse existimabat, hoc maxime modo:

κύνα: τὸν — ωπα. (i. e. *τὸν κύνωπα*)

κύνα: τὸν (*τινὰ*) *δαίμονα δοκεῖ πρῶτος ὀνομάσαι Σωκράτης.*

vix potuit, quin et plebes secus de se existimaret, et alii conjectura verum assequi non possent, Comici autem scriptoresque satirarum nollent, quum facile possent, recusare. Itaque tantum abest, ut hanc Socratis calumniam tectis verbis confirmanti, aut non certe adspernanti vel Comico in primis Nubibus, vel Luciano (Vitar. Auct. c. 15 sq. et quatuor aliis in locis) vehementius irascar, ut magis illud mirarer, si (quemadmodum l. l. dicit *Solanus)* ne Comica quidem licentia Socrati vivo hujus turpitudinis notam inurere ausa esset; praesertim quum Socratici nonnulli, ut Alcibiades, ut Chaerephon, ab istorum flagitiorum suspicione haud sane abhorrerent. Quanquam in secundis Nubibus audita multum ex hoc genere reperiri scio: nisi tamen *εὐρυπρωκτία* ab injusto Sermone defensa est v. 1085 sqq., qui locus postremo in risum solvitur v. 1103 *ἡττήμεθ' ὦ κινούμενοι.* Adde his v. 157. v. 194. 195. et, sicut equidem censeo, v. 1173., denique etiam hos versus, 692 et fortassis 1149. Hos quoque locos ego primus in Commentariis exponere sum coactus, sed verecunde exposui et cum ingenuo pudore. Ceterum egregie falluntur Viri Docti, qui hoc teterrimum

---

Ingeniose vero et haec dixit, et illud addidit, videri sibi istius pervagati jurisjurandi *νὴ τὸν κύνα, μὰ τὸν κύνα*, quod Socrati in deliciis erat, habitam esse rationem. Veruntamen haec interpretatio, quantumvis speciosa, nescio quo modo justo longius videtur arcessita esse. Denique non Socrates primus per canem jurabat, sed ille sequebatur exempla Rhadamanthi, Lamponis (Ar. Avv. 521) et aliorum, quos Cratinus perstrinxit in Chironibus:

Οἷς ἦν μέγιστος ὅρκος
Ἅπαντι λόγῳ κύων, ἔπειτα χήν, θεοὺς δ' ἐσίγων.

Quamquam id Photius ignorare poterat aut certe non meminisse, non secus ac Schol. ad Avv. l. l. *ὅτι πρῶτοι οἱ Σωκρατικοὶ οὕτως ἐπετήδευσαν ὀμνύναι.* Commemorabo etiam Suidae locum s. *Σωκράτης — καὶ πρῶτος Ἀριστοφάνης τὰς Νεφέλας γράψας ἐκωμῴδησεν αὐτὸν, ὡς διαφθείροντα τοὺς νέους καὶ ἄθεον ἐκάλει, διότι τὸν κύνα καὶ πλάτανον δι' ὑπερβολὴν δεισιδαιμονίας ὤμνυεν.* Quae nescio an ad posteriores Nubes unice referre debeamus.

crimen in Nubibus totis Socrati exprobratum esse omnino negant ad unum omnes. Imo in paucis illis versibus, (omisi autem alium locum, quod magnas habet dubitationes) Comicus acerbe prorsus, certe quidem petulantissime, in Socratem paediconem, quem falso putat, invehitur, ut integerrimi hominis vicem doleas, Aristophanis vero ineptias, summi alioquin poëtae, non possis non indigne ferre: tanta est versuum istorum lascivia. Hanc igitur notionem habuit Socratis amor puerorum saepe ac multum decantatus, qui mihi videtur ex hoc fonte totus profluxisse: ut Socratem, quoniam vir fuit integerrimus, tanta adspersum macula moleste feras, idem concedas tamen, Socratem hoc falsum crimen sibi ipsum contraxisse, quippe qui patrii sermonis locupletandi studium vel cum infamiae periculo conjunxisset. Illuc revertor. Satis probabile est, hic una cum Chaerephonte suo vituperari Socratem, totumque versum ad postremam fabulae scenam pertinuisse: quod qui primus vidit *Reisigius*, aliquanto melius uti invento poterat. Jam vero illa verba *σκώπτει γὰρ τοὺς περὶ Χαιρεφῶντα* minime negligenda sunt.

Hinc enim rectissime cogitur, Chaerephontem, qui in posteriore fabula nihil dicit omnino, nisi haec v. 1505

ἐγὼ δὲ κακοδαίμων γε καταχανθήσομαι.

in priore suas quasdam, easque magnas fortassis, partes egisse. Utrum Chorus, an alius quispiam duumviros illos vel alloquatur hoc senario, vel eis minitetur, non decernam. Denique verbo profliganda est *Dindorfii* opinio, qui hoc fragmentum fidei haud satis certae existimat: facile enim ad Nubes ab aliis fabulis aberrari potuisse; et certe secundum scholiastam Platonis p. 331 B., quem diligenter omnia collegisse, quae comici in Chaerephontem dicta dixissent, in quatuor tantum fabulis Aristophaneis Chaerephontem irrisum esse, in una superstite, Avibus, tribus *de*perditis in Telmessensibus, Dramatis, Horis. Nempe hoc argumento multos versus Nubium secundarum, nonnullos etiam Vesparum, in quibus idem

Chaerephon illuditur, *Dindorfius* ejiciet: Scholiasta tamen ille ne voluit quidem hujus generis locos ad unum omnes coacervare, asperrimo quoque eorum contentus. Omnino putabam, qui antiquorum temporum memoriam fidemque in dubium vocet, ejus esse, argumenta proferre gravissima, quibus sibi audientiam faciat: nam temere dicto credere est plane miserorum. Nunquam Photium aut Suidam Nubes vidisse priores, supra dictum est: veruntamen hoc fragmentum vel ipsi vel duces eorum ab aliis acceperant, qui certe vidissent. Quocirca horum grammaticorum, maximeque Photii, qui modo utens illo tetrametro *Ἐς τὴν Πάρνηθ'* — ne *Dindorfio* quidem ullum scrupulum injecit, multum valebit auctoritas: atque id hoc etiam magis, quod vel per se consentaneum est, Chaerephontem, summum amicum Socratis, in priore fabula ludificatum esse. Progredior ad Scholiastam Venetum Pacis v. 348, qui de Phormione, egregio duce, disserens: *αὐτοῦ μέμνηται ὁ Κωμικός*, inquit, *ἐν Ἱππεῦσι* (v. 562) *καὶ Νεφέλαις καὶ Βαβυλωνίοις, Εὔπολις Ἀστρατεύτοις.* Vide, quantam Aristophanes nactus sit Phormionis sui in Nubibus I collaudandi occasionem: Phormio, ut in militia, stratum habebat satis durum foliorum, juncorum, stramenti foenique, unde est nobis etiam illud Pac. 348 *πολλὰ γὰρ ἀνεσχόμην | πράγματά τε καὶ στιβάδας | ἃς ἔλαχε Φορμίων.* contra juvenes isti Socratici, in quos potissimum scripta erat fabula prior in lectulis suis molliter et delicate recubabant, litem ex lite quaerentes in maxima sua desidia, quo pertinent illa verba Vesp. 1040 *κατακλινόμενοί τ' ἐπὶ ταῖς κοίταις* —. Aptissime juvenibus otio luxuque diffluentibus opponi potuisse Phormionem laboribus maximis adsuefactum et duram sub pellibus militiam nemo negabit. Praeterea Veneto Scholiastae hic primarum Nubium redintegranti memoriam tanto lubentius credo, quod ex eadem fabula nonnihil attulerat jam ad v. 91. Sed *Dindorfius* hujus quoque scholiastae fidem labefactandam esse ratus nominari ab eo Nubes pro Lysistrata v. 804 nos certiores facit. Pri-

mum scire pervelim, unde id rescierit *Dindorfius*, deinde non video, quid impediverit Aristophanem, viri, quem permagni aestimabat, et in Nubibus et in Lysistrata mentionem facere, tum vix dispicio, cur non certe, judice *Dindorfio*, Babylonii potius, quam Nubes cum Lysistrata ab scholiaste confusi sint: Babylonios enim hoc uno loco nominat, at Nubes I novit affertque etiam alio: postremo modeste quaeram, nunquamne desinat *Dindorfius* certissima quaeque nullas ob causas et prorsus arbitratu suo convellere. Quodsi Phormio in Nubibus I quo dixi nomine, non alio quopiam laudabatur, non minus ad Nubes I, quum, uti *Dindorfio* videbatur, ad Pac. 347 spectare potuit Basilius MS. in Gregor. Nazianz. oratt. (ap. Schaef. Praef. ad Greg. Cor. p. LIII) *Στιβὰς στρωμνή, χαμαικοίτιον, ὡς Εἰρηναῖος ὁ Ἀττικιστής, καὶ Ἀριστοφάνης ἐν στρατείαις ὁ κωμικὸς καὶ ἐν Δραπέτισι Κρατῖνος* —. Sed nondum desinit *Dindorfius:* quin potius jam cruentato gladio Antiatticistam aggreditur misereque miserum contrucidat. Primum, ut omnia, quae supersunt, fragmenta dubia esse ostendat, ab eo proficiscitur, ut ea dicat ob hanc tantum causam ad priorem editionem referri, quod in posteriore, quam habemus, non exstent; in quo genere magna opus esse prudentia, ne temeritatem error cito sequatur: saepe enim vix ac ne vix quidem' dijudicari posse, quid vere, quidve memoriae errore ex Nubibus attulerint grammatici. Hoc totum pro nihilo est, ut arbitror. Nam si grammaticorum memoriam imbecillam putat eique diffidit, nimium probat: nempe hoc quidem tam late patet, ut omnia omnium scriptorum fragmenta complectatur, quae, nisi coarguere mendacium possis, pro veris habere prudentiae est, sin autem negat, Nubium versus, quod in posteriore fabula desint, idcirco ad priorem jure revocari, demonstret accurate oportet, tertias aut quartas Nubes scripsisse Aristophanem; denique si miratur *Dindorfius*, semel tantummodo *προτέρας Νεφέλας* dilucide commemorari, ab Athenaeo IV, 171, c, primo id fortuito fieri

potuit, vel etiam quadam grammaticorum non omnia curantium negligentia, tum id nullo certe accidit nostro periculo, quoniam altera fabula, quae tota aetatem tulit, omnis error sublatus est; denique hoc, quidquid est, paullum fortasse admirationis, nihil vero habet incommodi etiam propterea, quod nonnulli loci nostrarum Nubium secundis plane perspicueque adscribuntur, ut ab Athenaeo VII, 299 b. et VIII, 345 f, a Phrynicho Epitom. p. 391, ubi recte Editio Princeps *ἐν ταῖς δευτέραις Νεφέλαις* (v. 30), ab Antiatticista ipso p. 85, 28 (v. 1386). Ergo cujus auctoritas dicentis *Ἀριστοφάνης Νεφέλαις δευτέραις* praeclare constat, ei credere dubitabimus aliquid ex Nubibus depromenti, quod non legitur in altera fabula, legebatur autem in superiore? et cui ne semel quidem derogare fidem licet, nisi ob justissimam causam, eum duobus in locis audacter mentitum esse nullam ob causam opinabimur? Nec vero movet me *Dindorfii* accusatio, monentis, saepius Antiatticistam in fabularum nominibus lapsum esse: cujus rei alia quaedam exempla ponere licebat, et certiora multo et luculentiora. Quem enim in hoc genere interdum videmus errare, plerumque autem verum atque incorruptum dicere testimonium, eum, si parum liqueat, non condemnabimus, sin vero nulla omnino sit dubitandi causa, certe absolvemus. Loci autem Antiatticistae, quos dixi, hi sunt: p. 98, 1. *Ζυμήσασθαι: Ἀριστοφάνης Νεφέλαις.* et p. 105, 2 *Κόλασμα: Ἀριστοφάνης Νεφέλαις.* In posteriore quidem loco minime haeremus. Verbum enim *κόλασμα*, quod in Lexicis fere confirmatur loco Cyrop. III, 1, 23., tam raro occurrit, ut grammaticus id suo jure receperit, praesertim si ab indocto aliquo Atticista notatum esset, tam porro aptum est argumento Nubium I, nihil ut accommodatius cogitari possit. Facit enim Aristophanes nostris in Nubibus, in quibus etiam verbum *κολάζειν* usurpatum est, v. 1091 a Strepsiade *δίδασκε καὶ κόλαζε* et iterum a Phidippide Socratico v. 1387 —*τὸν πατέρα κολάζειν.*, Socratem, virum in omni vitae genere atque sermonis novarum rerum appe-

tentem, etiam in disciplina scholae suae quaedam inusitate moliri, quum indulgentiae severitatem ita admisceat, ut verbis homines castigare malit, quam verberibus, idem vero tardissimi ingenii homunciones ferula percutere non dubitet (vide v. 485), raro tamen et perinvitus neque unquam nisi erubescenda stultitia propemodum coactus. A cujus gravitate nostra aetate aliquot magistri inferiorum ludorum eo usque defecerunt ac paene degenerarunt, ut in puerorum institutione a scutica, pugno, alapa denique, religiosius etiam, quam olim a fabis Pythagorei, sibi abstinendum esse putarent. At vero prius istuc *ζυμήσασθαι* quid tandem censebimus, quonam modo explicandum esse? Saltem, scribi debebat *ζυμίσασθαι*, tametsi id quoque a *ζυμίζω* ortum dubitationem habuerit. Sed magnopere mihi persuasi, pro *ζυμήσασθαι* legendum esse *ζημιώσασθαι*, qua emendatione aliam leniorem vix invenias. Principio odi in Aristophane omnem fermentandi notionem, vel optima forma, nedum isto hibrida truncoque vocis, expressam. Contra *ζημιώσασθαι* cum altero illo *κολάσμια* tam pulchre congruit, ut et in Nubibus illis non minus commodam sedem, quam hoc posterius, habere potuerit, et ut *ζημιώσασθαι* atque *κόλασμα*, verba ejusdem prope sententiae, ab uno grammatico delecta esse nemo mirari queat. Accedit, ut forma quoque hujus verbi sit ea, qua Antiatticista ad istum locum prae aliis commemorandum recte invitatus sit. Omnino enim plerumque, ab Atticis quidem scriptoribus, *ζημιῶσαι* dicitur, non *ζημιώσασθαι*, cujus formae si mihi nunc alterum exemplum haud in promtu est, non ideo tamen paullo doctiores manum tollent, aut eam ne convenire quidem in Aristophanem clamabunt. Nisi quae me forte fugerunt, unum tantummodo restat fragmentum, quod tamen haud satis certo fundamento inniti concedendum est. Hanc dico Suidae glossam, *Οὐ μετὸν αὐτῷ: ἀντὶ τοῦ οὐκ ἐξόν. Ἀριστοφάνης Νεφέλαις. καὶ Μένανδρος· Ὕδατος αὐτοῖς οὐ μετόν.* Sed huic glossae *Dindorfius* aliam ejusdem non male opposuit, hanc, *Μετόν· ἐξόν. Ἀριστο-*

φάνης (Ecclesiaz. v. 667) *Οὐδ' αὖ κλέπτης οὐδεὶς ἔσται; .. πῶς γὰρ κλέψει, μετὸν αὐτῷ: ἀντὶ τοῦ μέτεστι.* Intellexerat enim, ut spero, posse priorem quoque locum ad Ecclesiazusas pertinere, ideo quoniam Suidas, deceptus prava explicatione verborum *μετὸν αὐτῷ*, in quibus *μετὸν* nihil differre ab *ἐξὸν* putabat, paene dicam cogebatur negandi particulam inserere, ne locus ad extremas nugas detorqueretur. Tum Suidae errori et *Οὐ* debetur, et eidem *Νεφέλαις* pro *Ἐκκλησιαζούσαις*, quemadmodum alibi quoque fabulas Aristophanis falso permutavit. Quanquam si Suidas hic errasse existimandus est, lemma *Ἀριστοφάνης Νεφέλαις* etiam ad sequentem glossam referre poterimus *Οὐ μὴ ληρήσῃς*, quae verba ex Nubibus nostris (v. 366) fluxerunt: etsi huic quidem opinioni particula *καὶ* ante *Μένανδρος* haud mediocriter officit. Equidem tandem eo adductus sum, ut putarem, fortasse tamen Suidam, hominem semper hebetem in explicando, vera referre atque ista verba *Οὐ μετὸν αὐτῷ* ex primis Nubibus manasse. Apparet, *Μετὸν αὐτῷ* et *Οὐ μετὸν αὐτῷ* nihil aliud significare posse in utroque loco, quam hoc: *quum ei opes suppetant, aut non suppetant.* Haec vero sententia: *quum non habeat, unde vivat seque sustentet* mirifice in priorem fabulam cadit, si modo sermo fuerat de Socrate: cui egestatem quoque tum exprobratam esse supra demonstravimus. Jam hunc locum complectar brevi. Nam si omnes isti versus, de quibus cummaxime disputavi, in secundis Nubibus non inveniuntur, si in priore fabula de Eleusiniis mysteriis mentio injecta erat inter dimetros Anapaestos, si Euripides in personis Socraticis spectabatur, quae fortasse singulae in scenam prodibant, sique Euripidem Socrates magister adjuvare dicebatur in tragoediis scribendis, si porro Chorus Nubium ad extremum iratus abiit in montes Atticae, si inter personas fabulae conspiceres etiam Chaerephontem, plane strigosum hominem, cui quidem, adde etiam Socrati, forsitan puerorum amor objiciebatur, si praeterea Phormio, dux nobilis, laudatus est, si denique

singula quoque verba, ut *ζημιώσασθαι, κόλασμα* et fortassis *Οὐ μετὸν αὐτῷ*, in nostro dramate illa quidem certe non obvia, Nubibus tamen palam tribuuntur; sic intelligendum est et prae nobis ferendum, alteram fabulam non naevo aliquo aut crepundiis, sed corpore toto ab altera disjunctam esse.

Ex incertis Aristophanis fabularum fragmentis nullum habeo, quod ad priores Nubes referre audeam: neque enim si quid hanc commoediam aliqua cognatione videbitur attingere, idcirco ex ea ipsa plane adsumtum esse videbitur; cujus reliquiae, paucissimae sane, magno argumento esse debent, nihil ex ea ad grammaticos graecos, nisi pertenuem quandam famam pervenisse. Nonnulla tamen, quae argumento fabulae prioris satis conveniunt, breviter commemorabo. Primum componam haec tria, Photii p. 518, 2 *Σκελετεύεσθαι: ξηραίνεσθαι. Ἀριστοφάνης.*, Pollucis VII, 32 *Στήμονα δὲ ἐξεσμένον τὸν ἰσχνὸν καὶ λεῖον Ἀριστοφάνης λέγει.*, Suidae s. *Αὐαίνεται — καὶ Ἀριστοφάνης Ἐνταῦθα δὴ παιδάριον ἐξαναίνεται* (cl. Phrynicho Bekk. p. 13, 20). Quae quum in Chaerephontem Socraticum apprime quadrent, hominem cicada et culice sicciorem, qui succum et sanguinem adeo omnem perdiderat, ut semimortuum referret: tamen non minus bene Gerytadi assignari possunt atque Cinesiae, qui in pallore nequitiaque nihil illi concedebat. Non abhorret a Socrate ejusque amicis, qui utrique non multum lavabantur, hic trimeter Aristophanis apud Pollucem II, 34 *Λούσησθε καὶ κτενίσησθε πρὸς τὸν ἥλιον:* attamen licet eum revocare etiam ad Pelargos, in quibus *Βαλανεὺς* legebatur, fortassis etiam, ut bene *Dindorfius*, *Βαλανεὺς δ' ὠθεῖ ταῖς ἀρυταίναις.*, licet denique ad Lemnias, quod ut verum putem, moveor Pollucis loco VII, 166., ubi quum attulisset ex Lemniis trimetrum illum: *Ἀλλ' ἀρτίως κατέλιπον αὐτὴν σμωμένην | ἐν τῇ πυέλῳ.* statim ita perrexit: *τάχα δὲ καὶ τὸ κτενίζεσθαι ἐν τῷ λαυτρῷ.* Socraticos leges perfringere solitos forsitan pupugit Comicus hoc senario,

cujus tamen sententia late patet plurimosque complectitur, apud Grammaticum Bekk. p. 434, 6. et Suidam s. Ἀπόῤῥητα, *Οὕτως τι τἀπόῤῥητα δρᾶν ἐστ' ἐπιμελές:* sic enim arbitror scribendum esse comparoque Menandrum p. 97. Mein. *Οὕτω τι πρᾶγμ' ἐστ' ἐπίπονον τὸ προσδοκᾶν.* Choro Nubium duo Socraticos, ut Alcibiadem Critiamque, castiganti, qui eloquentia freti sua iniquo crimine multos vulgo arcessant, non tribuere nolim versus dochmiacos in Grammatico Bekk. p. 343, 21 Ἀριστοφάνης:

Τί γὰρ ἐπὶ κακότροπον ἐμόλετον βίον
ἀδικομηχάνῳ τέχνῃ;

tametsi hoc quoque fateor incertissimum esse. Aliquanto probabilius videtur, ex Nubibus I delibatum esse a Phrynicho Bekk. p. 57, 17 illum trimetrum Aristophanis: *Οὔκουν μ' ἐάσεις ἀναμετρήσασθαι τάδε;* non quia *ἀνεμέτρει* in nostris Nubibus legitur, sed ideo quod illic geometriae multum studii navabant Socratici. Majore quadam fiducia Nubibus I redderem vocabulum descriptum a Photio p. 241, 8 *Μάθος: λέγουσι τὴν μάθησιν. οὕτως Ἀριστοφάνης,* quod verbum Socrate inprimis dignum esse nemo ibit infitias, nisi *μάθος* etiam ad tragicum quempiam irridendum valere posset. Comicus enim cum tragicorum formis *πρᾶγος, κλέπος, ῥέος* aliisque permultis jocose certans, in Avibus ac Lysistrata *πρᾶγος* intexuit, *βλέπος* in Nubibus nostris, *πλέκος* in Pace, *βλάβος* in Ranis, *κύος* in Triphalete, et alia, credo, aliis in locis. Postremo illud Photii p. 291, 15 et Suidae Ὀνυχίζεται: *ἀκριβολογεῖται. οὕτως Ἀριστοφάνης.* (cf. Phryn. Bekk. 13, 13 atque 55, 9.) Socrati omnes et voculas et res omnes ad certam suae rationis normam dirigenti, omnia momenta expendenti neque ullum relinquenti dubitationis scrupulum, si qui voluerint, adjudicent: vix enim refragabor. Dignissimus est, qui conferatur, Juliani locus Or. IV. p. 77. *ἐργάτης γάρ ἐστι καὶ τούτων ἀγαθός, οὐκ ἀποσμιλεύων οὐδὲ ἀπονυχίζων ῥήματα.* Est autem haec similitudo non a philologis illis sumta, qui propter aliquam consilii inopiam derodunt ungues mordentque, quo maxime modo con-

jecturam non nimis acutam, nec caetera impolitam se sperant inventuros, sed a statuariis, qui ungue et formam tractabant et opus ipsum reddebant laevius. Inde, ut alios praeteream, Horatius Sat. I, 5, 32 *ad unguem factus homo*, eodemque *Bentlejus* retulit, me quidem vehementer mirante, versum A. P. 294 *Praesectum* decies non castigavit ad unguem.

Nunc vero videamus, utrum in secundis Nubibus aliqua pars primarum servata esse videatur, necne. Tres sunt fabulae Aristophanis, in multis Codicibus solae relictae, in aliis perpetuo ordine conjunctae, quae a librariis studiose legebantur, certatim describebantur, crebro denique corrumpebantur, Nubes posteriores propter Socratem, Virum unum omnium ex tota Graecorum antiquitate notissimum, Ranae, quam praeter caeteras Comoediam propemodum perfectam appellare audeo, et ob excellentem in omni genere praestantiam, et ob Aeschyli Euripidisque nomina, quorum hic monachis mire placebat, ille nemini unquam displicere poterit, Plutus sive propter obviam intelligendi facilitatem, sive quod divitiae raro contemtae, saepe appetitae, opulentorum animos pariter ac pauperum retinere solent. Necdum omnes lectiones penitus exhauserunt *Brunckius*, *Dobreus*, *Bekkerus*, alii, sed nonnullos libros ne attigerunt quidem: veluti Nubium Codices quum alii latent fortasse etiamnunc in Italiae bibliothecis, tum unus Vindobonae asservatur, optimae notae liber, ut ex amico audio, qui eum ipse evolvit. Sed ex illis tot tantisque scribendi vitiis pleraque optimorum Codicum auctoritate (dummodo eis recte uti sciamus) facile sanari possunt; haud pauca tamen ab ultimis usque repetita temporibus adeo inveterarunt, ut, etiamsi ex toto orbe terrarum quidquid est Codicum, coacerves, idem ubique mendum reperias, sin ingenio vel antiquissimorum librorum vicario abundes (sine quo nihil possunt omnes Codices, at ingenium sine eis saepe plurimum), errorem semper animadvertere possis, nonnunquam etiam certo emendare.

Quanquam igitur Nubes II valde depravatae ad nos pervenerunt, nihil tamen de primis Nubibus in illius fabulae lectionibus scripturisque, quamvis ad numerum et varietatem ingentibus, ad gravitatem saepe maximis vel perspicue servatum est, vel ita novo vitio obtectum, ut tamen cogitatione possit erui. Sunt enim omnes ac singulae lectiones ejusmodi, non ut earum ope poëtam a poëta, sed a scriptore librarios discernere debeas: neque id de Nubibus II magis valet, quam de Pluto II ac de Thesmophoriazusis I. Nec muto sententiam propter aliquot obscuriores lectiones, veluti Nub. v. 1435, aut si quid simile suo loco quum attuli, tum, quoad possem, etiam dijudicavi. Quocirca male *Reisigius* aliique nonnulli in singulis versibus duas recensiones Comici passim sibi invenire visi sunt. Est omnino hoc plures recensiones indagandi studium, quod aliquamdiu paene nimis viguit, lubricum quoddam et magna provisione gubernandum, non modo quod scribae inviti interdum et aliunde sumunt, ut, quam docte peccassent, nesciverint ipsi, verum etiam quia nos seri studiorum hoc tempore aegre cavemus, ne Alexandrini grammatici, homines graece doctissimi, suum emblema pro ipsius scriptoris emendatione impune nobis venditent. Atque etiam in tragoedia curae secundae poëtarum in totis scenis expoliendis argumentove omni retractando magis videntur versatae esse, quam in singulis versiculis adeoque partibus versuum constitisse: quanquam tragici quidem, prae caeteris vero Euripides, ne fletum theatri risus subito restingueret, eos certe versus delere cogebantur, quos vixdum scriptos Comici eis corrupissent, quare aliquoties scriptum est, *τοῦτον τὸν στίχον ὑπεξεῖλεν* (sive *περιεῖλεν*) *Εὐριπίδης*: et tamen Viri Docti versum primo tragicum, mox comicum in retractata editione ac nostra abesse falso mirati vel optimis Scholiis fidem nullam habuerunt. Verum de Aristophane (praeterquam quod, retento tantum nomine, fabulas ipsas mutare solebat) non tam humiliter sentio, ut eum putem in renovandis comoediis singulos versus, verba, literas

literarumque apices anxie rimatum esse: quod mihi tanti poëtae persona indignissimum videri profiteor. Is enim vel primo versus suos tanta arte composuit, ut ei veterem sarciendi, assuendi novum, malum emendandi occasio non daretur, nisi perraro: cujusmodi locos, ut unum, obscurissimum illum, quem pessime nuper ad hoc genus retulerunt, Ran. vv. 1418—1449 omittam, duo tantum (sive malis unum eundemque dicere) exstare arbitror in toto Aristophane. Namque in Pluto II v. 115

οἶμαι γὰρ, οἶμαι, σὺν θεῷ δ' εἰρήσεται,
ταύτης ἀπαλλάξειν σε τῆς ὀφθαλμίας,
βλέψαι ποιήσας.

Scholiasta aliquis haec tradidit: — διὸ καὶ ἐν τῷ δευτέρῳ μεταπεποίηται „τῆς συμφορᾶς ταύτης σε παύσειν, ἥ σ' ἔχει." Iste scholiasta cum aliis opinatus est, nostrum Plutum esse priorem. Quocirca Comicus in priore Pluto scripserat τῆς συμφορᾶς — ἥ σ' ἔχει, at in posteriore ταύτης ἀ. — τῆς ὀφθαλμίας: alioquin in omnibus Codd. non hic versus legeretur, sed alter ille scholiastae. Quanquam enim alter Plutus a superiore et viginti annorum spatio, et maximo veteris comoediae mediaeque distabat discrimine: in utroque tamen dramate Pluto deo oculorum visus restitutus est.

Ceterum Aristophanes frigidum versum et languidum recte emendavit. Nam et caecitas facete ὀφθαλμία nominatur, et oppositio sententiarum, quae in scholiastae versu valde laborat, in hoc praeclara est ἀπαλλάξειν — ὀφθαλμίας, βλέψαι ποιήσας: compara Plut. II v. 746. 747. et Lucian. Ver. Hist. I, 25 — τυφλώττει, ἔστ' ἂν δεηθῇ ἰδεῖν., ut legendum est e cod. Gorlicensis vestigiis: vulgo enim φυλάττει. Ceterum res eadem manebit, si ingeniosam *Brunckii* conjecturam sequutus Aristophanem putaveris propter locos hos, Suidae in Ἀναπηρίαν, Pollucis II, 61 et Antiattic. Bekk. 78, 11., in priore Pluto scripsisse ταύτης ἀπαλλάξνιν τε τῆς ἀναπηρίας in posteriore autem τ. α. σ. τῆς ὀφθαλμίας. Alter locus tribus versibus post sequitur v. 119, ubi idem scholiasta,

μεταπεποίηται δὲ καὶ τοῦτο ἐν τῷ δευτέρῳ. Hic quidnam primo dederit Aristophanes, nescimus; in nostro autem Pluto docere possum ita plane scribendum esse:

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

τί φῄς;
ἄνθρωπος οὗτός ἐστιν ἄθλιος φύσει.

ΚΑΡΙΩΝ.

Ὁ Ζεὺς μὲν οὖν, ἦδ' ὅς, τὰ τούτων μῶρ' ἂν εἰ πύθοιτ' ἔμ' ἐπιτρίψειε.

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

νῦν δ' οὐ τοῦτο δρᾷ κτἑ.

Verum enimvero *Reisigius* Aristophanis novam editionem meditantis diligentiam in tam minutis rebus occupatam esse credidit, ut Comicorum principem infra vulgarem magistrum discipulorum pericula scribendi pusillo quodam animo et perangusto corrigentem a *Reisigio* detrusum esse diceres. Ita in ipsis Nubibus v. 352 tantum tribuit (Conjectan. p. 173) lectioni ταῦτ' ἄρα καὶ κλεώννυμον —, ut Aristophanem in priore fabula posuisse dicat

ταῦτ' ἄρα καὶ Κολακώννυμον αὖται —

contra in posteriore, ut vulgo legitur

ταῦτ' ἄρα ταῦτα Κλεώννυμον αὖται —.

Porsonus vero in nostra fabula illud reponebat, quod priori reliquit *Reisigius*. Neuter eorum cogitarat, neque nomen jocosum Κολακώννυμος hic quidem perabsurde substitui, ut verissime *Hermannus*, neque scripturam ταῦτ' ἄρα καὶ κλ. nihil quidquam critico prodesse, utpote derivatam e versu 393 ταῦτ' ἄρα καὶ τὠνόματ' ἀλλήλοιν —. Idem *Reisigius* Praef. ad Nub. p. xxx in prioribus Nubibus ita scriptum esse confirmat Nub. 1166

σωτὴρ δόμοις
ἐχθροῖς βλάβη.

in posteribus vero sic:

σωτὴρ ἐν(!) δόμοις,
ἐχθροῖς ἀνιαρός.

Nempe adeo non vidit, lectionem multorum Codd., sed non antiquissimorum ἀνιαρὸς librarios e Pluto v. 561

mutuatos esse, ut ex hoc ipso Pluti loco *τοῖς ἐχθροῖς ἀνιαροὶ* concluderet; etiam in Nubibus *ἐχθροῖς ἀνιαρὸς* summo jure poëtae tribui. Tum *Reisigius* et illo in loco et in Conjectan. p. 38 quum malas lectiones probaret, pessimas defenderet, priores Nubes his auxit versibus:

ἐξέφερον ἂν καὶ προὐσχόμην
σέ· σὺ δ' ἐμὲ νῦν ἄγχων βοῶν-
τα, κεκραγόθ', ὅτι χεζητιῶ-
ην, οὐκ ἔτλης ἔξω 'ξενεγ-
κεῖν, ὦ μιαρὲ θύραζέ μ', ἀλλ'
ἀποπνιγόμενος
αὐτοῦ 'ποίησα κακκᾶν.

quales dimetros, tam asperos tamque hiulcos non modo Aristophanes facere nunquam potuit, sed ne *Reisigius* quidem debuerat fabricari. Apparet, tres illos, quos dixi, locos ad secundas Nubes unice referendos esse, cum primis vero, in quibus rerum, quae hic aguntur, omnium nec vola nec vestigium fuerat, communicari nullo modo posse. Porro *Reisigius* Conject. p. 105 ad priorem Plutum hunc defert senarium

ὃ δ' ἵππος ἡμῖν ἐξαπίνης ἐλεφάντινος (sic)

ad posteriorem (v. 815)

ὃ δ' ἵππος ἐξαπίνης γέγον' ἐλεφάντινος (sic)

Neuter eorum in neutro ita scriptus esse potuit. Imo in priore plane nihil ejusmodi legebatur, in posteriore autem quis non videt dixisse Aristophanem,

ὃ δ' ἵππος γέγον' ἡμῖν ἐξαπίνης ἐλεφάντινος.

Deinceps *Reisigius* Conj. p. 126 de Thesmophor. v. 567 sic existimat, ut alteri fabulae tanquam proprium ac suum reddat

ἀλλ' οὐδέποτε σύγ' ἄψει.

alteri vero assignet et peculiare esse hoc velit

ἀλλ' οὐ μὰ Δία σύγ' ἄψει.

Et in prioribus quidem Thesmophoriazusis jam alii intellexerunt scribendum esse

οὐ δῆ μὰ Δία σύγ' ἄψει.

Contra in posterioribus totum illum locum omnia perqui-

rendo non reperisset tamen, sat scio, ne ipse quidem *Reisigius*. Satis multa dixi de errore haud dubio. Sed tamen quum docuerim, Nubes I et II duas esse fabulas habendas, non recensiones duas, sequitur, falso viros doctos nonnulla Aristophanis fragmenta ad Nubes I retulisse, motos similitudine quadam locorum alterius fabulae, qui ne ad argumentum quidem universum pertinent. Non igitur e Nubibus I fluxit ille tetrameter apud Suidam

Αὐτὸς δείξας, ἔν θ' ἁρμονίαις Χιάζων ἢ Σιφνιάζων.

quem ubi liquidius constiterit omnino ab Aristophane esse profectum (incertum enim, an aliorum sit potius, et potest esse Teleclidae vel Hermippi, potest etiam Cratini, vel Eupolidis, vel Pherecratis et cujus non veteris Comici): tum denique videbimus, in qua potissimum Aristophanis fabula reponendus esse videatur. Non magis in Nubibus I occurrisse *πέτευρον* mihi possum persuadere.

Reisigius quidem in Photio 426, 12 *Πέτευρον: πᾶν τὸ μακρὸν καὶ ὑπόπλατυ καὶ μετέωρον ξύλον. Ἀριστοφάνης ἐν τῷ ε.* olim corrigebat *Ἀριστοφάνης ἐν ταῖς Νεφέλαις*. Potuisset fortasse [22]) sine ulla mutatione *ἐν*

22) Fortasse, inquam: neque enim ii loci, quorum meminerim, hunc grammaticorum usum ita confirmant, ut res extra omnem dubitationem posita planeque confecta videri possit. Principio nullam vim habet obscura ista vox in argumento Avium *ἔστι δὲ λε*, quae tamen melius vulgo additur, quam deest in libro Ravennate. Fefellit in his verbis nuper opinio *Guil. Dindorfium* Ar. Fr. p. 37 sq. non magis, quam olim *Samuelem Petitum* in Beckii Commentariis Vol. III p. 354. varia ac diversa sentientes corrigentesque vel *ιε'* vel *λη'* vel aliter. Res ita se habet. Didascalia Avium vulgo in duas partes male discerpta est, priorem hanc, *Ἐδιδάχθη ἐπὶ Χαβρίου διὰ Καλλιστράτου ἐν ἄστει, ὃς ἦν δεύτερος τοῖς* (*ταῖς* Ravennas) *Ὄρνισι, πρῶτος Ἀμειψίας Κωμασταῖς, τρίτος Φρύνιχος Μονοτρόπῳ. ἔστι δὲ λε.*, posteriorem, quae multo post sequitur, *ἄλλως* etiam interjecto, hanc, *Ἐπὶ Χαβρίου τὸ δρᾶμα καθῆκεν εἰς ἄστυ διὰ Καλλιστράτου* (libri *Καλλίου*), *εἰς δὲ Λήναια τὸν Ἀμφιάραον ἐδίδαξε διὰ Φιλωνίδου*. Hos duo locos nunc perperam diremtos esse, multa argumenta facile evincent, non minimum hoc, quod re ipsa cohaerent et conjuncti demum

τῷ ε̄ sc. *δράματι* sic interpretari „in quinto dramate,“

---

totum quiddam efficiunt. Accedit, quod et posterior locus in Codd. *Brunckii* prorsus deest, et Juntina secunda, quae in argumentis et praefationibus cum Veneto codice mirabiliter consentire solet, in priore loco non habet *διὰ Καλλιστράτου ἐν ἄστει*, sed *εἰς ἄστυ διὰ Καλλιστράτου*, id quod sumtum est e posteriore, accedit ipsum, illud *ἔστι δὲ λε̄*, de quo diu multumque dubitatum est. Ut fontem erroris videas, consule modo antiquissimum illum librum, Ravennatam. Is cum aliis quibusdam subsidiis criticis ordinem horum locorum ita invertit, ut primum illa ponat *Ἐπὶ Χαβρίου τὸ δρᾶμα* — deinde multis verbis post subjungat altera *Ἐδιδάχθη ἐπὶ Χαβρίου* — in fine verbis *ἔστι δὲ λε̄* omissis, sed male omissis, quoniam sic difficultas veri inveniendi aucta est. Quo haec tendant, non est obscurum. Monstrum illud *ἔστι δὲ λε̄* rite procurabitur, ubi suffeceris *εἰς δὲ Λήναια* —. Nimirum librarius in exemplari a se describendo post *Μονοτρόπῳ* legebat etiam illa *εἰς δὲ Λήναια — διὰ Φιλωνίδου*, quae quum meminisset jam supra totidem verbis allata esse, hic repetere noluit, sed vix initio facto *εἰς δὲ Λήναια* — subito substitit. Certissimum puto, *ἔστι δὲ λε̄* nihil aliud significare, quam quod ei modo suffeci. Totius didascaliae sententiam (verba enim singula praestare nolo) recuperabis, si alteri loco *Ἐδιδάχθη ἐπὶ Χαβρίου* — ad extremum post v. *Μονοτρόπῳ* adjeceris haec verba: *εἰς δὲ Λήναια τὸν Ἀμφιάραον ἐδίδαξε διὰ Φιλωνίδου*, quod ipsum facere nos cogunt tria ista post *Μονοτρόπῳ* verba, *ἔστι δὲ λε̄*. Quo facto minime impedio, quo minus alterum locum *Ἐπὶ Χαβρίου* —, quippe inutilem et turpi vitio *Καλλίου* pro *Καλλιστράτου* deformatum, transverso calamo expungas. Ceterum similes errores a librariis haud ita raro commissi sunt, veluti simillimus in Scholiis ad Nubes v. 1122. Ita erepto nobis Avium argumento duo tantummodo loci restant unius grammatici ejusque non diligentissimi. Grammaticum Bekkeri dico tum Anecd. p. 430, 16 sive Bachmann. Anecd. I, 127, 18. *Ἀριστοφάνης ἐν τῷ ϑ̄ Γήρᾳ.* tum Bekk. p. 399, 26 sive Bachm. I, 93, 1 *καὶ Θρασυλέοντι γ̄ ἢ δ̄.* Ac de superiore sapienter disputavit *G. Dindorfius* Ar. Fr. p. 104 sq., de altero ne ego quidem stulte Daetalens. p. 105 infra; videsis etiam *Dobreum* Adversar. p. 620. Quare ut hi duo loci non temere rejiciendi sint, at multo minus tamen eis solis confidere debemus: auctorem enim requiro in tam singulari re longe certiorem.

quoniam, si tempora fabularum, non literarum ordinem, sequare, Nubes I omnino quinta est fabula Aristophanis: nisi luce clarius esset, Aristophanem a Photio dici forma *πέτευρον* usum esse, neque vero altera *πέταυρον*, id quod *Reisigius*, ab *Hermanno* monitus, ipse agnovit. Neque eo magis tamen ab ista opinione vir egregius recedere potuit, verum ut Nubibus v. *πέτευρον* vindicaret, quasi ad aliquam aram, sic ad Pollucem X, 156. confugit: *πέτευρον δέ, οὗ τὰς ἐνοικιδίας ὄρνιθας ἐγκαθεύδειν συμβέβηκεν, Ἀριστοφάνης λέγει, ὥσπερ καὶ κρεμάστραν ἐν ταῖς Νεφέλαις.* Qui si Pollucis libros paullo magis trivisset, vel aliquot modo capita proxima assiduo perlegisset, neque decimum librum tantopere admiraretur, neque Pollucis sermonem ad elegantiam subtilitatemque Atticorum exigere frustra conaretur, sed hic quidem pingui Minerva, ut ajunt, sedulo agere maluisset. Pollux enim si *πέτευρον* quoque ad Nubes retulisset, aut diceret ita, uti tum solet, *πέτευρον δὲ — Ἀριστοφάνης λέγει ἐν ταῖς Νεφέλαις, καὶ αὖθις κρεμάστραν*, aut saltem verba sic inter se junxisset *Α. λ. ἐν ταῖς Νεφέλαις, ὦ. κ. κ.*: uti nunc est, *κρεμάστραν* tantum e Nubibus affert, *πέτευρον* tribuit Aristophani, loco ipso non designato. Lubentius crediderim verbum *πέτευρον* aut ad Pelargos, unde servatus est nobis hic senarius

Τί δὴ τὸν ὀρνίθειον οἰκίσκον φέρεις;

aut ad Holcades, ubi alii grammatici invenerant *οἰκίσκος*, tanquam in veterem sedem, reduci debere. Omnino haec quoque incerta: sed tamen cur has fabulas eligamus, aliqua potest causa excogitari, cur Nubes sive primas, sive secundas, ut mihi quidem videtur, nulla. Omnium minime vero vellem hoc dixisset *Reisigius*, post versum 1067 adjici posse hunc tetrametrum

οἷσπερ μέγα φρονεῖ μᾶλλον ἢ Πηλεὺς ἐπὶ τῇ μαχαίρᾳ.

qui ne est quidem Aristophanis. Namque apud Photium 428, 2., quocum consentiunt Hesychius et Suidas: *Πηλέως μάχαιρα: παροιμία· ταύτην ἀναγράφει* (ἐκ πλήρους add. Hesychius) *καὶ Ἀριστοφάνης οὕτως· μέγα φρονεῖ*

μᾶλλον ἢ Πηλεὺς ἐν τῇ μαχαίρῃι· ἐδόκει —. (Hesychius ἢ ὁ Πηλεὺς τῇ μαχαίρᾳ, Suidas autem ἢ Πηλεὺς ἐπὶ τῇ μαχαίρα· ἢ ἐδόκει — recte, et sic posuerat Photius quoque), in his igitur locis Aristophanem nominari grammaticum et *Dobreus* monuit ad Phot. Tom. II p. 642 et postea etiam *Dindorfius* Ar. Fr. p. 19 sq. Quodsi locus ille Aristophanis in notissimo libro Ἄμετροι παροιμίαι legebatur, quemadmodum bene conjecit *Dindorfius*, errasse grammaticum prorsus existimo. Fieri enim vix potest, quin illis verbis, praeposito ἐφ' ᾧ vel alio simili verbo, jambus tetrameter contineatur, isque comici poëtae, ut hilaris ostendit sententia. Hoc ipsum animadverterat, ut opinor, *Reisigius;* qui non debebat aut a quovis comico transilire ad Aristophanem, aut ab Aristophane toto ad Nubes. Sed quoniam *Hermannus* (Praefat. p. XIII — XXX) primus ac solus tum eximie demonstravit, Nubes posteriores inchoatas tantum esse, non absolutas, tum dilucide ostendit, quaenam pars prioris fabulae in altera remansisset: teneri non possum, quin praecipuos saltem locos transscribam atque in pauca conferam. Omittam vero et *G. Esseri* opinionem, quam ab *Hermanno* satis refutatam *Esserus*, uti spero, nunc ipse abjecit, et ea, de quibus quid sentirem, jam supra dictum est.

Docuit igitur Aristophanes Nubes I Ol. LXXXIX, 1 archonte Isarcho, Dionysiis (v. argument. VI, schol. ad v. 545 et e didascaliis ad v. 549). Primus locus judicum sententiis datus est Pytinae Cratini, secundus Conno Amipsiae, ultimus Aristophani relictus (v. parabasin Nub. II et argumentum VI). Qua ignominia graviter offensus in alteris Nubibus scribendis elaboravit quidem, sed Nubes II non modo nunquam dedit, verum ne perfecit quidem. Falso autem nonnulli tradiderunt (schol. in argumento VI et ad v. 31 et 542) Nubes iterum datas esse anno sequente, quo archon erat Aminias 23). Praeterquam

23) Non male *Dindorfius* suspicatur, Vespas, quae fabula archonte

enim, quod Aristophanes isto quidem anno non solum Vespas scripsit, sed etiam Proagonem, Nubes II aliquot demum annos post Aminiae magistratum confectae sunt, docente id potissimum parabasi. Praeterea scriptor gravissimi illius argumenti, quod a verbis *τοῦτο δὲ ταὐτόν ἐστι τῷ προτέρῳ* incipit, fabulam a poëta repositam esse perspicue negat. Denique in didascalias Nubes semel tantummodo relatae erant: quare Eratosthenes, didascalia commemorata, Nubes I *τὰς διδαχθείσας*, contra Nubes II *τὰς ὕστερον διασκευασθείσας* appellavit 24). Sed tamen quum voluerit Aristophanes Nubes II docere, quaeritur, utrum hanc fabulam recognitam habeamus, an conflatam potius misereque conglutinatam ex utraque editione. Ceterum hoc credi ullo modo posse recte pernegat *Hermannus* p. XXI, quoniam hodiernas Nubes esse secundas pateat ex Athenaeo, Diogene Laertio, Suida aliisque. Quodsi poëta medio in opere cessasset, alia vix intelligere liceret, alia redundarent, hiarent alia, alia denique inter se pugnarent. Nunc omnia tam apte cohaerent, ut et perpetua comoedia eaque plena facetiarum nata sit, et aut nihil omnino, aut non multum certe operi deesse possit. Extremam tamen manum editioni secundae non accessisse, parabasis maxime declarat: nam e scriptore argumenti VI, et e scholiis ad v. 514. 537. 539. 545. 549. 576. 587 haud ita magnam utilitatem percipimus. Ac primo commatium Chori v. 506—513

Aminia data est, cum Nubibus II facile confundi potuisse, ideo quod in utraque parabasi et Vesparum et Nubium II spectatores a poëta reprehendantur (*ἀπομέμφεσθαι τὸ θέατρον*). Sed minus recte idem arbitratur, hunc errorem etiam e mala interpretatione versus 31 Nub. II oriri potuisse. Imo tam singularis interpretatio certo non sponte nata est, ac potius ille error antea susceptus malam interpretationem traxit.

24) Hujus generis dramata *ἀδίδακτα* a grammaticis dicuntur, ut ab Athenaeo VI, 270, a. *οἶδα δ', ὅτι καὶ οἱ Θουριοπέρσαι καὶ τὸ τοῦ Νικοφῶντος δρᾶμα ἀδίδακτά ἐστι· διόπερ καὶ τελευταίων αὐτῶν ἐμνήσθην.*

cum versibus proxime antegressis cumque omni argumento tam arcte consociatum est, ut non possit ad secundas Nubes non revocari. Tum propria parabasis, metro scripta Eupolideo v. 513 — 558 certe non ante scripta est, quam tertio anno post Nubes editas, sive Ol. LXXXIX, 4. Huic enim anno Maricas Eupolidis in didascaliis adscribitur, v. 549 commemoratus. Nec sane prius scribi docerive potuit Maricas, quippe in quo Eupolis de Cleone, ut de mortuo loqueretur: nam Cleonem Alcaeo (non, Aminia) archonte Ol. LXXXIX, 3 mortuum esse constat. Deinde vero ex versibus his

Εὔπολις μὲν τὸν Μαρικᾶν πρώτιστον παρείλκυσεν

et mox

Εἶθ' Ἕρμιππος αὖθις ἐπώλησεν εἰς Ὑπέρβολον,
Ἄλλοι τ' ἤδη πάντες ἐρείδουσιν εἰς Ὑπέρβολον.

planissime consequitur, aliquanto post Maricam datum parabasin illam scriptam esse (*Hermannus* p. XXVII). Praeterea versum 547. et proxima intuenti videbitur Hyperbolus tum vacillasse potius, quam de statu suo plane dejectus esse aut exsilio affectus: quod quidem accidit circiter Ol. XCI, 1. Certe etiamtum vixit Hyperbolus, testante id versu 534. Occisus est autem demagogus in Samo insula, ut mihi videtur, extrema Olympiade XCI. Nam in Thesmophoriazusis (Ol. XCII, anno primo vel secundo) v. 840 sqq. ita nominatur Hyperbolus, ut haud sane liqueat, utrum mortuus sit, an vixerit: mortuus erat Lamachus certe, qui simul cum illo commemoratur. Mortuus est Hyperbolus in Ranis v. 570. Ol. XCIII, 3. Callia archonte, Lenaeis. Qua propter non multum a vero aberraverit, qui Nubes II quatuor vel etiam quinque annis post priores dixerit scriptas esse, Ol. XC, 1 vel 2. Nec dubito, quin magnis Dionysiis, ut priorem fabulam, sic etiam posteriorem destinarit, videlicet ut ignominiam coram peregrinis acceptam praesentibus peregrinis aboleret. Sequuntur stropha v. 559 — 570 atque antistropha v. 591 — 602., quibus quum nullum sit temporis vestigium impressum, non decernam,

utrum eae priori fabulae, an, quod minus placet, posteriori adjudicandae sint. Longe secus existimandum est de duabus ultimis partibus, epirrhemate v. 571 — 590 et antepirrhemate v. 603 — 622., quae utraque e Nubibus I repetita esse apparet. Et epirrhema de prima editione Nubium servatum esse, jam scholiastae intellexerunt ad v. 545. 576. 587: de Cleone enim ibi loquitur poëta, ut de homine vivente. Nam quod alius scholiastes ad v. 587 dicit, quae ibi de Cleone legantur, paullo post primas Nubes addita esse, sed diu ante ea, quae in superiore parabasi de comoediis in Hyperbolum scriptis narrentur, id non dubito, quin auctor ipse ementitus sit. Primum enim, quum caeteri scholiastae omnes et vero etiam grammatici Alexandrini Nubes I nunquam viderint, quis tandem credat, huic uni scholiastae uti licuisse antiquiore quodam scriptore, qui istum locum in priore editione abfuisse testatus esset. Deinde nemo sibi persuadebit, Aristophanem Nubes secundas tam longo tamque perverso intervallo scripsisse, ut propriam parabasin, sive versus Eupolideos post Ol. LXXXIX, 4 componeret, epirrhema autem, quod tamen ordine sequitur, ante Ol. LXXXIX, 3 scribendum sibi putaret. Postremo scholiasta iste tum fortasse ne cogitabat quidem de Nubibus I, certe quidem id agebat, ut omnes parabasis partes Nubibus II tribuere posset: quapropter etiam antepirrhema ad Nubes II transferre non dubitavit. Certissimum est autem, etiam antepirrhema solis Nubibus I reddendum esse. Nam quoniam constat, epirrhema e Nubibus I remansisse', is, qui antepirrhema tamen secundis assignabit, Aristophanem faciet primo antepirrhema scribentem, ac postea demum epirrhema: quod minime convenit. Deinde et epirrhema et antepirrhema complectitur versus xx. Quodsi alterum ad primas Nubes pertinuerat, ad secundas alterum, profecto miror hunc consensum numerorum: siquidem epirrhema atque antepirrhema apud Aristophanem modo est XVI versuum, modo xx. Sed alias quoque causas sat graves, quemadmodum spero, proferre possum. Principio quum

v. 546 — 556 Eupolin, Hermippum aliosque comicos gravissime reprehendisset Aristophanes, quod miserum Hyperbolum ludos facere non desisterent, quî tandem potuit in iisdem Nubibus II, in eadem parabasi, uno paene dicam spiritu ipse Hyperbolum ludos facere v. 619 — 622?

Id profecto esset, acerbissimam contra moechos rogationem ferre, ac tum lege vix perlata in adulterio ipsum deprehendi, quemadmodum de Salaetho Crotoniate accepimus. Nemo opponet Nub. II v. 866 et 1048, locos longo spatio diremtos a parabasi, in quibus Hyperbolus paucis verbis castigatur. Praeterea quod queritur chorus, temporum rationem jam mire perturbatam esse, ego vero miror, quod Metonis Enneadecaëteris, quam Octaëteridi a Cleostrato profectae, emendatae ab Harpalo, substituit, non jam ante Ol. LXXXIX, 1 publice recepta est, quam septem circiter annis ante scimus inventam: tantum abest, ut concedam, Metonis rationem quatuor aut quinque demum annis post in republica valere coepisse. Denique sententiae meae favent etiam Scholiastae verba (ejusdem, ut opinor, qui modo epirrhema Nubibus I eripere frustra conatus est) ad v. 619 haecce: *οὐδεὶς δ' ἱστόρησε κατ' ἐκεῖνον τὸν ἐνιαυτὸν* (Ol. LXXXIX, 1) *ἱερομνήμονα εἶναι τὸν Ὑπέρβολον.* Hic non mentitur scholiasta, sed causam silentii minime perspexit. Quoniam enim Hyperbolus illico se abdicare hieromnemonis munere Ol. LXXXIX, 1 coactus est, de quo diximus in commentario ad illum locum, non sane mirum cuiquam videbitur, de Hyperbolo hieromnemone annalium scriptores penitus tacuisse: quas necesse erat alterum illum nominare nescio quem, qui subsortitus suffectusve Hyperbolo huic muneri reapse praefuisset. *Hermannus* quae p. XV hac de re disputavit, scholiastae illi fide dubitanter adjuncta, ea mihi non probantur: sed p. XXVII verissime censet Vir Egregius, caeteras partes parabasis, praeter commatium et versus Eupolideos, certe epirrhemata, e primis usque Nubibus repetendas esse. Quae sententia magnopere eo

confirmatur, quod in toto loco ea pars parabasis deest, quae πνῖγος sive μακρὸν appellatur. Haec vero pars Eupolideos versus sive propriam parabasin debebat excipere. Quare Aristophanes in scribenda hac tota parabasi Nubium II usque ad πνῖγος pervenit: quae enim postea sequuntur, e Nubibus I relicta sunt. Nam etiam stropham antistrophamque, quo plus operae Comico restiterit, libenter statuam Nubibus I adscribi debere. Si enim odam atque antodam finitimas illas ac prope conjunctas utrique epirrhemati, jam perfecerat Aristophanes, non intelligo, quamobrem idem non etiam duo epirrhemata, hoc est ultimas partes totius parabasis, adjecerit institutumque opus plane absolverit. Sin vero tantum usque ad v. 559 pervenerat, facilius vel Socratis ratio, non jam inimici, vel taedium ipsum vincere potuit haec omnia perficiendi voluntatem atque eam comoediam, quam omnino daturus non esset, quasi ad umbilicum adducendi: praesertim quum unus alterve locus praeter parabasin diligentem curam flagitaret. Eximie enim *Hermannus* quum illud vidit, post v. 887 carmen chori deesse, tum in eo ipso aliud quoddam indicium editionis secundae non omnino perfectae agnovit. Mihi quid de tota hac re videatur, accurate exponam: videor enim mihi in indagando vero paullo etiam longius progredi posse. Optime sic judicat *Hermannus*, oportuisse chorum hic canticum canere, ut actu finito. Omnino enim certa quadam fabulae parte finita nunc novae plane res insequuntur, ad quas spectatorum animos praeparari aliquo Chori carmine, constans poëtarum usus jubebat, ne Justus Injustusque sermo non venire potius in scenam, quam irruere in eam et impudenter admodum irrumpere viderentur. Ac si minus forte necessarium videbatur, Chorum de iis, quae proxime sequutura essent, dicere, vel sic tamen Choro maxime hic opus erat. Nam Strepsiades post v. 887 abit, Socrates autem domum introit, ut duo Sermones se ad pugnam parare jubeat forasque evocet. Interim scena vacua relicta, ne spectatores nihil spectarent, Chorus in

Orchestra partes suas agere debebat. Accedit, quod etiam monumenta literarum, sive ab ipsius poëtae fonte profecta, sive traducta e rivulo docti alicujus Alexandrini, palam testantur, Chorum hic intercinere aliquid debere. Scholiastes ad h. l., *μέλος δὲ τοῦ χοροῦ οὐ κεῖται, ἀλλὰ γέγραπται μὲν ἐν μέσῳ ὁ χορός* —. Et alius, *τοῦ δὲ χοροῦ τὸ πρόσωπον ἐκλέλοιπεν. ἐπιγραφὴ δὲ φέρεται χοροῦ.* Adde Scholiastam ad v. 813 *ἐπὶ τῷ τέλει κορωνὶς καὶ ἔξης τὸ χοροῦ· ὤφειλε γὰρ κἀνταῦθα θεῖναι χοροῦ, ἄχρις ἂν οἱ λόγοι ἐξέλθωσι.' Dobreus* „Post 885 *Χοροῦ* habet 2 et sch. *τοῦ δὲ χοροῦ τὸ πρόσωπον ἐκλέλοιπεν* etc.“ *Χοροῦ* hic habet Juntina II aliaeque editiones vetustae. Similiter scriptum est in libro Ravennate: *ΧΟΡΟΣ. ΔΙΚΑΙΟΣ ΛΟΓΟΣ.* Recte vero Ravennas *Χορός*, male recentiores Codd. et pars scholiastarum *Χοροῦ*. Nempe Genitivus librariorum culpa huc ex Pluto tanquam in alienam sedem invasit. De usu istius genitivi *Χοροῦ* ad Plutum fabulam copiose dicetur: interim de hac re sic habeas. In media et partim in nova comoedia posteaquam Chorus choregorum primum languore, mox etiam penuria ad paucas easque minus idoneas relapsus personas exiguam utilitatem habere coepisset, cogebantur Comici breve aliquod carmen et quasi cantilenam crebro interponere, quae a Choro ad tibiam caneretur. Hoc modo, actu vel scena vel aulaeo nondum inventis, partim histrionibus consulebatur, qui interim habitum mutare, aliam sumere personam seque reficere possent, partim etiam ordo rerum melius servabatur, quoniam poëtae est tempora omnemque fabulae oeconomiam tueri. Sed haec sive cantica quaedam dicenda sunt, sive potius cantilenae, non ut a poëtis Chori causa confectae erant, sic etiam cum reliqua fabula simul edi solebant, partim ob nimiam rerum tenuitatem (jam tum enim Chorum splendor omnis deficiebat) partim ob alienas sententias: neque enim cantica ista cum argumento fabulae ipsius ullo modo cohaerebant. Imo Comici in edenda fabula illis in locis ubique non scripserunt nisi *Χοροῦ*, sive id signi-

ficat „Nonnulla Chori sunt“ „für den Chor“ sive breviter dictum est pro *Κομμάτιον Χορο῀ῦ*, ut est in Codicibus, etiam Ravennate, Plut. pone v. 770 25). Ac sane nihil est, quod cum canticis istis rectius comparari possit, quam *κομμάτιον*, prima pars antiquae parabasis: etsi de eo, perveneritne ad nos aliquod canticum hujusmodi, id quod nonnullis incredibile videbitur, nunc non disputo. Primo omnium illud *Χορο῀ῦ* apparet in Ecclesiazusis, quae Ol. XCVI, 4 Demostrato archonte sive quatuor annis ante Plutum II datae et parabasi carent et paene omnibus canticis Chori, sed ea non, ut *Brunckius* ait (ad v. 758) *temporis injuria et priscorum Grammaticorum socordia* perierunt, sed nunquam scripta sunt ab Aristophane. Id luculentissime patet e v. 729, post quem Ravennas *Χορο῀ῦ* habet versu vacuo (inepte *Brunckius Χορός. λείπει ἡ τοῦ χορο῀ῦ ᾠδή*). Nempe Ecclesiazusae, comoedia de antiquis minus justa, quam proxime accedunt ad mediae comoediae et tempora et indolem. His successit Ol. XCVII, 4 archonte Antipatro 26) Plutus, fabula jam plane media,

25) Alio tempore ad Plut. 770 haec scripsi „*Κομμάτιον χορο῀ῦ* etiam Bekkeri Codices. Sic dici solebat in antiqua comoedia prima pars Parabasis. V. Hephaestion. p. 131 Polluc. IV, 111 Schol. ad Eqq. 496. ubi *κομμάτιον χορο῀ῦ*, ad Pac. 713. ubi *κομμάτιον τοῦ χορο῀ῦ*, ad Vesp. 1009. F. ad tibiam canebatur, Schol. ad Avv. 652. Hoc igitur *κομμάτιον χορο῀ῦ*, quod cum *χορο῀ῦ* simplici minime confundendum est, vere scriptum puto ab Aristophane in Pluto II, ut antiquae parabasis damnum quodammodo compensaretur, et sola librariorum negligentia deletum. Lacunae signa h. l. posuerunt etiam *Brunckius* et *Porsonus*. Olim quidem putaram, mirum illum genitivum *χορο῀ῦ* ex h. l. per *Κομμάτιον Χορο῀ῦ* explicandum esse, sed nunc aliter sentio, *Χορο῀ῦ* et *Κομμάτιον Χορο῀ῦ* accurate distinguenda esse ratus.“

26) In Argumentis Pluti haec leguntur: *Ἐδιδάχθη ἐπὶ ἄρχοντος Ἀντιπάτρου, ἀνταγωνιζομένου αὐτῷ Νικοχάρους μὲν Λάκωσιν, Ἀριστομένους δὲ Ἀδμήτῳ, Νικοφῶντος δὲ Ἰδώνιδι, Ἀλκαίου δὲ Παυσιφάῃ*. Miror haec credidisse viros doctos, in his ipsum *A. Meinekium*. Equidem potius censeo, alteros binos ex his quatuor Comicis

in qua illud *Χορῶ* Codicum et scholiastarum auctoritate saepenumero interponendum est. Quin etiam in nova Comoedia istud *Χορῶ* haud raro insertum esse, e grammatico Aristophanis atque aliunde cognitum habemus. Sequitur ex his, Genitivum *Χορῶ*, qui saepissime in media novaque comoedia adjici debebat, longe a Nubibus II, fabula prorsus antiqua abhorrere: nisi forte grammatici istius *Χορῶ* auctores ostensuri erant se Chorum, qui hic desideratur, nunquam scriptum ab Aristophane arbitrari. Tum enim adsentior.

Satis demonstravi, Genitivum *Χορῶ* multis librariis probatum hoc in loco ferri non posse, sed potius cum libro Ravennate *Χορὸς* interjici debere. Nunc quaeram, quoniam permulta sunt genera Chori, quo potissimum genere Aristophanes, si Nubes II plane perfecisset, hic usurus fuisse videatur. Atque ego quidem minime dubito, quin stropham hic inserere voluerit eam, ad quam responderet Chorus ille v. 1117 *χωρεῖτέ νυν* — 1133 *ἢ κοῖναι κακῶς*. Abduc enim mentem paullisper e longissimo illo oratoris utriusque sermone (C), oculis subjectam videbis praeclaram quandam formarum concinnitatem et quasi partium proportionem hanc: V. 865 — 887 colloquuntur Strepsiades, Socrates, Phidippides (a). Jam Chorus sequuturus erat (bb). Interponuntur Oratores (C) v. 888 — 1108. Rursus sermocinantur Strepsiades, Socrates, Phidippides (a) v. 1117—1133. Quamobrem forma harum partium haec est,

a bb C a bb

Itaque uti nunc comparata est Antistropha, post v. 887 addendus erat et Euripideus versus quatuordecim syllabarum, in quo adventus Oratorum nunciaretur, et Epirrhema Chori, ad quod referretur Antepirrhema v. 1118 sqq.

---

cum Pluto I certasse (Ol. XCII, 4 Diocle archonte), alteros vero binos cum Pluto II (Ol. XCVII, 4 archonte Antipatro). Neque alteros ab alteris discernere magni laboris est.

At vero ipsum quoque Antepirrhema, quod vulgo Epirrhema inscribitur, diligentius pervestigare operae pretium est. Optime enim, nisi fallor, suspicatus est magnus vir, qui tamen praeterea in Nubibus quidem nihil vidit omnino, *F. A. Wolfius*, hosce versus 1118 — 1133 de priore fabula relictos esse. His magna quaedam similitudo intercedit cum alio antepirrhemate Avv. 1101 — 1117. Utrobique enim Chorus poëtae nomine ad judices certaminis sese convertit, eis hilari oratione omnia summa pollicetur, si secundum poëtam suum decernere voluerint, sin vero minus, ingentia iis mala non sine multis jocis et ridiculis minitatur. Tam lepidum jocum, effusae signum laetitiae, in primis Nubibus movere poëta facillime potuit, quippe qui magnam etiamtum in victoria spem reponeret: at vix ac ne vix quidem eum credas in secundis ita judicibus arrisisse, ideo quod acerbissima ignominiosae repulsae cogitatio omnem ita jocandi facultatem praeciderat, aut certe quidem voluntatem cum iniquissimis censoribus ludendi penitus abstulerat. Contende hoc laetissimum antepirrhema cum minore parabasi, queribunda illa et plena irarum: tum denique, quantum intersit inter utriusque orationis colorem, quamque contrarius fuerit haec duo scribentis sensus, et tanquam animi habitus, nullo negotio intelliges. Veruntamen si antepirrhema e priore fabula fluxit, poëta aut hoc idem in posteriore retenturus erat, aut quoddam carmen Chori substituere malebat. Utrum horum facturus fuerit Aristophanes, nescimus: necdum enim stropham scribere coeperat, qua absoluta demum ei ad antistropham conformandam licuit transire. Atque hic forsitan miretur quispiam, quomodo tandem et pars major parabasis, et hoc ultimum antepirrhema in nostras Nubes e primis illis irrepere potuerint, si tamen duae Nubes, ut supra ostensum est, totidem fabularum, non editionum fabulae unius vim habuerunt. Huic dubitationi, gravi ad speciem, ad rem vero inani, varie occurri potest. Maxime placet, Aristophanem ipsum, quum vel Socratis causa Nubes II perficere nollet,

vel quod nauseola alacrioris ingenii viro justo citius obrepsisset, quas dixi partes e Nubibus I assumsisse, ut posterior fabula sine maxima offensione legi posset et aliquo tamen modo absoluta esse videretur. Sed potuerunt etiam illae partes, saltem parabasis jam ante Alexandrinorum tempora a docto aliquo lectore, cui Nubium I copia data esset, transcribi, itaque, antiquo errore posteritati propagato, in nostra usque exemplaria, permanare. Illud quidem fieri non potest, ut Aristophanes Nubibus II exemplum aliquod Nubium I inter scribendum subjecerit, propterea quod tum versus ad unum omnes delere coactus esset. Denique, si quis rustice urgebit, respondebo, me hanc rem ignorare, neque eam, qualis sit, satis explicare posse: licet enim, dummodo summa rei constet, unum nescio quid, quod non omnino quadrare videatur, etiam paullo minus curare 27).

Audacter *Hermanni* verbis nonnihil ex mea penu inserui: neque enim magnae cujusdam sagacitatis est, dicere quid *Hermannum* sapiat, quidve redoleat *Fritzschium*. Restat, ut paucula quaedam verbo attingam, in quibus mihi non omnino cum *Hermanno* convenit. Nimium paene honorem Vir Summus videtur habuisse scholiastae verbis ad v. 537 *τὰς δὲ δᾷδας καὶ τὸ ἰοὺ ἰοὺ ἐν Νεφέλαις τὸ πρῶτον*, quae ita interpretatur, ut ad Nubes II pertineant, ingeniose, sed minus probabiliter, quamvis alius ad v. 539 dixerit *ἐν δὲ ταῖς πρώταις Νεφέλαις τοῦτο οὐ πεποίηκε*. Hominem istum in explicando turpiter lapsum esse declaravit *Hermannus*. Quid igitur mirum, si errorem novo errore cumulaverit. Atque consentiet cum altero,

---

27) Propemodum ad verba conspirat pars parabasis Vesparum v. 1030 sqq. et Pacis v. 736 sqq. Hos quidem versus in Pace repetivisse videtur maxime propter Adulatores Eupolidis, quae fabula eodem tempore in certamen commissa est. Vide inprimis v. 740 *ἑκατὸν δὲ κύκλῳ κεφαλὰς Κολάκων οἰμωξομένων ἐλιχμῶντο*. Omninoque in tota parabasi Eupolin oblique perstringit, a quo sibi tum non injuria timebat. Vicit enim Eupolis Aristophanem.

si ipse putarit, nostras Nubes esse primas illas. Ita complures scholiastae constanti errore tradunt, priorem Plutum aetatem tulisse: quos locos non sine magna voluptate legas. Aut potuit ille etiam tantum animadvertere, non convenire has res Nubibus II, quod alter certe non sensit, ac tum ob majorem consilii inopiam Nubes I furtim sufficere. Tum scilicet bonus scholiasta versum sic interpretatus est: „non Nubes posteriores, *ut priores*, irruunt cum facibus aut Eheu! exclamant.“ Deinde nisi me fallit, etiam de eo dubitare licet, quod ita statuit p. XXVII Vir Summus, exemplar Nubium II post mortem demum Aristophanis repertum esse et editum et ad nostra usque tempora proditum. Etenim Nubes II legerant vel certe de iis inaudiverant jam Xenophon et Plato, quorum ille in Convivio VI, 8 Syracusanum haec dicentem facit: *Ταῦτα μὲν ἔφη, ἔα· ἀλλ' εἰπέ μοι, πόσους ψύλλα πόδας ἐμοῦ* (ὁμοῦ codex Parisinus) *ἀπέχει. Ταῦτα γάρ σε φασὶ γεωμετρεῖν.* Scribendum videtur partim cum *Jacobsio*, *ἀλλ' εἰπέ μοι, πόσους ψύλλης πόδας ὁ παῖς* (vide ibid. II, 1.) *ἐμοῦ ἀπέχει.* Apparet, hic Syracusanum quasi digitum intendere ad Nubes II v. 145 sqq., quo loco si liberius utitur Xenophon, id non valde admirandum est de Comoedia nunquam publice data. Magis ex Aristophane Plato pendet in Conviv. p. 221 B. *ἔπειτα ἔμοιγε ἐδόκει, ὦ Ἀριστόφανες, τὸ σὸν δὴ τοῦτο, καὶ ἐκεῖ διαπορεύεσθαι ὥσπερ καὶ ἐνθάδε, βρενθυόμενος καὶ τῷ φθαλμῷ παραβάλλων —:* dicit autem Nub. II versum 361. Quanquam igitur tempora Convivii utriusque nondum satis accurate definita sunt, tamen plausibilis videtur *Boeckhii* conjectura, qui quum illo loco Xen. Conv. 8, 32 nihil profici intellexisset, antiqua sententia relicta, Xenophontem ante Platonem Convivium scripsisse suum suspicatus est. Platonis quidem Convivium *Hermanni* sententiae per se admodum probabili minime obstat. Nam, ut *Boeckhii* verbis utar, *Platonicum Symposium certe post* Ol. 98, 3 *scriptum est, vid. Wolf. Praef. Symp.* p. LV., *quo anno Mantinea est eversa. — quanquam etiam ad* Ol. 102

potest detrudi. Scilicet aut illo ipso anno Ol. 98, 3. Mystichide archonte aut summum uno alterove anno post mortuus est Aristophanes. Contra Xenophontis Symposium idem *Boeckhius* sumsit circiter extrema Olympiade xcvi compositum esse, quo fere tempore Aristophanes vivus vidensque Ecclesiazusas docuit. Ingeniosa *Boeckhii* conjectura, qui vix aliud quidquam afferet, nisi Xenophontem aetate Platoni longe antecessisse, *Hermanni* illius sententiam paullum fortasse labefactabit, funditus vero concutere certe non poterit. Tamen si forte *Boeckhius* rem acu tetigit, non plus negotii nobis contractum est. Tum enim Aristophanes edidit fragmentum, quo nomine Nubes II verissime appellaveris, quemadmodum fragmenta librorum hodieque scriptores edunt permulti, sive sciens prudensque, quod gratia cum Socrate restituta non semper permansisset aut quod cavere voluisset, ne tam eximia fabula penitus interiret, sive etiam hoc Comoediae fragmentum invito Aristophane excidit atque aliorum culpa, quorum fidei male creditum esset, in vulgus dimanavit.

Illud inprimis studui in hoc omni tam longo sermone, ut et Socratis et multo magis Aristophanis mei nomina a multis infamata, si ullo modo consequi potuissem, a falsis criminibus defenderem doceremque alterum horum virorum, in suo genere prope singularium, a vitiorum turpitudine, a calumniandi autem suspicione alterum longissime remotum esse. Quamobrem nunc, quomodo Aristophanes erga Socratem longo tempore affectus esse videatur, cur ei primo leniter succensuerit, quam vehementer mox iratus sit, quando denique cum eodem in gratiam redierit, explanabo brevi: ut, unde exorsa est, in eo ipso nostra desinat oratio. Tanta est inter Comicos atque Philosophos studiorum voluntatumque dissensio, ut natura ipsa animos eorum disjunxisse videatur. Hi composito vultu incedunt, illi saepe tollunt cachinnum; hi laborant, quomodo novam civitatem invenire possint cogitatione assidua, illi in medio populo alios fodicant libentius, quam ipsi jactantur; hi efficiunt, ut pauci

auditores frontem contrahant, illi millenos oblectant spectatores; hi cavent, ne notiones, fallente maxima similitudine confundantur, illi loca penitus diversa communi quodam vinculo constringunt; hi mentem acuunt aluntque subtili cogitatione defixi, illi quo eos ingenium ducat, libere sequuntur. Licet multa hoc modo: sed res apparet. Quocirca et in vetere Comoedia philosophi nonnulli certatim derisi sunt, et in media longe plurimi, velut ipse Plato. Omnium minime vero Socrates Comoediae ludibria effugere potuit: cujus philosophi speciem, habitum et mores quicunque animo informarit, totumque tam singularem virum secum ipse recognoverit, fatebitur profecto, vix ullum hominem, qui unquam vixerit, magis patuisse telis Comicorum Socrate. Quae omnia persequi sigillatim, etsi ludus est: in noto enim loco versamur atque illustri: tamen, quominus ad id aggrediar, Socratis veneratione deterreor: tametsi semper ab eorum temeritate longe abhorrui, qui Socratem, omnibus vitiis detractis, Jesum Christum alterum reddere conati sunt.

Aristophanes autem, quum ob peculiares quasdam causas nec eas omnino injustas a Socrate esset alienior, tamen in prioribus quidem Nubibus, praefiscine dixerim, Rempublicam capessivit, id egit solum, ut impuros aliquot adolescentes, quorum ei improba impietas et detestabile accusandi studium probe cognitum esset, in universi populi invidiam adduceret, Socratem vero, sine quo id quod voluisset, ne poterat quidem assequi, ita in scenam prodire jussit, ut tamen malum animum nemo suspicari posset de eo, qui Socratis dignitati pepercisset quodammodo, certe quidem haud multum ei nocuisset. Adhuc tam bene agitur cum Aristophane, ut nesciam, an meliore etiam loco sit, quam Socrates: ille enim philosophum laesit necessitate ipsa coactus, nec laesit potius, quam perstrinxit, neque tamen, si paullo acrius laesisset, importunitatem istam Comico in tam honesta causa ardore animi justo longius provecto non facile condonaremus: contra Socrates diu multumque haerebit, dum se nobis

purget planeque doceat verbis usitatis, cur non juvenes istos multo ante a se prorsus segregaverit, praesertim si severi judicis persona adsumta neque interrogari nos identidem patiemur (quod ne in capitis quidem judicio innocentissimo homini satis ex sententia processit), neque apud nos Genii nescio cujus incusatio, commoda sane, plurimum valebit. Quattuor aut quinque annis post alteras Nubes scripsit Aristophanes. Hic vero poëtam nimia quadam iracundia abreptum tantopere a semet ipso descivisse fateor, ut Aristophanes in Meletum, Socratis accusatorem, Socrates autem in Cleonem, turbulentissimum hominem, Equitibus fabula concisum, mutatus esse videatur. Quae fuerint causae tanti odii, parum constat: multa enim finxeris impune: fuisse vero tum Aristophani magnas cum Socrate inimicitias, jamdiu mihi liquet. In quo genere peccasse Aristophanem, non nego: hoc dico, eum non modo peccatum suum ingenue confessum esse, verum etiam honeste mox emendasse. Neque enim Comicus aut docuit hasce Nubes, aut omnino perfecit. Hic, ut omnes conjecturae angulos studiose perquiras, tamen semper eodem revolveris atque videbis, Comicum repente ab incepto destitisse aut ideo, quod cum Socrate reconciliatus esset, aut saltem, quod longe aliter de eo sentiret. Ac rediisse Aristophanem cum Socrate in gratiam, etiam ex eo recte concludas, quod neque in tot fragmentis, quae habemus, eum nominavit, nedum ludos fecit, neque omnino, si a Nubibus utrisque discesseris, in cunctis reliquis fabulis, nisi bis terve, leviter eum tetigit. Namque immunditiam ei objecit in Avibus, tum v. 1282

ἐκόμων, ἐπείνων, ἐῤῥύπων, ἐσωκράτων.

tum etiam v. 1554 πρὸς δὲ τοῖς Σκιάποσιν
λίμνη τις ἔστ', ἄλουτος οὖ
ψυχαγωγεῖ Σωκράτης.

ubi sequitur v. 1564 Χαιρεφῶν ἡ νυκτερίς.

Denique in Ranis v. 1487 sqq. Socrates vituperatur ob Euripidis familiaritatem, quocum et de tragoediae vi et

de philosophia, maximeque dialecticis otiose confabulari et garrire solitus sit: sic enim ille locus intelligendus est.

Χάριεν οὖν, inquit *μὴ Σωκράτει*
παρακαθήμενον λαλεῖν,
τά τε μέγιστα παραλιπόντα
τῆς τραγῳδικῆς τέχνης.
τὸ δ' ἐπὶ σεμνοῖσιν λόγοισι
καὶ σκαριφισμοῖσι λήρων
διατριβὴν ἀργὸν ποιεῖσθαι,
παραφρονοῦντος ἀνδρός.

Permire *Reisigius* in Praefat. Nub. p. XIV sq. quinque priores versus ad Aeschylum retulit toto loco haud sane intellecto. Imo Aeschylum ob reditum ad superos felicem praedicavit Chorus in stropha; in antistropha vero tota Socratis amicum irridet Euripidem, qui reditum a Baccho non impetraverit. *Gratum sane est, non posse Euripidem Socrati adsidentem nugari*, et reliqua. Atque haec quidem quinque annis ante mortem Socratis scripta sunt: nihil enim vanius est Panaetii opinione alium Socratem in philosophi locum substituentis. Aliud etiam argumentum reconciliatae Aristophanem inter et Socratem gratiae ponam. Non modo Socrates ipse Nubibus I vix offensus est, quum ludis de industria interesset, sed etiam Xenophon, qui Socratem unice amabat ac paene in parentis loco habebat, passim ad Nubes ita adludit, ut ne minima quidem ira adversus Aristophanem subesse videatur. At contra idem quantopere Meletum odit Anytumque, quam assiduo in Memorabilibus de obtrectatoribus Socratis sui queritur. Denique quid de Platone dicam, cui etiamsi ademeris illud epigramma *Αἱ Χάριτες* — et praeterea si famae de missis legendi causa a Platone ad Dionysium tyrannum fabulis Aristophaneis credendum esse negaveris, remanebit tamen Symposium, quasi sempiternum quoddam et benevolentiae Platonis monumentum et gratiae inter Socratem atque Aristophanem restitutae. —

Hic possem finem facere scribendi, nisi paullo loquacior essem natura. Juvat enim quasi Appendicis loco primum de Baptis Eupolidis, deinde de Amipsiae Conno, tum de Pytine Cratini, denique de Aristophanis Pace altera sive Georgis *) nescio quid nugarum adjicere. In illa igitur Eupolidis fabula, quam Socratis potissimum causa attingam, nomen ipsum *Βάπται* difficillimos habet explicatus. Quam rem placet paullo altius repetere atque initium disputandi facere ab illo Ciceronis loco, qui attinet ad Baptas, Ep. ad Attic. VI, 1, 18: et nos publicam prope opinionem sequuti sumus, ut multa apud Graecos. Quis enim non dixit, Eupolin, *τὸν τῆς ἀρχαίας*, ab Alcibiade navigante in Siciliam dejectum esse in mare? Redarguit Eratosthenes: affert enim, quas ille post id tempus fabulas docuerit. Num idcirco Duris Samius, homo in historia diligens, quod cum multis erravit, irridetur? Omnino recte judicavit Eratosthenes, Baptas non ultimum fuisse dramatum Eupolideorum. Nam quum rumor ille de Eupolide propter Baptas tunc in mare dejecto ne oriri quidem potuerit, nisi haec fabula Siculam expeditionem brevi intervallo praecessisset, efficitur, Baptarum tempus incidere in Olympiadem XCI, 1 ludis Liberalibus urbanis, ut optime *Meinekius*. Atqui Auto-

*) Quae de Pace altera Aristophanis sive Georgis ad finem hujus libri commentatus eram, ea illo quidem loco rursus delenda esse putavi. Tametsi enim haec fabula non solum illustri exemplo est, Aristophanem in comoedia penitus diversa, quum argumentum prioris dramatis continuaretur, vetus nomen retinuisse, sed etiam multum valet ad retundendam istorum audaciam, qui Grammaticorum fragmenta afferentium auctoritati temere diffidunt: tamen Georgi illi neque cum Nubibus alterutris, neque cum Socrate Comicorum ullo modo cohaerent. Sed quum promissis standum sit, nos fidem ad Daetalenses p. 131 not. 71 datam quam primum alibi liberabimus, ostendemusque, aliquid temporis huic quaestioni a nobis impertitum esse. *Hermannus* quidem, quum ei ante hos tres annos, quid sentirem de Pace altera, breviter exposuissem, quidquam hac mea sententia probabilius inveniri posse negabat.

lycus posterior ante Ol. XCII, 1 dari non potuit, quemadmodum idem *Menekius* I p. 36, Demos autem hoc ipso anno Ol. XCII, 1 actos esse nuper ostendit *Raspius*. Verum enim vero hoc argumento minime totam hanc famam exstinxit Eratosthenes, grammaticus et doctus inprimis et peringeniosus, veruntamen saepe justo audacior, sed id tantum demonstravit, ab Alcibiade in Siciliam quidem navigante vindictae illius suspicionem abhorrere. At quanto probabilius est, unum Eratosthenem lapsum esse, quam vel Durin cum multis errasse, vel commune paene omnium erratum ab Eratosthene uno emendatum esse. Equidem multum huic famae tribuere soleo etiam hanc ob causam, quod caeteri ejus auctores praeter Ciceronem et Scholiastam Aristidis expeditionis Siculae nullam plane mentionem fecerunt 28): neque enim Themistii verba *καὶ ταῦτα στρατηγὸς ὢν αἱρετὸς* hoc modo

28) Platonius *περὶ διαφορᾶς κωμῳδιῶν* IX, 13 Bekk. *ἴσμεν γοῦν τὸν Εὔπολιν ἐπὶ τῷ διδάξαι τοὺς Βάπτας ἀποπνιγέντα εἰς τὴν θάλασσαν ὑπ' ἐκείνων, εἰς οὓς καθῆκε τοὺς Βάπτας. καὶ διὰ τοῦτο ὀκνηρότερος πρὸς τὰ σκώμματα ἐγένοντο.* Themistius Oratt. VIII, p. 110, B. *Ἀλκιβιάδης δὲ ὁ Κλεινίου καὶ ταῦτα στρατηγὸς ὢν αἱρετὸς οὐχ οὕτως ἀπεμνημόνευσεν Εὐπόλιδι τῷ κωμῳδοδιδασκάλῳ τοὺς Βάπτας.* Schol. Juvenal. II, 92 Baptae titulus libri, quo impudici describuntur ab Eupolide, qui inducit viros Athenienses ad imitationem feminarum saltantes lassare psaltriam. Baptae ergo molles quo titulo Eupolis comoediam scripsit, ob quam ab Alcibiade, quem inprimis perstrinxerat, necatus est. (In postremo loco Georgius Valla: ob quam Alcibiades — necuit ipsum in mare praecipitando, dicens, ut tu me in theatris madefecisti, nunc ego te in mari madefaciam.) Scholiasta Aristidis in Jacobsii Anthol. Palat. T. VII p. 667 (III p. 444 Dindf.) *Ἄλλοι δὲ λέγουσιν, ὅτι ἐκωμῴδουν ὀνομαστὶ τοὺς ἄνδρας μέχρις Εὐπόλιδος· Περιεῖλε δὲ τοῦτο Ἀλκιβιάδης ὁ στρατηγὸς καὶ ῥήτωρ.* (Adhuc falsa scripsit. Recte Platonius supra) *κωμῳδηθεὶς γὰρ παρὰ Εὐπόλιδος, ἐρρίψεν αὐτὸν ἐν τῇ θαλάττῃ ἐν Σικελίᾳ συστρατευόμενον, εἰπών·*

Βάπτες μ' ἐν θυμέλῃσιν, ἐγὼ δέ σε κύμασι πόντου
Βαπτίζων ὀλέσω νάμασι πικροτέροις.

videntur explicanda esse. Postremo si cum hac tam constante fama aliam quandam, persimilem illam, conjunxeris, quae apud Suidam exstat: *Εὔπολις: — καὶ ἀπέθανε ναναγήσας κατὰ τὸν Ἑλλήσποντον ἐν τῷ πρὸς Λακεδαιμονίους πολέμῳ· καὶ ἐκ τούτου ἐκωλύθη στρατεύεσθαι ποιητήν.*, quidnam veri subsit utrique memoriae, continuo intelliges. Etenim haec Suidae narratio primum tam docto scriptori debetur, ut aliquantum auctoritatis jure habeat, tam apte porro temporibus congruit, ut ejus ope controversia omnis componatur, praeterea tam probabilis est per sese, ut fingi haud temere potuerit, denique tam leniter et tam concinne alteram illam famam corrigit, ut utraque consociata veritatem ipsam manu plane teneamus. Periit igitur Eupolis naufragio in bello contra Lacedaemonios, nec defuerunt primis statim post ejus mortem temporibus, qui poëtam ab Alcibiade, homine et iracundo et perfido, in mare dejectum esse loquerentur. Periit autem circiter Ol. XCII, 4., Diocle archonte quo tempore Alcibiades, dux cum Thrasybulo Adimantoque creatus ad Cymen minus prospere pugnavit: quo facto Athenienses Ol. XCIII, 1 archonte Euctemone Alcibiadi absenti imperium abrogarunt, teste Diodoro Sic. XIII, 74. Eupolidis vero morte Athenienses tantopere doluerunt, ut plebiscito poëtis ex illo tempore vacationem militiae darent. Scilicet nemo quisquam docebit, Eupolin post XCII, 4 ullam docuisse Comoediam 29). Quapropter satis mirari non queo,

---

29) Amicus nuper ad me praeter alia etiam haec perscripsit: „Eupolin autem, quem dubitant, utrum mortuus sit Olymp. 92, 2., an 93, 4., ego contendo mortuum esse Ol. 93, 4 propter fragm. apud Schol. Euripid. Medeae 508, quae non potuerunt scribi ante Calliae annum (Olymp. 93, 3)." Utinam ingeniosus juvenis istud aenigma Scholii primum omnium solvisset. Certe Eupolis nullo modo spectavit ad notam illam rei scenicae mutationem, de qua disserit Schol. ad Ran. 404 — *ἤδη λιτῶς ἐχορηγεῖτο τοῖς ποιηταῖς. ἐπὶ γοῦν τοῦ Καλλίου τοῦτον φησὶν Ἀριστοτέλης, ὅτι σύνδυο ἔδοξε χορηγεῖν, τὰ Διονύσια*

quod *Meinekius* I p. 37. quum et Suidae in tempore meminisset, et aliquid saltem veri, admixtis falsis, vidisset, atque utramque famam quodammodo copulare coepisset, subito totam rem quasi nimis obscuram rursus abjecit. At quibus tandem argumentis? Aelianus, inquit, H. A. X, 41 et ex eo Tzetzes Chil. IV, 131 v. 245 Eupolin in Aegina insula mortuum sepultumque tradunt, Pausanias autem L. II, 7, 3 monumentum ejus in agro Sicyonio se vidisse testatur. Primo, si paene certum est, Eupolidis corpus, non hoc dico, in litus ejectum esse, sed summa cura investigatum sepeliendi causa atque ex mari sublatum: scire pervelim, quidni et Pausanias, optimus auctor, sepulcrum ipsius videre potuerit, et Aelianus, homo caeterum valde mendax, quoddam cenotaphium ejusdem, aut contra: id quod placuit nuper ad Aelianum etiam *Jacobsio*, Viro Summo. Sed magnopere vereor, ne historiam fabulamque hic ambiguo discrimine commisceat Aelianus, ut facit haud raro: cujus ultima verba si severior aliquis ex vero metiri voluerit, elucebit, non Eupolin quidem ipsum, sed Augeam, fidum ejus canem, in Aegina insula mortuum sepultumque esse, locum denique ipsum, in quo Augeas ille post lugubres ululatus animam profuderat, ex re nomen accepisse *Κυνὸς θρῆνος*. Sed ex illa fama de Eupolide Alcibiadis fraude in mare dejecto collegerunt egregii viri, *Lobeckius*, *Buttmannus*, *Meinekius*, obscurum nomen dramatis Eupolidei *Βάπται* ad lotiones sacras spectare, quibus Alcibiades aliique Cotyttus sacricolae initiati fuerint atque lustrati. De primo hujus sententiae auctore dubitari non potest: apparet enim, non solum *Lobeckium*, quem vide in Aglaoph. p. 1007—1039 de Cotyttiis et Baptis doctissime disputantem, sed etiam *Buttmannum* id multo prius posuisse, quam *Meinekium*. Illud quidem nollem dixisset *Meinekius*, supplicium ejusmodi de Eupolide sumtum

---

τοῖς τραγῳδοῖς καὶ κωμῳδοῖς· ὥστε ἦν τις καὶ παρὰ τὸν ληναϊκὸν συστολή· χρόνῳ δὲ οὐ πολλῷ ὕστερον καθάπαξ (sic legendum) *τὰς χορηγίας περιεῖλε Κινησίας.*

excogitari nullo modo potuisse, nisi peractae in fabula caerimoniae talis commenti facultatem dedissent. Neque enim invenio, cur non Alcibiades, etiamsi eum Eupolis igni aggressus esset, idcirco tamen credi vulgo potuerit aqua maxime marina hanc injuriam ultus esse. Deinde fictumne hoc sit Alcibiadis crimen, an potius verissimum, in primis magna quaestio est: dubitasse jam olim Athenienses puto: nos hanc rem certe in medio relinquemus. Enimvero rem conficere tresviri illi quasi ex composito dictitant argutum istud epigramma Alcibiadi adscriptum, in quo marini fluctus, quibus Eupolin a se submersum iri minetur Alcibiades, illis fluctibus opponantur, quos in fabula Eupolidea ipse exceperit: in quo eximios viros sententiam epigrammatis assequutos esse nego. Neque enim hoc dicit poëta: tu me *lavisti*, et ego te vicissim *lavabo*, sed principio hae voces *Βάπτες μ' ἐν θυμέλῃσιν* haud dubie significant, *Baptas* 30) contra me in theatro docuisti, tum vero in illis verbis *Βάπτες* et *Βαπτίζων* non sine magna vi ad se referendis conjungendisque nihil aliud, quam ludicra et soni et vocum ejusdem originis similitudo quaesita est. Tu me, inquit, *ἔβαπτες* Baptas dando, ego te acerbius *βαπτίσω*, in mare praecipitando.

---

30) Hunc usum ipse restitui certa emendatione in Nub. v. 553 *Εἶθ' Ἕρμιππος αὖθις ἐπώλησεν εἰς Τπέρβολον.*, ubi Hermippi *Ἀροτοπώλιδες* significantur. Ceterum etiam multa alia haud inepte conferri possunt, veluti Luc. Jup. Trag. c. 25 *θυννῶδες — ἀποτεθύννισται.*, Photius p. 588, 12 *Τίζειν: τὶ λέγειν. οὕτως Ἀριστοφάνης*, Ran. 1376 *κοκκύσω (κόκκυ)*. Thesmoph. 231 *μῦ μῦ. τί μύζεις;* ubi v. intpp. *στρουθίζειν* Ar. Fr. p. 243. Thesmoph. 617 *τί καρδαμίζεις;* Vesp. 652 *μὴ πατέριζε.* ib. 609 *παππάζουσ'*. Aesch. S. ap. Theb. 1044 *τραχὺς — τράχυν'*. Plaut. sive alius Amphitr. II, 2, 192. Qui testes? testes.. Quid *testiculare?* Addi possunt Ar. Pac. v. 1072, Eqq. 682, Thesmoph. 922, Photius 8, 15, Hesychius s. *ὤζειν*, Bekk. Anecd. 341, 24 et 353, 26, praeterea *εἰάζειν* ex Euripide, et pervulgata quaedam, ut *ἰύζειν* ab *ἰύ*, *οἰμώζειν* ab *οἴμοι*, mutire i. e. mu facere.

Itaque quum hujus epigrammatis argutiae causam istam nihil prorsus adjuvent, alia autem argumenta, ex quibus sequatur, nomen *Βάπται* eos homines designare, qui ut sacerdotes caerimoniis lustrent et lavent aqua, quasi quidam balneatores, adhuc protulerit nemo: si quis omnem illam sententiam ex vano haustam sibi videri dixerit, is ad suum judicium velim adscribat meum. Neque enim hoc dicere poterunt Viri Doctissimi, rem ipsam flagitare, ut Baptis, Cotyttus sacerdotibus, nomen a lavando datum sit: tum quod ita passiva magis notio *Βαπτοί, lustrati*, quam activa *Βάπται, lustrantes* requiri videtur, tum quod alia quoque haud pauca sacerdotum ejusmodi officia cogitari possunt, e quorum eorum aliquo nomen comicum praesertim, non minus commode repetatur. Equidem hac de re certius quiddam me spero allaturum. Videamus hos locos Grammaticorum, Etymologi 486, 48. *τὰ πορφυρᾶ γὰρ κάλλη ἐκαλοῦντο. Εὔπολις· Βάπτειν τὰ κάλλη περίσεμνα τῇ θεῷ.* (Codex Regius ap. Piers. ad Moer. p. 210 *Βάπτειν τὰ κάλλη τὰ περίσεμνα τῇ θεῷ*, probantibus *Porsono* Adv. p. 287 et *Meinekio* Cur. Crit. p. 17) — *καὶ Αἰσχύλος* (Ag. 923) *Ἐν ποικίλοις γὰρ* (vulgo *δὲ*) *θνητὸν ὄντα κάλλεσιν.*, Pollucis VII, 63 *Κράτης δ' ἐν Σαμίοις ἱμάτια περιπόρφυρα ταύτας εἶπε τὰς πορφυροβαφεῖς ἐσθῆτας. καὶ κάλλη φίλον τοῖς κωμῳδοῖς καλεῖν, ὡς Εὔπολίς που λέγει· τὰ κάλλη τὰ περίσεμνα τῇ θεῷ.* Denique verba *βάπτε* (sic) *τὰ κ.* in Etymol. Gudian. p. 294, 28 allata sunt. Proxime a vero abest *βάπτε* scribendumque

Βάπτετε τὰ κάλλη τὰ περίσεμνα τῇ θεῷ.,

quemadmodum Aristophanes apud Athen. XV, 701, 6 dixit in Thesmoph. alteris,

Ἐκφέρετε πεύκας κατ' Ἀγάθωνα φωσφόρους.

Qui accuratius de *κάλλεσι* disputare instituerit, ei Theodori locus apud Photium 68, 19 sq. non negligendus erit. Ipsum Eupolidis drama grammatici vel nesciverunt, vel non curarunt adscribere: sed quotusquisque dubitabit, quin hic versus, nisi in Baptis, nusquam legi potuerit?

Quum et verbum *βάπτειν* cum titulo Comoediae pulchre conveniat, et Baptas ipsos nescio quis alloquatur, et dea, quae hic nominata est, nulla profecto alia inveniri possit, nisi Cotytto, quam illud vestimentorum genus inprimis decebat. Hic vero *βάπται* sunt tinctores, qui vestes lanasve pretiosas purpura inficiunt. Deinde non magis dubito, quin illud quoque Pollucis VII, 169 *Εὔπολις δὲ καὶ βάπτριαν εἴρηκεν.* rectissime ad Baptas quasi postliminio redire jubeamus: testatur enim fabulae titulus, cui vel soli tuto confidere licet 31). Atqui Pollux in isto capite de tinctura potissimum agit deque coloribus.

Ex his satis, ut spero, intelligitur, drama Eupolidis *Βάπται* appellatum esse propterea, quod isti Cotyttus cultores hujus deae, fortassis etiam suas ipsorum vestes in orchestra tingerent: Chori enim partes ad Baptas nostros puto delatas esse. Nec vero tantum mihi arrogo, ut Baptarum Eupolideorum formam totam omnemque naturam accuratius describere coner: in tanta enim fragmentorum quum paucitate, tum, quod gravius est, etiam tenuitate de hac fabula, quae sine dubio magnis splendebat virtutibus, in lucem plane proferenda jam dudum desperavi. Nunc diversissimas Virorum Doctorum sententias de vi potestateque verbi *Βάπται* breviter enumerabo. Ac primum *Casauboni* opinionem, qui in Athenaeo suo censuit Baptas eos ideo vocatos esse, quod aquam inceste

31) Non semper grammaticorum testimoniis fidem habere possumus; quos permiscendo diversa haud raro fabularum nomina falsa aut aliena, interdum etiam poëtarum ipsorum substituisse compertum est. Contra nonnunquam, istis tacentibus sola cogitatione verum drama poëtamve certo eruere licet: quod ubicunque fieri posse videatur, magno literarum bono experiendum est. Sic in ipso Eupolide, ne alios quosdam locos plane geminos commemorem, quis tam stultus est, ut quum duo locos *Κόλαξιν* diserte tributos evolverit, unum Pollucis IX, 59, alterum in Bekk. Anecd. p. 1196, non videat, illud Phrynichi ap. Bekk. 17, 30 *Εὔπολις· ἵππον κέλητ' ἀσκοῦντα θές.* non modo ad eandem Comoediam, verum etiam ad partem comoediae eandem necessario referendum esse?

sumerent, vereor, ut intelligere possim. Longe praestantior est *Meieri* sententia, Summi Viri, qui haud ita pridem *Hermannum* in tantas compulit angustias, ut se non posset commovere. Is acutissime vidit, nomen *Βάπται* de hominibus vino immersis, madidis, ebriis denique interpretandum esse: quos vacillantes, lingua etiam titubante, pulcherrimum praebuisse spectaculum necesse est. Non erat, quod hoc inventum, jucundum sane maximeque comicum, tam temere cavillaretur *Lobeckius* l. l. p. 1030 sq.: ego quidem, ut primum rescivero, utrum *Meierus Βάπτας* transferri malit die Betrinker, an die Betrunkenmacher, divinam illam sententiam novis quibusdam argumentis confirmabo; interim tamen ampliandum censeo. Casu atque fortuito *Tib. Hemsterhusius* in verum incidit ad Ar. Plut. v. 884 *Βάπτας tinctores* convertendo: certe nullum praeterea verbum adjecit; veruntamen hujus viri *tinctores Meinekius* morandos esse negat: neque omnino male *Gesnerus* ad Lucian. 32) Adv. Indoct. c. 27 „*An hi βάπται*, inquit, *gestarunt βαπτά? de quibus Hemsterh. ad Nigrin.* c. 14.“; ibi autem docet *Hemsterhusius*, quod notum est in vulgus, *βαπτὰ ἱμάτια* ad meretricium ornatum ac lenonium pertinuisse. Sequitur, ut cum *Lobeckio* verecunde contendam, viro multo, quam ego sum, meliore: qui quum in Aglaophamo plurima somnia hominum ex parte doctissimorum ita exploserit, ut neque referri facile possint, nec relata ullo modo placere, quumque singularem alias adhiberet prudentiam, tamen hunc de Cotyttiis et Baptis locum, periculosum illum etiam dubitanti, asseveranti vero maxime, mihi certe non probavit. Primum igitur existimat *Lobeckius*, Cotyttus sacricolas vulgo ab omnibus Baptas esse appel-

32) Luciani verba haec sunt: *τὸν δὲ Ἀριστοφάνην καὶ τὸν Εὔπολιν ὑποδέδυκας; ἀνέγνως καὶ τοὺς* (sic cod. Gorlic., vulgo *τὰς*) *Βάπτας τὸ δρᾶμα ὕλον; εἶτ' οὐδέν σου τἀκεῖ καθίκετο οὐδ' ἠρυθρίασας γνωρίσας αὐτά;* Vide totum locum scriptoris libidines spurcissimas notantis.

latos. Hic audire *Meinekium* debebat, qui quum Baptarum nomen ex uno Eupolide allatum esse vidisset, vere censuit, id nomen a Comico comice fictum esse. Deinde quum *Struvius* affirmasset, sacra Cotyttia a solis feminis curata esse, neque a viris sacerdotibus administrari potuisse, *Lobeckius*, ut viros quoque muliebribus sacris praefuisse defenderet, duo quosdam locos apposuit. At haec non lex fuit, sed, ut ex ipsis apparet, legis exceptio.

Juvenalis autem versu, *Cecropiam soliti Baptae lassare Cotytto*, abstinendum erat: qui quum totus pendeat ab Eupolide, nulla vis est istius argumenti. Recte etiam *Buttmannus* aliique illud dixerant, nulla dum Eupolidis aetate Cotyttia ab Atheniensibus recepta esse. Quid hic *Lobeckius?* Dividit sententiam veteratorie: publice detestabilia ista sacra Cotyttus Athenis suscepta esse gravissime negat, privatim vero eadem Athenas se insinuasse constanter affirmat. Cujus rei ut fidem faciat, hunc in modum argumentatur. Primum recte monet, Cotytto eandem Cotyn dictam esse, recte etiam pergit, Cotyos orgia a Thracibus celebrata esse et haec solemnia cum Phrygiis deae matris et Sabazii sacris a Strabone comparari: tum concludit sic, quum Cybelae sacra ab Atheniensibus certissime adscita sint, recepta esse etiam Cotyttia, quae ab illis nomine tantum, non reapse differant. Hoc jam non est gradibus descendere, sed praecipitare. Principio de Cotyttiis tantum inaudivimus, non ea intus atque in cute novimus, ut haec ne liceat quidem cum Phrygiis usquequaque conferre: nec si *Lobeckius* diligentem comparationem voluit instituere, amplius quidquam effecit, quam ut aliquam similitudinem inter duo ista obscoena sacra intercessisse fateamur. Quid si demonstro, haec duo sacra, ut nominibus discrepant, ita etiam re disjuncta fuisse? Mittam illud, quod *Lobeckium* ipsum non fugit, Cybelae sacra a viris et mulieribus promiscue celebrata esse quum Cotyttus deae ara secundum Juvenalem et Eupolin maribus solis pateret. At vero matris deum sacra ab Atheniensibus non minus publice,

quam privatim constat suscepta esse, Cotyttia ipse *Lobeckius* privatim tantummodo ascita vult, publice autem negat. Et credemus *Lobeckio*, Cotyttia Phrygiis sacris ea similitudine conjuncta esse, ut omnino discerni nequeant? Sed iterum iterumque hoc inculcat *Lobeckius*, veteres comicos non temere crimina ipsos excogitasse, sed vulgi sermone agitata attulisse, neque fictis lusisse fabulis, sed certorum hominum vitia sive vera, sive probabilia, notasse. At vero non, ut rerum gestarum scriptores, sic etiam Comici res ipsas plane tradunt, quin potius detorquent omnia, partim ob risum, partim malo animo, ut hic Eupolis, homo admodum maledicus, leviora crimina adaugent itaque exaggerant, ut interdum vix agnoscas. Omnino aliquid certi jambis eorum semper subsit necesse est, sed plerumque res redit ad humanum errorem, ad vitium denique haud ita magnum ac non certe cum poëtae vehementia comparandum. Quis dixerit, Socratem ullo tempore talem tamque ridiculum hominem fuisse, qualem in Nubibus II Aristophanes infuscavit verius, quam descripsit? Quare tantum abest, ut Cotyttia Alcibiadem fecisse, credi a quoquam Eupolis voluerit, nedum a *Lobeckiis*, ut persona detracta id tantum intelligeres, commissatorem fuisse, praefuisse eum hetaeriae h. e. factioni multa turbanti, et parum modeste pudicitiam habuisse, de quo satis constat: adde ad summum rumusculum aliquem Bacchanalium sive sacrorum, quae cum amicis privatim faceret ludibrii causa; Comoedia scena perapta contexitur, docentur Baptae. Postremo nisi satis appareret, indignissime tum et petulantia non ferenda in Alcibiadem a conviciatore illusum esse, quum Alcibiades sacra non exterorum magis, quam hostium, eaque longe spurcissima, adoptasse diceretur, ne Alcibiades quidem, qualiscunque is fuit, (minime enim defendo) unquam dictus esset, multo minus vero etiam vulgo creditus Eupolin postea in mare praecipitasse. Nunc vero explicet mihi aliquis, quî factum sit, ut cives Attici a Corinthiis potissimum, qui bello Peloponnesio Atheniensium hostes fuerunt, Cotyttia privata

mutuarentur: cur, inquam, Athenienses quos peregrinas relligiones cupide appetivisse concedo, ex hostili terra novos ignotosque deos arcessere maluerint, quam vel e sociorum civitatibus vel a nationibus adeo barbaris. Respondebit, credo, *Lobeckius*, Cotytto jam ante illius belli tempora Corintho Athenas furtim irrepsisse. Audio: veruntamen non placet, conjecturam alia stabiliri conjectura. Tum *Lobeckius* Cotyttia in privatis Corinthiorum relligionibus numerat. Frustra: aram enim consecraverunt Corinthii, libidinosi homines, praeclaro isti numini, aut certe statuam posuerant, ut e Suida manifestum est: *Κότυς, δαίμων παρὰ Κορινθίοις τιμώμενος, ἔφορος τῶν αἰσχρῶν* —. Quomodo igitur convenit, Cotytto publice Corinthi, Athenis vero privatim cultam esse? Non sane dubitassent Athenienses Cotytto quoque, si ista dea placuisset, in publico ponere, quum aras *Ὕβρεως, Ἀναιδείας, Ἀρᾶς* in propatulo haberent: vide Hesychium s. *Ἀρᾶς ἱερόν.*, Xenoph. Conviv. IX, 35 fin., Photium 85, 1 cl. *Dobreo* Adv. p. 593. Cic. de nat. deor. III, 25 init. XII tab. ap. Cic. De Legg. II, 8. Liv. IV, 30. XXV, 1. XXXIX, 16. Adde *Meinekium* ad Menandr. p. 92. 33) Hunc quoque nodum *Lobeckius* expedire debebit. Praeterea magnam vim habere puto Hesychii glossam, quam in oculos incurrit e Baptis Eupolideis, tanquam e fonte suo, manasse: *Κοτυττώ: ὁ μὲν Εὔπολις κατ' ἔχθος τὸ πρὸς τοὺς Κορινθίους φορτικόν τινα δαίμονα διατίθεται.* Recte Ald. et all. edd. *Κοτυττώ*, male Codex *Κοτυτώ*. Tum enim paenultima non posset non corripi, quae producitur ab Horatio Epod. 17, 56 et ab Juvenali. In feminarum autem nominibus Graeci consonam paenultimae saepe duplicabant, ut *Κοτυττώ, Λύσιλλα, Φίλιννα.* Gravius est, quod iste Hesychii locus mutilus ad nos pervenit, quum post v. *διατίθεται* alterum membrum desit, quod priori *ὁ μὲν Εὔπολις* — respondeat, veluti: *ἦν δὲ δαίμων παρὰ Κορινθίοις τιμώ-*

33) De diis Atheniensium peregrinis ad Horas Aristophanis erit dicendi locus.

μενος, ἔφορος τῶν αἰσχρῶν. Hac Hesychii glossa fretus *Lobeckius* certum habet, Eupolin eo, quod Corinthii propter nimiam Cotyttiorum licentiam male audirent, motum esse, ut Alcibiadem ritu Corinthiaco sacrificantem induceret. At prorsus nihil ejusmodi ab Hesychio dictum est et vel per se nimis incredibile videtur, Cotytto Corinthi tum publice tum ritu Corinthiaco, Athenis autem tum privatim tum ritu Atheniensi cultam esse: sic enim Corinthiacam Cotytto Athenis nemo agnosceret. Imo nihil aliud voluit Hesychius, quam hoc: *Eupolis odio Corinthiorum molestum, ineptum, tetrum numen planeque odiosum Cotytto a se appellatum in scenam producit.* Eupolis igitur Cotytto in dramate suo etiam pejorem deam reddiderat, quam Corinthi esset reapse: tantum abest, ut Comicus privatas Atheniensium religiones nescio quas, aut domesticam Cotytto expresserit. Et quomodo dici posset Eupolis Corinthiorum odio incensus Cotytto in deterius mutasse et multo etiam magis depravasse, si tum Athenis quoque sacra Cotyttus privata fieri solerent? Tum certe comica ista Cotytto non tam ad Corinthios, quam ipsos Athenienses irridendos valuisset. Itaque manet, Cotyttus sacra Athenis, Eupolidis quidem aetate, omnino nulla fuisse.

De fragmentis deque argumento totius fabulae brevi absolvam, non tantum dicam, quantum res et causa desiderat: neque enim satis diu meditata afferre potero, qui imparatus in Baptas subito inciderim. Suspicor autem, hanc fabulam in tres partes divisam esse, in quarum prima novitia sacra Cotyttus praepararentur, in secunda eaque longissima sub deae adventum orgia celebrarentur, in tertia molles homunculi vel in judicium vocarentur, vel denique justas nequitiae poenas darent, quum peregrina atque nefaria sacra in Baptarum ipsorum capita verterent. Ad primam partem haud dubie partinebat senarius, de quo supra dictum est,

Βάπτετε τὰ κάλλη τὰ περίσεμνα τῇ θεῷ·,

fortassis etiam hic locus (si modo ibi servus loquebatur,

corona, ut festo die, redimitus, quemadmodum Cario in Plut. v. 20 sqq.) Bekk. Anecd. p. 377, 8 *Ἀλλὰ γάρ: ἀντὶ τοῦ δέ. Εὔπολις Βάπταις·*

ἀναρίστητος ὤν,
Κοὐδὲν βεβρωκώς, ἀλλὰ γὰρ στέφανον ἔχων.

Suidas, *Ἀλλὰ γάρ: ἀντὶ τοῦ δέ. Εὔπολις.* Locus deest. Nondum me poenituit conjecturae, quam alio loco proposui, quum versum Polyido Aristophanis vulgo adjudicatum in Eupolin transferrem hoc modo:

Τρέχω διὰ τῆς ἀγορᾶς ἀναρίστητος ὤν,
Κοὐδὲν βεβρωκώς, ἀλλὰ γὰρ στέφανον ἔχων.,

qua nihil verius puto. Quid sentiam, videbis simulque fontem hujus erroris cognosces, si aliam Suidae glossam examinaveris: *Ἀνάριστος: μᾶλλον δὲ ἀναρίστητος. Ἀριστοφάνης Πολυείδῳ· Διὰ τῆς ἀγορᾶς τρέχω ἀναρίστητος ὤν. Ἄλεξις Καταψευδομένῳ Πάντως ἀναρίστητος— ἡμέραν. Ἀντιφάνης Λευκαδίῳ· Ἐνταῦθ' ἀναρίστητος—νεαράν.* Jam deest poëta et fabula statimque sequitur versus ipse, *Ἔπειτα διά τε ταῦτ' ἀναρίστητος ὤν. Μένανδρος δέ, ἀνάριστον* cet. Primum egregie placet *P. Leopardi* sententia, probata jam *L. Kustero*, qui hunc Suidae locum et doctiorem solito et longiorem ex Athenaeo integro, non eo, qualem hodie habemus, descriptum esse censebat, allata Epitome libri secundi p. 47, e *ἀναρίστητον δ' εἶπεν Εὔπολις.* Itaque cum Athenaeus *ἀναρίστητος*, grammaticus autem Bekkeri *ἀναρίστητος ὤν* Eupolidi tribuerint, non tamen id eo spectat, ut in Eupolin hi versus conferendi esse videantur,

Ἔπειτα διά τε ταῦτ' ἀναρίστητος ὤν,
Κοὐδὲν βεβρωκώς, ἀλλὰ γὰρ στέφανον ἔχων.,

quam rationem, nemini auctor sim, ut defendat. Nam et *διά γε ταῦτ'* requiritur, et ne sic quidem integram habebis sententiam. Imo vero quum Eupolin dixisse *ἀναρίστητος ὤν* certo sciamus, Suidas autem duo locos afferat, qui in hoc ipsum *ἀναρίστητος ὤν* desinant: quoniam alter locus vix ac ne vix quidem esse potest Eupolidis, id unum relinquitur, ut alterum, quem Suidas temere

Polyido Aristophanis dedit, Eupolidi Baptisque restituamus. Atque hos duo versus, quum eodem modo et cadant et desinant, facile inter se permutari potuisse, in promtu est: in quorum priore erratum esse, perversus verborum ordo docet *Διὰ τῆς ἀγορᾶς τρέχω* pro his *τρέχω διὰ τῆς ἀγορᾶς*, ut recte *Porsonus*, in posteriore vero nisi item erratum esset, poëtae nomen fabulaeque non posset deficere. Quae quum ita sint, apparet, Aristophanem in Polyido scripsisse,

Ἔπειτα διά τε ταῦτ' ἀναρίστητος ὤν.,

Eupolin autem in Baptis,

Τρέχω διὰ τῆς ἀγορᾶς, ἀναρίστητος ὤν,
Κοὐδὲν βεβρωκώς, ἀλλὰ γὰρ στέφανον ἔχων.,

quorum in altero nihil mutandum est, alteri praeclare inter se cohaerent, sententia plene absoluta. Utrum Suidas ipse ab Athenaei exemplo temere discesserit, an librarii ejus duo locos perverterint, haud ita magni refert: dummodo constiterit, ab alterutris ita potius scribi debuisse, *Ἀνάριστος, μᾶλλον δὲ ἀναρίστητος. Ἀριστοφάνης Πολυΐδῳ· Ἔπειτα διά τε ταῦτ' ἀναρίστητος ὤν. Εὔπολις Βάπταις· Τρέχω διὰ τῆς ἀγορᾶς ἀναρίστητος ὤν. Ἄλεξις Καταψευδομένῳ· Πάντως ἀναρίστητος — ἡμέραν. Ἀντιφάνης Λευκαδίῳ· Ἐνταῦθ' ἀναρίστητος — νεαράν. Μένανδρος δὲ ἀνάριστον κτλ.* Quum igitur Cotytto dea non sine magna quadam pompa, ut opinor, in scenam prodisset, orgia a Baptis celebrari coepta sunt. Ad locum Juvenalis Sat. II, 91 Bonae Deae sacra detestantis,

Sed more sinistro
Exagitata procul non intrat femina limen.
Solis ara Deae maribus patet. Ite profanae!
Clamatur: nullo gemit hic tibicina cornu.
Talia secreta coluerunt orgia taeda 34)
Cecropiam soliti Baptae lassare Cotytto.

34) Ex verbis *secreta — taeda* Baptas cum facibus in orchestram irruisse conjicias.

tam docte commentatur Scholiasta, ut satis appareat, eum nihil, nisi quod verum esset et explorate cognitum, e fonte perantiquo hausisse. Is primo Baptas *impudicos* et *molles* dicit, hoc est pathicos, monente *Lobeckio*, deinde haec verba ejusdem: *qui* (Eupolis) *inducit viros Athenienses ad imitationem feminarum* — sic explicanda sunt: *Cotyttia alias a feminis solis, contra apud Eupolin a viris Atheniensibus curata sunt.* Ex parte consentit Papias a *Buttmanno* allatus: *Cocitos* (sic) *fuit dea Atheniensium, quam solae feminae colebant*, et hoc idem haud dubie voluit etiam Juvenalis. Nondum explanavi Juvenalis obscurum illud *lassandi* verbum, quod *Buttmannus* post alios interpretatur *frequenti prece invocare*, *Meinekius cymbalorum tympanorumque strepitu deam obtundere*, *Lobeckius*, *fastidio foedissimarum libidinum deam fatigare*. *Runkelius* denique satis mire opinatur lassandi verbum notionem vimque habere subigendi: quasi vero in scena aut orchestra Baptarum chorus cum Cotytto corpus miscere potuerit 35). Ceterum non repudio *Meinekii* conjecturam, qui quum Cotytto a scholiasta *psaltriam* nominari vidisset, deam meretricis habitu in scenam productam fuisse putavit,

35) In Pluto v. 1133 *Disctus* post alios scholiastas, *Hemsterhusius*, *Duckerus*, *Fischerus* Carionem crepitum ventris emisisse statuunt, invitissimo et paullo vehementius indignante viro alias praeclaro, *Muentero*, quippe theologo. Enimvero Cario pugnum in os impingit Mercurio *ταύτην ἐπιπιών*, inquiens, sc. *τὴν πληγήν*. V. Bos. Ellips. p. 387 et cf. Vesp. 1502. 1503. Totus autem ille Pluti locus sic legendus est:

Ε. οἴμοι πλακοῦντος τοὺν τετράδι πεπεμμένου.
Κ. ποθεῖς τὸν οὐ παρόντα καὶ μάτην καλεῖς.
Ε. οἴμοι δὲ κωλῆς, ἣν ἐγὼ κατήσθιον.
Κ. ἀσκωλίαζ' ἐνταῦθα πρὸς τὴν αἰθρίαν.
Ε. σπλάγχνων τε θερμῶν, ὧν ἐγὼ παρήσθιον.
Κ. ὀδύνη σε περὶ τὰ σπλάγχν' ἔοικέ τις στρέφειν.
Ε. οἴμοι δὲ κύλικος ἴσον ἴσῳ κεκραμένης.
Κ. ταύτην ἐπιπιὼν ἀποτρέχων οὐκ ἂν φθάνοις.
Ε. ἆρ' ὠφελήσαις ἄν τι τὸν σαυτοῦ φίλον;
Κ. εἴ τον δέοιό γ' ὧν δυνατός σ' εἰμ' ὠφελεῖν.

quum praesertim *Κάλλη*, meretricius ornatus, meretricem prodere videantur. Sed veram *lassandi* explicationem, quam miror tamdiu latere potuisse, monstrat idem ille scholiasta, quum scribat Baptas apud Eupolin *saltantes* lassare *psaltriam:* quo pertinent etiam Papiae verba: *quae* (feminae Cotyttus sacris deditae) *psaltriam exercebant.* Quocirca sic mihi persuadeo, ut primum Cotytto in conspectum venisset, Baptas in orchestra sacro furore percitos cordacem 36) saltare coepisse, modos numerosque dea praecinente, quae tum in scena psaltriam agebat, idque eos cupiditate tanta fecisse, ut, fatiscente jam ipsa Cotytto, aegre tandem desisterent.

Habes inventum, non jam, ut spero, *Meierianum*, sed per se veri admodum simile, et vel summo Comico non infitiandum, inventum denique ejusmodi, ut nullo modo mirari possis Alcibiadis, Baptarum tanquam principis et coryphaei, acerbissimam vindictam. Sed accedamus ad aliud fragmentum, Joannis Alexandrini De Accent. p. 36, 16. *Τὰ δὲ σχετλιαστικὰ τῶν εἰς οι καὶ εἰς αι ἄλογον ἔχει τὸν τόνον. ὧ μὲν γὰρ αὐτῶν περισπᾶται, ὡς τὸ ὀτοτοῖ ἔχον συμπαρακείμενον καὶ τὸ ἀτταταῖ, καὶ τὸ οἰοῖ καὶ αἰαῖ σαβοῖ τε* (sic Blochius pro *αἰᾶσαι βοῖτε*) *καὶ τὸ αἰβοῖ καὶ τὸ σαβαῖ παρ' Εὐπόλιδι ἐν Βάπταις· τὸ δὲ εὐαὶ παρὰ τῷ αὐτῷ ὀξύνεται, εὐαὶ σαβαί* (imo *εὐαὶ σαβαῖ*). Verum est *Meinekium* l. l. p. 46 *αἰβοῖ σαβαῖ* afferre; sed quid attinebat istum calami errorem, non mentis repetere? At nimirum hanc *Meinekii* conjecturam putabat *Runkelius!* Grammaticum vero in Eupolide invenisse *εὐαὶ σαβαῖ*, apparet. Tamen *Lobeckius*, vir eximius, semel atque iterum l. l. p. 1015, p. 1030 not. et tertio quodam loco Eupolin *εὐοῖ σαβοῖ* scripsisse confirmat, non demonstrat, credo, ut in re perspicua. Notissimus est Demosthenis locus de Aeschine Phrygii Dionysi sacra obeunte De Corona 260, 4 B. *καὶ βοῶν εὐοῖ σαβοῖ*,

36) Cordacem Eupolis etiam in Maricam concluserat: vide Nub. v. 551.

καὶ ἐπορχούμενος ὗης ἄττης ἄττης ὗης., ubi verbum ἐπορχούμενος cordacem Baptarum novo argumento corroborat. De vera potestate exclamationum *Εὐοῖ Σαβοῖ* jam Alexandrini grammatici et post eos vulgus grammaticorum magnopere dissentiebant, quorum loci a *Lobeckio* collecti sunt l. l. p. 1041 sqq. Prius quidem illud εὐοῖ minime significat, *bene sit ei*, sed est laeta acclamatio bacchantium, ducta ab *Εὔιος*, noto Bacchi cognomine. Scite speculatores verum retulerunt ap. Lucian. Bacch. c. 2. καὶ βοᾶν εὐοί (ἐὐοῖ Gerl.), τοῦτο δ' εἰκάζειν καλεῖσθαι αὐτῶν τὸν δεσπότην. Herodianus commendabat scripturam *εὐοΐ:* neque enim ignorabat, quod recte vidit etiam *Lobeckius*, digamma Aeolicum primitus habuisse et *Εὔιος* et *Εὐοῖ*. De hoc posteriore *Σαβοῖ* duas accepimus grammaticorum sententias, nixas duplici verbi σαβὸς significatione, quod et Bacchi cognomen est et virum etiam, qui bacchetur, designat. Alii igitur explicabant *Eja, Bacchi cultores*, quod placuisse videtur etiam librariis in Demosthene, qui accentum retraxerunt (σάβοι duo Pariss. σαβοι Bavaricus ap. Reisk., σάβοι Συν et γρ ς ap. Bekk.), alii ut *Εὐοῖ* ad Evium Dionysum, sic *Σαβοῖ* ad Phrygium, sive Sabazium retulerunt: nam *Σαβὸς* brevior forma est verbi *Σαβάζιος*, quod Phrygii Dionysi cognomen fuisse constat. Certum habeo, posteriorem rationem ineundam esse. Quum enim *εὐοῖ σαβοῖ* crebro consociata esse e Demosthene atque Eupolide liqueat, alterum ad Dionysum ipsum, alterum ad cultores Dionysi Sabazii trahere violentum est: contra duo Dionysi ipsius cognomina egregie consociantur *εὐοῖ ιαβοῖ*, prorsus ut sequitur ὗης ἄττης et ἄττης ὗης. Quare εὐοῖ solum ad Graecum Dionysum, σαβοῖ ad Phrygium pertinuit, *εὐοῖ σαβοῖ* ad utrumque, ita ut primo Dionysus in universum inclamaretur, deinde Phrygius. Nihilo secius tamen in Baptis Eupolidis *Εὐαῖ Σαβαῖ* constantissime tueor. Legitur εὐαὶ in Lysistr. 1294 et in fine Ecclesiazusarum: quod fere significasse *Vicimus* vel *Macte victoria tua* addita verba ὡς ἐπὶ νίκῃ declarant.

Ceterum hoc nihil sane ad Eupolin aut ad causam nostram. Illud vero mordicus tenendum est, Eupolin exclamationes istas a Baccho Phrygio ad Cotytto suam transtulisse. Nunc demum, quo haec tam longe repetita oratio pertineat, intelligis. Neque enim ut alii Bacchum Phrygium, masculum deum, sibi propitium faciebant *Εὐοῖ Σαβοῖ* vociferantes, sic etiam Baptae in Eupolide, hisce vocibus ad Cotytto, quae dea fuit, conversis, easdem formas omnino retinere poterant, sed potius illi femineo genere substituto clamabant *Εὐαῖ Σαβαῖ*. Itaque *Εὐοῖ Σαβοῖ* in Baptis ne ferri quidem posse judico. Quodsi quis forte credere noluerit, *Σαβοῖ* illud ad Phrygium Dionysum spectare, sicuti *Εὐοῖ* ad Evium, sive Graecum Dionysum, sive communem, is dubitare profecto desinet, Eupolide comparato: ubi si *σαβαὶ* sacerdotes aut sacricolae dicerentur, certe scribendum esset *σαβοὶ* vel *σάβοι*, quoniam Baptae, quamvis effeminati, viri tamen fuerunt. Nunc dubium non est, quin et superiores istae voculae *Εὐοῖ Σαβοῖ* Dionysum deum exprimant, et hae alterae *Εὐαῖ Σαβαῖ* ambae deam Cotytto. Aliud fragmentum Athenaei est IV, 183, f. de trigono loquentis, *Εὔπολις δ' ἐν Βάπταις φησίν·*

Ὅς καλῶς μὲν τυμπανίζει,
Καὶ διαψάλλει τριγώνοις.

Hic Codex et Venetus et Palatinus *Βαπταῖς* habent alio accentu, quod eo dicimus, quia *Βαπταῖς* alibi quoque exstat, non quod defendi possit. Tum *καλῶς τυμπανίζει* Epitome, quo videtur significari, *Ὅς καλῶς τε τυμπανίζει—*. *Brunckius* autem cur *Ὡς καλῶς —* suffectum velit, haud facile statuas. Hac conjectura utitur quidem *Lobeckius*, sed haud dubie imprudens, ut qui optime conjecerit exoleti symphoniaci, i. e. Baptae, organa et instrumenta his versibus indicari. De trigono nonnulla collegimus *Lobeckius* egoque Daetal. p. 74 sq. Hoc organum, sive a Syris, sive ab Ibyco inventum, nomen a forma accepit, multas habuit chordas soni variandi causa, alias longiores, breviores alias, fuitque juvenum delicatorum, ut in Baptis

et Daetalensibus. Tympanum vero, in Cybeles Bacchique sacris maxime usitatum, orbis fuit aeneus ligneusve, pelle intenta et pendentibus circa tintinnabulis. Id Galli Bacchaeve modo altera manu tenebant, altera pulsabant, modo in altum jactabant ac tum excipiebant, quum sic quoque graves sonos elicerent. Tum Scholiasta Apollonii Rhod. IV, 144 *Εὔπολις ἐν Βάπταις*, inquit,

Ὦ ῥύμβοισι μαστίξας ἐμέ.

Totus senarius esse potuit,

Ἄληθες, ὦ ῥύμβοισι μαστίξας ἐμέ;

ut Ar. Ran. 839.

Ἄληθες, ὦ παῖ τῆς ἀρουραίας θεοῦ;

Eundem illum locum spectarunt Schol. Apoll. Rhod. I, 1139 *Ῥόμβος: τροχίσκος, ὃν στρέφουσιν ἱμᾶσι τύπτοντες καὶ οὕτως κτύπον ἀποτελοῦσι, τινὲς δὲ ῥόμβον αὐτὸ καλοῦσιν, ὧν καὶ Εὔπολις ἐν Βάπταις καὶ Δίδυμος.* Etymologus p. 706, 30. qui allato versu Apollonii *Ῥίμβῳ* (vel *ῥόμβῳ*) *καὶ τυπάνῳ Ῥείην φρύγες ἱλάσκονται.* mox pergit *ῥόμβος δὲ καὶ ῥόμβος διχῶς λέγεται. ἔστι δὲ τροχίσκος, ὃν τύπτοντες ἱμᾶσι καὶ στρέφοντες ποιοῦσι περιδονεῖσθαι καὶ ψόφον ἀποτελεῖν. ῥόμβον δὲ αὐτὸν Εὔπολις εἶπε· καλεῖται δὲ καὶ βρυτήρ.* Photius 491, 10 *Ῥόμβος:* (sic) *ὃ ἔχουσιν οἱ ἐπιθειάζοντες, ὡς τύμπανον. οὕτως Εὔπολις.* denique Eustathius p. 1387, 47 *οὕτω δὲ καὶ ῥυτὴρ βρυτὴρ ὁ χαλινός· ὁ δ' αὐτὸς καὶ τροχίσκον δηλοῖ τὸν καὶ ῥόμβον καλούμενον, ὃν τύπτοντες ἱμᾶσι καὶ στρέφοντες ἐποίουν δινεῖσθαι καὶ ψόφον ἀποτελεῖν. Εὔπολις δέ, φασί, ῥόμβον αὐτὸν εἶπε διὰ τοῦ ῡ ψιλοῦ.* *Lobeckius* in incerto relinquit, utrum rhombus organi musici nomen fuerit, an turbinis magici. Verum est posterius: neque qui rhombum ad organorum musicorum numerum retulerit, ullum scio vel grammaticum, vel scriptorem: vide Ovid. Amorr. I, 8, 7. Fast. II, 575. Propert. II, 28 (21), 35. III, 6 (4), 26. Martial. IX, 30, 9. XII, 57, 17. Praeterea annuli magici, qui fortassis ad malas Baptarum artes averruncandas valuit, mentio ab Eupolide facta est. Scholiasta ad Plutum v. 884 *οὐ φοβοῦμαί σε, ἔχων φυσικὸν δακτύλιον, δακτύλιον δὲ τὸν λεγό-*

μενον φαρμακίτην. Εὔπολις Βάπταις μέμνηται. ὁ δ' Εὔδαμος φαρμακοπώλης καὶ Ἀμειψίας ἢ χρυσοπώλης —. Male *L. Kusterus* et *T. Hemsterhusius* verba καὶ Ἀμειψίας post μέμνηται collocarunt. Lege potius φαρμακοπώλης, ὡς καὶ Ἀμειψίας. Amipsias enim, ut Aristophanes, Eudemum nominarat dixeratque φαρμακοπώλην, neque vero commemorarat, ut in Baptis Eupolis, δακτύλιον τὸν φαρμακίτην. Ceterum recte T. H. eundem Eudemum a Theophrasto dici existimat Hist. Plant. IX, 18 Εὔδημος ὁ φαρμακοπάλης, εὐδοκιμῶν σφόδρα κατὰ τὴν τέχνην. Eum Aristophanes Εὔδαμον dicit forma dorica, de homine tam illustri scilicet, quemadmodum idem in Eqq. 327 ὁ δ' Ἱπποδάμου scripsit. Tametsi in nonnullis hujusmodi nominibus doricum ᾱ vulgari usu adscitum est. Confer Lucianea Δάμις, Δαμόξενος, Δαμοτέλης, Δάμων cum alteris Δημόκριτος, Δημοσθένης, Δημόστρατος, Δημοχάρης, Δημῶναξ. Mire Plutarchus in Pericle c. 4 Δάμωνα — οὗ φασι δεῖν τοὔνομα βραχύνοντας τὴν προτέραν συλλαβὴν ἐκφέρειν. Falso, ut opinor. Plutarcho obstat Δήμων Demosth. In Aphob. 56, 2 B. et alibi. Demosth. In Timocrat. 138, 3 Εὔδημον τὸν Κυδαθηναιέα. Andocid. De Myster. 16, 2 B. Δάμωνος. Stephanus Byzantius s. Ὦα affert Δάμων Δαμωνίδου Ὠαθεν., at Plutarchus in Pericle c. 9 Δημωνίδου τοῦ Οἰῆθεν (sic). Notus est Δῆμος, Pyrilampis f., pulcher adolescens. His addantur Damocrates aliquis in Platonis Lyside, Eudamus, praefectus classis Rhodiorum, Liv. 37, 12, Plaut. Asinar. II, 4, 38 Philodamo., Bacchid. II, 3, 50 Archidemides. Quanquam Ἀρχέδημος atque Ἀρχίδαμος distinguenda sunt. Ceterum apparet ex his exemplis, falli *Hemsterhusiam* ad Schol. Plut. 139, 5 p. 197. Egregie autem id, quod nunc proprie agimus, illustratur ipso Aristophanis loco: Δ. Οὐδὲν προτιμῶ σου· φορῶ γὰρ πριάμενος | τὸν δακτύλιον τονδὶ παρ' Εὐδάμου δραχμῆς. | Χρ. Ἀλλ' οὐκ ἔνεστι· συκοφάντου δήγματος, quem si intellexissent Viri Docti, non sane tot vexassent vel conjecturis, vel explicationum portentis: ultimus enim versus, quum ipse nihil vitii fecisset,

multa tamen interpretum vitia sensit. Chremyli sententia haec est: „At non insculptum est in annulo tuo (optime ἔνεστι, plane ut Eqq. 950): *Contra morsum calumniatoris.*“ Genitivus δήγματος pendet a v. δακτύλιος, quod etsi additum non est, cogitatur tamen. Nempe annulis veterum magicis haud dubie vis et potestas, quam quisque haberet, inscribi solebat, v. c. ὄφεων δήγματος, aut φαρμάκου.

Denique non omitto Hesychii glossam, e Baptis traductam: *Δακτύλιος φαρμακίτης: ὃν οἱ φαρμακοπῶλαι εἰώθασι πιπράσκειν ἀντὶ φαρμάκου*, ubi *Hemsterhusiano* ἀντιφάρμακος non inviti caremus. Jam Baptae convivium quoque in orchestra videntur inisse atque inter epulas cottabi ludo lusisse. Indicio sunt tres loci, primum Pollucis X, 91. *Ἀλλὰ καί που καὶ κοίτην, ὡς ἔν τε τοῖς Βάπταις Εὐπόλιδος τὰς κοίτας γ' ἔχουσι πλουσίως σεσαγμένας., καὶ ἐν Φερεκράτους Μυρμηκανθρώποις· Ἀλλὰ καὶ —.* Vulgabatur quidem, *ἀλλὰ καὶ τὰς κοίτας οὐκ ἔ. π. σ.*, sed abest *ἀλλὰ* a Cod. A, *καὶ* vero a Codd. *Vossiano* et *Jungermanni*, qui iidem habent *κοίτας γ' ἔχουσι.* Quare vix dubites, quin *καὶ* huc se insinuarit e Pherecrate, incipiente a verbis *Ἀλλὰ καὶ —*: unde si *ἀλλὰ* petitum esset, scribi deberet *Κἆτα τὰς κοίτας γ' ἔ. π. σ. Salmasius* quod proposuit *ἀλλὰ κοίτας οὐκ ἔχ.*, eo pervertit sententiam. Sed *Hemsterhusii* scripturam, a qua profectus sum, nullo modo labefactare licet vel per Codices, vel per ipsius splendorem, probavitque eam *Bentlejus* merito suo. Quod autem *Runkelio* haec emendatio non ex omni parte placuit, deliberatorem istum non nimis pertimesco. De cottabi ludo constat e Schol. ad Pac. 1210 *κότταβος δὲ ἐκαλεῖτο καὶ τὸ τιθέμενον ἆθλον τοῖς νικῶσιν ἐν τῷ πότῳ, καὶ τὸ ἄγγος, εἰς ὃ ἐνέβαλον τοὺς λάταγας, ὡς Κρατῖνος ἐν Νεμέσει δείκνυσιν. ὅτι δὲ καὶ χαλκοῦν ἦν, Εὔπολις ἐν Βάπταις λέγει· χαλκῷ περὶ κοττάβῳ.* Aegre defenderis Dativum locis a *Matthia* allatis Gr. p. 727 ed. II. Scribendumne *χαλκᾶ περὶ κοττάβῳ?* Contendi potest *χαλκίον —κοττάβειον* in Daetalensibus, de quo recte statui p. 96:

nam Daetalensium quoque Chorus quum coenabat, tum cottabi ludo dabat operam 37). Praeterea Athenaeus XV, 667, d haec scripsit: *ὅτι δὲ ἆθλον προὔκειτο τῷ εὖ προειπόντι τὸν κότταβον προείρηκαμεν —. ὁμοίως δὲ διεξέρχονται — καὶ Εὔπολις —.* Bene vero haec Baptis reddidit *Runkelius* p. 167: neque enim ulla in fabula Eupolidis cottabi ludus videtur commemoratus esse, nisi in Baptis. Non temere in hanc de Baptis Eupolideis disputationem sum ingressus, nec me inanis quidam scribendi aestus abripuit, ut aliena effutirem, sed prope coactus sum in hac fabula paullo diligentiorem operam ponere, unius Socratis causa, quemadmodum jam supra memini dicere. Habemus autem quattuor Eupolidis fragmenta, in quibus Socratem exagitavit. Haec unde petita essent, nemo quaesivit: ego vero animadverti ac penitus intellexi, in Baptis Socratem ab Eupolide irrisum esse. Id qua ratione a me investigatum sit, breviter dicam, ut in re tam aperta: Pyrrhonios enim, iniquos homines, non curo legere, Hegelianos volo, quorum nota mihi est humanitas: sed tamen dicam Hegelianis in aurem: illi interea manum ad os apponant. Primum igitur de omnibus Eupolidis comoediis non nos quidem singulas quasque partes, quae interierunt, sed tamen summam argumenti probe cognitam habemus atque perspectam. Porro quum Socrates apud Eupolin in scenam ipse prodierit, necesse est cum argumento personam ejus aliquo vinculo copulatam esse.

Atqui reliquae omnes fabulae praeter Baptas a Socrate philosopho longissime abhorrent. Quis enim sibi persuadeat, ut hoc uno utar, in illa fabula, quae *Κόλακες* inscribitur, notatum esse Socratem, eum, quem Amipsias in Conno ita risit, ut tamen addere non dubitaret, *οὐ πώ-*

37) Vix me teneo, quin Eupolidis senarium (p. 171 R.) *τὸ σῶμ' ἔχουσι λεῖον, ὥσπερ ἔγχελυς* Baptis attribuam. Is quoque mirifice convenit cum tetrametro Daetalensium, p. 77. *Καὶ λεῖος, ὥσπερ ἔγχελυς, χρυσοῦς ἔχων κικίννους.* Praecedit apud *Runkelium*, *Ὃς τὸν νεάνισκον συνὼν διέφθορεν.* Hunc trimetrum Baptis insero quidem, sed cum multa dubitatione.

ποτ' ἔτλη κολακεῦσαι. Eadem vero caeterarum Eupolidis fabularum ratio reperietur. Ita Baptae soli relicti sunt, in quibus Socratem ludos factum esse crederem, etiamsi fragmenta Eupolidis Socratem proscindentis hodie omnino nulla exstarent. Nam quum ut in Hyperbolum Maricas, sic Baptae in Alcibiadem scripti sint, non potuit Eupolis, quin in eodem dramate in Socratem inveheretur, Alcibiadis magistrum. Deinde in mediis Baptarum fragmentis ipsum legimus Socratis jusjurandum, alia identidem forma expressum, ναὶ μὰ τὰς νύμφας, ναὶ μὰ τὰς κράμβας, ναὶ μὰ τὴν ἀμυγδαλῆν, ναὶ μὰ τὴν κράμβην· quod miror ad ridiculas Baptarum caerimonias retulisse *Meinekium*. Tum scholiasta quidam tradidit, Eupolin, licet paucis tantummodo Socratem commemorasset, vehementius tamen, quam Aristophanem in Nubibus totis, ei maledixisse. Verissime Scholiasta, si quidem Baptas mente complectamur. Nam sive tum Socrates Choro additus lascivum Baptam agebat, sive histrio in scena Baptarum flagitiis delectabatur, illud satis constabit, maxima detrectandi Socratis opportunitate Eupolin tam impune tantaque licentia abusum esse, ut et libidinum maculam, quae Socrati a nonnullis falso adspersa erat, cupide ostenderet, et impietatem in deos, paupertatem extremasque nugas philosopho exprobraret, denique de Socrate, multarum virtutum verissimo exemplo, turpem nebulonem et omnium vitiorum sentinam quandam conviciis suis summaque petulantia efficeret. Quamobrem si in hac Socratis et Eupolidis causa judices sederimus, sine ulla dubitatione Eupolin condemnabimus, Socratem vero omnibus sententiis absolvemus. Nunc ipsos illos locos, quos Baptis restitui, in medium afferam. Scholiasta ad Nubes v. 96 ἔπειτα Εὔπολις, εἰ καὶ δι' ὀλίγων ἐμνήσθη Σωκράτους, μᾶλλον ἢ Ἀριστοφάνης ἐν ὅλαις ταῖς Νεφέλαις αὐτοῦ καθήψατο. οὐδὲν δὲ χεῖρον ὑπομνησθῆναι τῶν Εὐπόλιδος· δεξάμενος δὲ Σωκράτης τὴν ἐπίδειξιν Στησιχόρου, οἰνοχόην ἔκλεψεν. οἷον δ' ἦν — ὑφαιρούμενον., et ad v. 180 Ἐκ τῆς παλαίστρας] Ὅμοιον

τῷ ὑπὸ Εὐπόλιδος ῥηθέντι περὶ Σωκράτους· Στησιχόρου πρὸς τὴν λύραν | οἰνοχόην ἔκλεψεν. *Hermannus* censet, versus fuisse choriambicos dimetros et sic distribuit:

δεξάμενος δὲ Σωκράτης
τὴν ἐπίδειξιν ...
Στησιχόρου πρὸς τὴν λύραν
οἰνοχόην ἔκλεψεν.

Recte: nisi quis omnino duos versus constituere malit, me non repugnante:

δεξάμενος δὲ Σωκράτης τὴν ἐπιδέξι' [ἐκπιὼν]
Στησιχόρου πρὸς τὴν λύραν οἰνοχόην ἔκλεψεν.

Ejusdem operae est, Scholiastae errorem τὴν ἐπίδειξιν, nondum quod sciam, animadversum et videre et corrigere.

Neque enim ἐπίδειξις significare potest κλῶνα δάφνης ἢ μυρρίνης, et tum quoque praestaret λαβών, quam δεξάμενος. Quin etiam convivae non cum lyra ramum manu tenebant, sed aut lyram, aut ramum sumebant: vide Ar. Nub. 1359 τὴν λύραν λαβόντ' ἐγὼ 'κέλευσα | ᾄσαι Σιμωνίδου μέλος — et v. 1368 ἀλλὰ μυρρίνην λαβόντα | τῶν Αἰσχύλου λέξαι τί μοι. At sumta lyra profecto primum libabant ac tum cantabant, quae l. l., palam conjuncta sunt τὸ καθαρίζειν, ᾄδειν τε πίνονθ'. Scribendum est τὴν ἐπιδέξι' exciditque ἐκπιὼν vel simile quiddam, ac potius hoc ipsum. Hoc res et sententia, illud etiam alius Eupolidis versus stabiliet apud Pollucem II, 159 Τὸ δὲ ἐπιδέξια δηλοῖ — παρὰ δὲ Εὐπόλιδι προπόσεώς ἐστι σχῆμα· Ὅταν δὲ (δὴ adde cum *Toupio*) πίνωσι τὴν ἐπιδέξια 38). Nullum erat negotium οἰνοχόην maxime i. e. illud vas, unde in pocula vinum defundi solebat, tum temporis surripere. Itaque totum locum sic puto transferendum esse: *Quum vero Socrates calicem dextrorsum traditum dextra accepisset atque ebibisset, Stesichori*

37) Hom. Il. I, 597 de Vulcano: αὐτὰρ ὁ τοῖς ἄλλοισι θεοῖς ἐνδέξια πᾶσιν | οἰνοχόει. Cf. Il. VII, 184. Odyss. XVII, 365.

ad lyram — vas vinarium furatus est. Nam et lusus ille verborum, *δεξάμενος — τὴν ἐπιδέξια* studio adscitus est, non fortuito natus, et ultima verba *οἰνοχόην ἔκλεψεν* praeter exspectationem illata sunt pro his *ᾖσε μέλος*, vel fortassis (id enim nescimus) pro his *ᾖσε μέλος, ἐν ᾧ οἰνοχόη κλέπτεται*. Hoc posterius si magis placuerit, comparari potest tetrameter Aristophanis,

ᾄσαι Σιμωνίδου μέλος, τὸν Κρῖον, ὡς ἐπέχθη.

Utramcunque rationem inieris, furtum tamen commisisse dicetur Socrates et ab Eupolide et vero etiam, quem locum Scholiasta cum versu Baptarum contulit, ab Aristophane Nub. 180.

κατὰ τῆς τραπέζης καταπάσας λεπτὴν τέφραν,
κύμψας ὀβελίσκον, εἶτα διαβήτην λαβὼν —
ἐκ τῆς παλαίστρας θυμάτιον ὑφείλετο.

Ludere quidem Comicum utrumque, non serio loqui, tam manifestum certumque est, quam non furem fuisse Socratem: veruntamen propriam quandam rem cavillationi isti subjectam esse, vel alteruter Comicus satis testatur, nunc vero hic tam mirabilis duorum consensus non loquitur, sed clamat. *F. A. Wolfius* quum etiam furtum inter juvenilia Socratis vitia referret, jocabatur sine controversia, nec insulse, sed a Socrate ipso quodammodo provocatus. Dicitur enim Socrates, quum Zopyrus multa foedaque in eo reprehendisset, quae nemo unus agnoscere posset, mirantibus caeteris, qui aderant, atque etiam irridentibus, ipse benigne physiognomonem laborantem adjuvisse docuisseque, vitia ista insita sibi esse, vel potius innata, sed vitiosam naturam disciplina edomitam a se esse et compressam 39). Non magis crediderim, in Socratem id translatum esse, quod Chaerephon, in *Δρύμασιν* Aristophaneis is quidem *κλέπτης* dictus, admisisset. Nam ne Comici quidem cogere homines aut solent aut possunt, ut aliorum quamvis necessariorum vitia praestent innocentes. Praeclare vero, si quid est in me judicii,

39) Cicero de fato c. 5 et alibi.

vidit *Suevernius* De Nub. p. 17 sq., hanc Comicorum consensionem ortam esse e sermone quodam hominum in urbe Athenis diu multumque agitato.

Socrati enim, qui saepenumero aliud agebat animo a consuetudine rerum abducto avocatoque ad subtiles cogitationes, facile id potuit accidere, ut supellectilem vestemve aut alienam inscius atque imprudens arriperet, aut vilissimam suam cum pretiosa alterius commutaret. Fac hujus rei famam cito Athenis percrebuisse diuque per ora hominum traductam esse; fac Socratem in facetum hominem incidisse, cui quum imprudentiam suam accuratissime excusasset, mox totam per urbem fabula fieret, quum nimia diligentia sua, tum scurrili alterius lepore: quaeso, quid tandem habet admirationis, Comicos, qui vulgi sermones cupidissime excipere consuessent, hanc rem tam et sibi commodam et spectatoribus jucundam dimittere noluisse. Ac si forte Socrates vestem alienam e palaestra invitus sustulerat et si omnis ille sermo hoc potissimum errore, quasi quodam fundamento nitebatur, haud sciam, an omnium Codicum lectio in Nubium versu

ἐκ τῆς παλαίστρας ἱμάτιον ὤφείλετο.,

optime defendi possit. Sed non id nunc agimus. Secundus locus, quem ad Baptas pertinere censeo, Luciani est, eoque jam antea mihi usus esse videor, in Piscatt. c. 25 *ὥσπερ ἀμέλει καὶ πάλαι ἔχαιρον Ἀριστοφάνει καὶ Εὐπόλιδι. Σωκράτην τοντονὶ ἐπὶ χλευασίᾳ παράγουσιν ἐπὶ τὴν σκηνήν, καὶ κωμῳδοῦσιν ἀλλοκότους τινὰς περὶ αὐτοῦ κωμῳδίας. Καίτοι ἐκεῖνοι μὲν καθ' ἑνὸς ἀνδρὸς ἐτόλμων τὰ τοιαῦτα, καὶ ἐν Διονυσίοις, ἐφειμένον αὐτὸ δρᾶν.* Principio male *ἔχαιρον*, quod ut in Eupolin cadat, de Aristophane tamen obtineri non potest. Deinde proxima verba argumento sunt, Socratem ut in Aristophane, sic etiam apud Eupolin in scenam ipsum progressum esse, id quod praeterea e fragmentis patet duobus. Deinceps a vero aliena incredibilis ac prope monstruosa (*ἀλλόκοτος*) aptius etiam ea Baptarum pars dicitur, in qua Socrates ludificatus est, quam eadem pars Nubium priorum: de secundis enim

non recuso. Postremo v. *καὶ ἐν Διονυσίοις* nullo modo immutanda sunt. Tametsi enim *καὶ ἐν διονύσου* in Cod. Gorlicensi invenimus, ut fere etiam Editio Princeps, tamen res ipsa postulat, ut lectio plerorumque Codicum, etiam Florentini, omnium antiquissimi, retineatur. Nam et continuo haec subsequuntur, *καὶ τὸ σκῶμμα μέρος τι ἐδόκει τῆς ἑορτῆς* et vero etiam Dionysiis, non Lenaeis, ambas fabulas scimus datas esse, tum Nubes I, tum Baptas. Tertium locum acceptum referimus Etymologo 18, 10 *διὸ καὶ ἀδολέσχας τοὺς φυσικοὺς ἐκάλουν, λέγει δ' Ὡρίων· καὶ Σωκρατην πτωχὸν ἀδολέσχην ἔφη Εὔπολις· καὶ ἐν ἄλλοις· Ἀδολεσχεῖν αὐτὸν ἐκδίδαξον, ὦ σοφιστά.* De superiore fragmento statim dicetur. In altero *ἀδολεσχεῖν* fertur Socrates et *σοφιστὴς* salutatur, nominibus pervagatis. Tetrametrum sic restituere licet,

Ἀλλ' ἀδολεσχεῖν αὐτὸν ἐκδίδαξον, ὦ σοφιστά.

Sed multo malim ita corrigere,

Ἀοιδολεσχεῖν αὐτὸν ἐκδίδαξον, ὦ σοφιστά.

Nam Phrynichus Bekkeri, quum disputaret de verbis *ἀδολεσχεῖν* et *ἀδολέσχης* p. 21, 30 — 22, 5 diserte commemoravit *ἀοιδολέσχης*, quod verbum aliunde sumsit, non ipse fabricatus est. In hoc autem versu aliquis vel simpliciter jussit Socratem de rerum natura disserere et istam artem qua tantopere delectaretur, alium edocere, vel etiam hoc voluit: noli ea curare quae nihil ad te attinent, tuum potius age negotium ac physica doce, sophista. Ita Bacchus in Ranis v. 107 Herculi de arte tragicorum docenti longeque ad aliena aberranti hoc praecipit: *δειπνεῖν με δίδασκε.* Restant verba Etymologi *καὶ ἐν ἄλλοις*, de quibus sic habendum. Parum credibile est, Socratem in duabus Eupolidis fabulis exagitatum esse. Istud vero fieri non potest, ut in duabus fabulis inter personas ipsas conspectus sit. Scholiasta enim, *Εὔπολις*, inquit, *εἰ καὶ δι' ὀλίγων ἐμνήσθη Σωκράτους.* Verum enim *ἐν ἄλλοις* tantummodo est *alibi*, quod cadere potest in fabulam eandem. Donatus ad Ter. Andr. III, 3, 2. *Sic alibi* „Byrrhia, quid tibi videtur? adeon ad

eum? " Scilicet in eodem dramate II, 1, 15. Hujus grammaticorum usus nisi tot haberemus exempla, quid impediret, quo minus Etymologum errasse putaremus, una fabula opinionis commento in duas divisa, quum iidem grammatici formulis *καὶ πάλιν* et *καὶ αὖθις* interdum unam faciant fabulam ex duabus 40)? Quartus denique locus partim ex Olympiodoro hauriendus est ad Plat. Phaedon. p. 175 Wyttenb. *ὁ γὰρ Εὔπολις φησὶ περὶ τοῦ Σωκράτους· Τί δῆτα ἐκεῖνον τὸν ἀδολέσχην καὶ πτωχόν, ὅ τ' ἄλλα μὲν πεφρόντικεν· ὁπόθεν καταφαγεῖν ἔχοι, τούτου δὲ κατημέληκε*, partim ex Etymologo l. l., partim etiam e Proclo MS. Comm. in Plat. Parmenidem ap. *Ruhnkenium* ad Xen. Memorab. I, 2, 31: *αὐτὸν μὲν τὸν Σωκράτην πτωχὸν ἀδολέσχην καλούντων τῶν κωμῳδοποιῶν καὶ τοὺς ἄλλους δὲ ἁπαξάπαντας, καὶ τοὺς ὑποδυομένους εἶναι διαλεκτικούς, ὡσαύτως ὀνομαζόντων· Μισῶ δὲ καὶ Σωκράτην τὸν πτωχὸν ἀδολέσχην* —. 41). In hoc loco restituendo multi multa errarunt, veluti *Wyttenbachius* l. l., *Meinekius* Cur. Crit. p. 60 sq., *Dobreus* ad Ar. Plut. v. 361, *Reisigius*

---

40) V. ad Daetal. p. 79.

41) *Runkelius* p. 224 „Doctissimus Guil. Dindorfius me admonuit fragmentum Eupolidis ita potius restituendum esse: *Μισῶ δὲ κἀγὼ* (vel *καὶ τὸν*) *Σωκράτη, τὸν πτωχὸν ἀδολέσχην* | *Ὃς τἄλλα μὲν πεφρόντικεν* — — — | *Πόθεν δὲ καταφαγεῖν ἔχοι, τούτου κατημέληκε.*" Quidquid veri est in hac omni ratione, id *Dindorfio* ademtum *Hermanno* reddemus, quem vide ad Schol. Nub. v. 360 p. 272 ed. II. Quo enim tempore *Dindorfius Runkelium* admonuit, altera *Hermanni* editio jam dudum lucem viderat, laudata illa a *Runkelio* p. 138 et alibi. *Hermannus* igitur, qui nunquam alienis utitur pro suis, nisi forte imprudens, quid *Dindorfius* sentiret, scire omnino non poterat: at *Dindorfius* tum poterat non nescire de *Hermanno*. Ea vero, in quibus *Dindorfii* conjectura ab *Hermanno* declinat, vitiosa sunt ad unum omnia. Probat ille vel *κἀγὼ Σ.*, vel *καὶ τὸν Σ.*, in quorum altero particula inepta est, in altero incommodus articulus, scribit *Σωκράτη* forma Platonica, sed inusitata apud Aristophanem, credo etiam Eupolin, substituit etiam *Πόθεν* pro *Ὁπόθεν*, incertum quam ob causam.

in Praefat. Nub. p. XXVIII., quorum turbulentos errores afferri nihil est necesse. Sed egregie, quo dixi loco, *Hermannus:*

μισῶ δ' ἐγὼ καὶ Σωκράτην, τὸν πτωχὸν ἀδολέσχην,
ὃς τἄλλα μὲν πεφρόντικεν . . . . . .
ὁπόθεν δὲ καταφαγεῖν ἔχοι, τούτου κατημέληκεν.

Aliquid praeterea paullo rectius constituere nunc summa rei inventa, perfacile est. Primum Olympiodori verba *Τί δῆτα ἐκεῖνον* nolim praetermissa. Quod enim *Dindorfius* e Nub. 180 *τί δῆτ' ἐκεῖνον τὸν Θαλῆν θαυμάζομεν;* ea repetit, fallitur profecto. Hoc est praecepto per se optimo infeliciter uti. Quid enim Olympiodoro in opinionem venit, ut oblitus de Socratis studio rerum naturalium agi versibus Eupolidis particulam versus ad Thalem unice pertinentis praeponeret? Proclus verbi causa post v. *ἀδολέσχην* ad Tagenistas subito transiluit, sed fallente argumenti similitudine. Deinde lacunam illam in versu secundo eo magis improbandam esse censeo, quoniam sententia nihil admodum monstrat, quod excidisse videatur. Jam vero Eupolis in Maricante trimetros cum jambo dimetro alternis consociavit:

Υ. Ἠκούσατ' ὦ συνήλικες,
Ἐπ' αὐτοφώρῳ Νικίαν εἰλημμένον;
Π. Ὑμεῖς γὰρ, ὦ φρενοβλαβεῖς,
Λάβοιτ' ἂν ἄνδρ' ἄριστον ἐν κακῷ τινι.

Similiter autem in Baptis dimeter jambus atque tetrameter invicem ponuntur scripseratque Eupolis in hunc fere modum:

α. τί δῆτ' ἐκεῖνον [αὖ λέγεις;] (vel *ἐκεῖνος αὖ δοκεῖ;*)
β. μισῶ δ' ἐγὼ καὶ Σωκράτην, τὸν πτωχὸν ἀδολέσχην,
ὃς τἄλλα μὲν πεφρόντικεν,
ὁπόθεν δὲ καταφαγεῖν ἔχοι, τούτου κατημέληκεν.

Perventum est ad jucundissimos quosdam Baptarum versus, in quibus Socratem quasi per transennam mihi videor adspicere. Nam quum Socrates apud Eupolin, ut opinor, Baptis mollitia flagitiisque nihil cessisset et multa commisisset, quae aliis divinanda relinquo potius, quam ipse

conjectura assequor: comprehensus ab alio poenas dedit acerbas, sive quis eum ejiceret forasque proturbaret sive male mulcaret et verberibus caederet. Complures autem obtestationes continuo ordine se excipiunt, persimiles illae Socratis juri jurando canino et platanico, *ναὶ μὰ τὰς νύμφας* (hic fortasse invocantur nymphae, quae Cotytto deam comitatae erant, quasi quaedam satellites) *ναὶ μὰ τὰς κράμβας* (saepius juratur, apud Comicos maxime, per brassicam, sive a vatibus, sive quod huic herbae vis inesse putabatur pessimas magorum artes avertendi, qui carmina incantassent) et *ναὶ μὰ τὴν ἀμυγδαλῆν.* Nunc locos ipsos adscribam. Priscianus Heliodorum, ut videtur sequutus, De Metr. Terent. II p. 414 ed. Kr. Eupolis *Βάπταις*, cum in aliis iambis ejusdem fabulae recta est observatione metrorum usus, hos tamen posuit in fine habentes spondeos:

Ἀνόσια πάσχω ταῦτα, ναὶ μὰ τὰς νύμφας.
Β. Πολλοῦ μὲν οὖν δίκαια, ναὶ μὰ τὰς κράμβας.

Πολλοὶ μὲν οὖν ut vulgo, edd. Putsch. et Krehl., sed *Πολλοῦ μὲν οὖν* Codex Lindemanni, quod omnium primus, quantum sciam, in fidem accepit *G. Dindorfius* et ad Athenaeum et ad Aristidem Vol. II p. 325, comparatis Ar. Nub. 914 *θρασὺς εἶ πολλοῦ* et aliis quibusdam. Vulgata lectio *Πολλοὶ* videtur esse *Πολλῷ*. Heliodorus autem et Priscianus si, ut sane videntur, scazontes istos negligentiae Eupolidis atque inertiae assignant, a vero aberrant longissime. Nec si Anacreon, quemadmodum iidem testantur, in senario quartum posuit spondeum hoc exemplo, *Ὁρᾶν ἀεὶ λίην, πολλοῖσι γὰρ μέλεις.*, lyricus non justa de causa tritam viam reliquit. Nec denique Choeroboscus recte statuit in Bekk. Anecd. p. 1176 de senario Rhintonis hoc: *Ἱππώνακτος τὸ μέτρον οὐδέν μοι μέλει.*; neque enim *Ἱππ.* paenultimam brevem habet, sed longam: consulto autem hoc vitium admisit Rhinton, significans, spondeum vel trochaeum trimetri Hipponactei in ultimo pede haud minus in vitio esse, quam foret in secundo. Eadem, ut opinor, *Hermanni* fuit sententia in Opusc. Tom. II p. 259.

Hermannus vero in Elem. D. M. p. 48 ita judicat, Eupolin de industria dedisse versus Hipponacteos, respondentes sibi, viderique se ad imitationem Hipponactis composuisse, sive potius Ananii, ex quo Athenaeum p. 370, b haec afferre:

καὶ σὲ πολλὸν ἀνθρώπων
ἐγὼ φιλέω μάλιστα, ναὶ μὰ τὴν κράμβην.

Rectissime *Hermannus:* ad imitandum vero Ananium impulsus est Eupolis sive solo risus excitandi studio, in quo genere nova atque inusitata captari solent, sive metrorum imperitiae in Socrate reprehendendae cupiditate, sive alia quacunque demum causa. Tertium versum et Herodianus prodidit *περὶ μον. λέξ.* p. 6, 24 *ἀμυγδαλῆ.* — *Εὔπολις Βάπταις· ἀλλεξομέλεις με, ναὶ μὰ τὴν ἀμυγδαλῆν.* et Athenaeus in Epit. II, 53, a *Εὔπολις· Ἀπολεῖς με, ναὶ μὰ τὴν ἀμυγδαλῆν.* Hic vulgo *ἀμυγδάλην*, *ἀμυγδαλῆν* Cod. Epitomes, *Dindorfius*, Herodiani et Athenaei lectionibus in unum conjunctis, legi volebat *ἀλλ' ἐξαπολεῖς* —, *Runkelius* autem conjiciebat *ἀλλ' ἐξολεῖς* —. Bene *Runkelius*, at *Dindorfius* non bene. Nam Herodianus certe invenerat *ἀλλ' ἐξολεῖς με* —, Athenaeus vero, quum scriberet *Ἀπολεῖς με*, proximum Eupolidis versum cum hoc nostro commiscit. Jam *ἀμυγδαλῆ*, vel quomodocunque scribatur (nam de accentu in multos partes disputarunt grammatici Alexandrini, alii scribentes *ἀμυγδαλῆ*, alii *ἀμυγδάλη*, alii alia probantes) *ἀμυγδαλῆ* igitur paenultimam alias ubique habet brevem. Sed Eupolis fortasse joco scripserat *ἀμυγδάλλην:* nam caeteri tres versus Hipponactei sunt, non vulgares trimetri. *Ἀμυγδάλλη* enim, monstrum nescio quod, e Socratis ore, mirifici verborum artificis exire omnino poterat: quemadmodum idem vir caetera eximius in Nubibus portenta loquutus est, *ἀλεκτρύαινα, ἡ καρδόπη*, similia. Postremo Athenaeus IX, 370, b *Εὔπολις Βάπταις*, inquit, „*Ναὶ μὰ τὴν κράμβην.*“ Quid igitur Athenaeum censes? num Eupolin confudisse cum Ananio? Cave hoc dixeris: minime erravit Athenaeus, sed partem ejus senarii Eupolidei

apposuit, qui jusjurandum Socratis *ναὶ μὰ τὴν ἀμυγδάλην* proxime sequutus erat. Eupolis enim ita fere scriptum reliquit:

(Σ.) *Ἀνόσια πάσχω ταῦτα, ναὶ μὰ τὰς νύμφας.*
B. Πολλοῦ μὲν οὖν δίκαια, ναὶ μὰ τὰς κρόμβας.
(Σ.) *Ἀλλ' ἐξολεῖς με, ναὶ μὰ τὴν ἀμυγδάλλην.*
B. [*Ἐγά σ' ἀπολῶ μάλιστα,*] *ναὶ μὰ τὴν κράμβην.*

Nunc tandem comicas totius loci virtutes unumquemque spero, vel non admonitum, puncto temporis facile percepturum. De ultimo versu, quem partim ipse excogitavi, tantum dico, primo esse venustum et ob concinnitatem verborum *ἐξολεῖς* atque *ἀπολῶ*, et magis etiam ob vocem *μάλιστα: Nempe enimvero ego te perdam, ita me amet Brassica*, deinde inserta voce *ἀπολῶ* Athenaei errorem in superiore versu legentis *ἀπολεῖς με* planissime explicatum esse, denique, quod summum est, idque opinioni meae multum auctoritatis adjiciet, totum versum argutissime respondere scazonti, quem ipsum certe imitatur Eupolis, Ananii,

Καὶ σὲ πολλὸν ἀνθρώπων
ἐγὼ φιλέω μάλιστα, ναὶ μὰ τὴν κράμβην.

De propria parabasi, qui alio nomine Anapaesti vocantur, Scholiastae quidam integrum versum nobis reliquum fecerunt cum dimidia parte alterius: unde discimus, Eupolin hunc locum Baptarum suo potissimum versu pertexuisse, id est Eupolideo. De rixa inter Aristophanem et Eupolin, cui Equites materiam dederant, supra sic exposui, ut et quanam fortuna inter eos agitata esset, ostenderem, et illud quaererem, quid Eupolidi objectum esset ab Aristophane. Nunc contra, quid Aristophani ab Eupolide crimini versum sit, quaeram, vel potius demonstrabo: possumus enim rem tam liquido confirmare, tamque certam de ista rixa sententiam ferre, ac si ipsi praesentes olim interfuissemus. Sed primo Scholiastarum locos transscribam, ad Nub. 550 *Ἐκστρέψας*] *Πάντα τὰ ἐμά, φησίν, ἔλαβεν. Εὔπολις δὲ ἐν τοῖς Βάπταις τοὐναντίον φησίν,*

ὅτι συνεποίησεν Ἀριστοφάνει τοὺς Ἱππεῖς. λέγει δὲ τὴν τελευταίαν παράβασιν. φησὶ δέ· κἀκείνους τοὺς Ἱππέας | συνεποίησα τῷ φαλακρῷ τούτῳ κἀδωρησάμην. Ἀριστοφάνει *Kusterus* pro Ἀριστοφάνης. Tum vulgo, φησὶ δὲ κἀκεῖνος, τοὺς Ἱππέας συνεποίησα τῷ φαλακρῷ ἐδωρησάμην. Aldina ἀδωρησάμην; sic etiam Juntina II. Schol. ibid. ad v. 536 τοὺς φαλακροὺς) Εὔπολις· ἔσκωψα τοὺς φαλακροὺς (verba Aristophanis), τοῦτο δ' ἐδωρησάμην. Hic quoque et Aldina et Juntina II ἀδωρησάμην. Emendati sunt hi versus ab *Hermanno*, partim etiam a *Porsono* Advv. p. 286. Versus esse Eupolideos non fugit *Meinekium* ad Menandr. p. 259, qui tamen in Menandro Eupolidei versus reliquias rimari non debebat. Recte *Dobreus* in Addend. ad Nub. v. 518 aliter sentit. Nam Eupolideo metro novae Comoediae poëtae ne usi quidem sunt unquam, certe non Menander aut Philemon. Ut hanc omnem rem quasi in tabula expositam videre possis, exordiar a Cratino ap. Schol. Eqq. v. 529 ταῦτα ἀκούσας ὁ Κρατῖνος ἔγραψε τὴν Πυτίνην, δεικνὺς ὅτι οὐκ ἐλήρησεν ἐν οἷς κακῶς λέγει τὸν Ἀριστοφάνην, ὡς τὰ Εὐπόλιδος λέγοντα. Scilicet Cratinus (hoc enim recte pro certo sumere licebit) in Pytine Ol. 89, 1 magnis Dionysiis data, vetuerat spectatores mirari, quod anno proximo superiore suae fabulae Σατύροις Equites antepositi essent. Neque enim hanc comoediam, ut ipsum videri velle, solum composuisse Aristophanem, sed Eupolidis opera et consilio licenter abusum esse: ac nimirum pulcherrimos quosque locos esse Eupolidis. Cedo, unde audita haec retulit Cratinus? Nempe Eupolis, quum vidisset, victoriam ab Aristophane reportatam et primum locum praemiumque tributum esse Equitibus, multis sedulo narraverat, Equites, omnino praeclaram Comoediam, non ab Aristophane magis, quam a semet ipso esse confectam. Aliquid sane causari Eupolis poterat, neque ista criminatio ejus plane de nihilo ficta videbatur, sed tamen nequaquam tantum in re, quantum Eupolis ipse loquebatur. Gravissima sunt illa verba Scholiastae, λέγει δὲ τὴν τελευ-

τὴν παράβασιν, hoc est, *Eupolis in illo Baptarum loco arrogat sibi posteriorem parabasin Equitum*, vv. 1261 *Τί κάλλιον ἀρχομένοισιν* — v. 1312 *τοὺς λύχνους καθελκύσας.*, sive totam illam, sive certam ejus partem. Tametsi enim clarum et perspicuum est, Eupolin, quum versus a sua manu profectos monstraret, alteram, quam dixi, Equitum parabasin verbis adeo non ambiguis designasse, ut alius locus legenti nullus occurrere posset: tamen illud etiam requirimus, utrum dixerit Eupolis, se ποιῆσαι eam, an συμποιῆσαι, utrum inquam, omnem illam parabasin, an tantummodo partem ejus suam vindicarit. Sed primum ode sive strophe certissime est Aristophanis: nam et locus Acharn. v. 820 (854 sqq., et alius aut Babyloniorum aut Daetalensium signis minime obscuris notantur, de qua re dictum est ad Daetal. p. 100.

Non magis dubitandum est, quin epirrhema, quod sequitur, ad Aristophanem auctorem referre debeamus. Hic enim poëta ab Arignoto amico, veniam petit, propterea quod Ariphradem, fratrem illius nomine magis, quam re, hominem profligatissimis moribus, probri insimulaturus sit 42). Atqui vix credibile videbitur, Eupolidis quoque, prorsus ut Aristophanis, Arignotum amicum fuisse, inimicum vero Ariphradem. Denique tam in Epirrhemate, quam in Strophe spirat bene cognita mihi et multum adamata Aristophanis Musa. Verum de Antistropha ac de Antepirrhemate longe aliter puto sentiendum esse. Principio Antistropha, si totam contemplari volueris, caret illa Aristophanis facilitate habetque obscuriorem quandam orationem, quomodo fere solet Eupolis, sin autem singula spectaris, multa in tam brevi spatio invenies, quibus Aristophanes vel abstinuit, ut verbis ἐννύχιος, ἐρέπτεσθαι, forma ἀνέρες, vel semel bisve usus est omnino, ut verbis διαζητεῖν, σιπύη, ἔχειν id ut sit,

42) Tamen hoc loco graviter offensum esse Arignotum nullamque Aristophani veniam dedisse, e Vespis v. 1275. mihi videor posse colligere.

divitem esse. Postremo Antepirrhema non modo lenius dulciusque fluere concedo, verum etiam sententiam ejus ipsam tam praeclare fateor inventam esse, ut id Aristophani meo de manibus excuti prope doleam. Veruntamen meminerimus, eum, qui hic acerbissime laedatur, esse Hyperbolum, nimirum hominem eum, quem oderat quidem etiam Aristophanes, sed paucis fere leviusque perstrinxit (neque enim, ut opinor, homunculum istum satis dignum putabat, quocum inimicitias exerceret, praevidebatque eum de statu suo mox dejectum iri, Nub. 547 sqq., Pac. 685 sqq.): at contra Eupolis Hyperbolum ubique insectatur, tantopere ei infensus est, ut internecivum quoddam ejus odium concepisse videatur, totas denique in eum unum, debilitatum jam, scribit Comoedias. Quid, quod Eupolidis de hac omni re sententiam, qualis fuerit, explicare licet Eupolidis ipsius testimonio. Nam Scholiasta ad Eqq. 1288 haec scripsit: *φροντίσι συγγεγένημαι*] *ἐκ τοῦ „ὅστις οὖν τοιοῦτον ἄνδρα“ φασί τινες Εὐπόλιδος εἶναι τὴν παράβασιν, εἴγε φησὶν Εὔπολις „ξυνεποίησα τῷ φαλακρῷ.“* At nemo credet, in medio et epirrhemate et vero etiam in sententia media repente substitisse atque cessasse Aristophanem. Non intellexerat scholiasta, quid sibi vellet grammaticus Alexandrinus, unde hanc rem acceperat. Grammaticus enim dixerat, Eupolidi a multis assignari hunc locum v. 1287 *Ἡ πολλάκις ἐννυχίαισι* — v. 1312 *τοὺς λύχνους, καθελκύσας.* Quocirca Scholiastes bene quidem lemma praefixit *Ἡ* (hoc enim adde) — *φροντίσι συγγεγένημαι,* sed male idem perrexit, *ἐκ τοῦ, „ὅστις οὖν τοιοῦτον ἄνδρα“*: his enim versibus *ὅστις οὖν τοιοῦτον ἄνδρα — πίεται ποτηρίου* finiebatur Aristophanis opera, qua conclusa statim subsequebantur versus Eupolidis studio elucubrati *Ἡ πολλάκις ἐννυχίαισι —*. Quod quum ita sit, liquet, Eupolin ipsum in Baptis palam ac dilucide sibi adscripsisse hos versus, Eqq. 1287 *Ἡ* — v. 1312 *καθελκύσας.* Nos vero faciles simus in suum cuique tribuendo concedamusque, vere hoc tum dixisse Eupolin, quem non puto tanta

fuisse impudentia, ut quum versus ipsos accuratissime monstrasset, mentiretur tamen ageretque calumniatorem. Persuasum habeo, Comicos quum caeteros, tum etiam Aristophanem, fabula jam prope perfecta omnium ultimam Parabasin scripsisse aut unam aut duplicem: cujus rei alterum praeter Equites exemplum Nubes II suppeditant. Jam vero Aristophani, quum in eo esset, ut Equites doceret, multa simul agenda erant, idcirco quoniam tum ipse, quum nullus comoedorum Cleonis partes in se ausus esset suscipere, histrioniam facere Aristophanes cogebatur. In tantas igitur temporum angustias adductus Eupolin ingenue rogavit, tum quidem amicum amicus, ut istam molem negotiorum parumper sublevaret atque Antistropham et Antepirrhema posterioris parabasis scriberet ipse et expoliret.

Hoc fecit quidem Eupolis, sed paullo post vulgo plurimos certiores fecit, aliquam illius fabulae partem a se compositam esse: neque enim satis habuit, victoriae gloriam Aristophani invidere, nisi ipse quoque ejus particeps factus esse videretur. Jam primum hoc est minuti cujusdam animi, officium alteri praestitum publice jactare verbisque ultra modum amplificare: quod quum neminem deceat, tum omnium minime collegam. Aristophanes enim, qua erat liberalitate, lubenter gratias retulisset atque collegae suo id offici aut eadem reddidisset mensura, aut etiam majore: nisi forte jam tum Eupolis beneficii gratiam non potius inibat, quam Aristophani reddebat debitam. Denique ista Eupolidis criminatio, licet vera ex parte, tamen haud longe abest a malevoli hominis obtrectatione. Neque enim ob istos versus alterius parabasis praemium Aristophani decretum est, quum illa parabasis tota cum argumento Equitum ne cohaereat quidem. Praestitisset certe, tam tenue beneficium omnino non in Aristophanem conferre, quam vix collatum ei ita exprobrare, ut etiam aliena laus in beneficum collegam mireque officiosum transferri videretur. Talem quum se Eupolis praebuisset, quis tandem Aristophani jure suc-

censeat, post illa tempora non solum Eupolin constanter a se segreganti, sed etiam id studenti, ut Eupolin eum, qui collegae voluntatem tantopere a se alienasset, demonstraret, ex his ipsis Equitibus, optima Aristophanis Comoedia, tres alias easque longe pessimas consuisse, ita ut Eupolis verissime dici posset Aristophani Equites furatus esse. Sed finiam tandem hunc locum, si pauca quaedam adjecero. Quo gravius affligeretur Alcibiades, Inter Socraticos *notissima fossa* cinaedos, videtur Eupolis Alcibiadi Baptae eos maxime nomine Baptarum socios adjunxisse, qui non modo ob turpissimas libidines infamia flagrarent, verum etiam inquilini cives exterive vel essent, vel certe putarentur. Nihil enim ad naturam rei accommodatius fingi poterat, quam ut peregrina ista sacra Cotyttus Alcibiades una cum peregrinis hominibus curare diceretur. Quare non dubito, quin Baptarum partes tributae sint etiam Chaereae, Bastae Chio, Archedemo. Nam Aristophanis verba Vesp. 687 *μειράκιον — κατάπυγον, Χαιρέου υἱός* sic illustrat Scholiasta, *οἷον οὐδὲ γνήσιος πολίτης· τὸν γὰρ Χαιρέαν Εὔπολις ἐν Βάπταις ὡς ξένον κωμῳδεῖ.* Quodsi pathicus iste adolescens moribus quoque patris sui non dissimilis erat, si dici poterat *τοῦ πατρὸς νεόττιον*, ut Aristophanes vel sicuti gravissime Aeschylus, *κάρτα δ' εἰμὶ τοῦ πατρός:* tum certe Baptae persona majorem in modum Chaereae conveniebat. De Democrito testatur Hesychius, *Βάστας ὁ Χῖος: Δημοκρίτου ἐπώνυμον, καθὰ καὶ Εὔπολις ἐν Βάπταις. ἔστι δὲ ἱστοριογράφος.* Lucianus Pseudolog. c. 3 — *καὶ δόξαν οὐ μικρὰν ἔχεις ἐπ' αὐτοῖς ὑπὲρ τὸν Ἀριφράδην, ὑπὲρ τὸν Συβαρίτην Μίσθωνα, ὑπὲρ τὸν Χῖον ἐκεῖνον Βάπταν, τὸν ἐπὶ τοῖς ὁμοίοις σοφόν.* Apparet, hic *Βάσταν* minime mutandum esse. Magis ignosco eis, qui *Βάσσος* Adv. Indoct. c. 23 in dubitationem vocarunt. Sed verius est, Bassum ejusdem quidem farinae hominem fuisse, sed tamen personam a Democrito nostro penitus diversam nuper post *Belinum* statuit *Lehmannus.*

Praeclare vero *Hemsterhusius Albertium* monuit, in

Eupolide Democritum intelligi, non philosophum Abderitanum, sed *Musicum Chium*, cujus etiam Diogenem Laertium meminisse IX, 49. Ille quidem grammaticus, unde accepta Hesychius propagavit verba *ἔστι δὲ ἱστοριογράφος*, haud dubie non nobilem illum philosophum, sed historicum Democritum a Comico perstringi putabat, errore vel maximo. Nam philosophus tamen et scripsit de historia, et fuit ejusdem temporis. Contra historicus et aliquanto post vixit, ut patet e Diogene, et fuit natione Ephesius, testante Athenaeo XII, 525, c et longissime aberat ab ejusmodi flagitiorum opinione. Contra musicum Democritum et Chium fuisse scimus et musicae dignitatem imminuisse numerosque et modos fecisse molliores, et Eupolidis vixisse temporibus. Et hoc quidem tum e Diogene intelligitur, qui Democritos duo, philosophum Abderitanum (vel Milesium) et Chium musicum aequales fuisse dixerit; tum etiam ex illo veteris Comici tetrametro,

Αὐτὸς δείξας, ἐν Θ' ἁρμονίαις χιάζων ἢ σιφνιάζων,

sive is Aristophanis, sive alius poëtae censendus est 43).

43) Dixi jam supra, istum versum *Αὐτὸς δείξας — σιφνιάζων* alius cujusvis veteris Comici non minus probabiliter existimari posse, quam Aristophanis. Scilicet hoc mihi volo. Suidas haec habet, *Χιάζειν: Πραξιδάμας Δημόκριτον τὸν Χῖον καὶ Θεοξενίδην τὸν Σίφνιον πρώτους ἐπὶ χρώματος τάξαι τὴν ἰδίαν ποίησιν ὡς Ἰσοκράτης ἐν τοῖς πρὸς Εἰδοθέαν. ὡς παρ' Ἀριστοφάνει τεταγμένον· ὑποτείνει δέ τις αὐτὸν βωμολοχεύσαι, Αὐτὸς δείξας ἐν ἁρμονίαις χιάζων ἢ σιφνιάζων.* Scribe cum *Hermanno*, *ὡς Σωκράτης ἐν ταῖς πρὸς Εἰδόθεον παρ' Ἀριστοφάνει τεταγμένον ὑποφαίνει εἰ δέ τις* — et praeterea *εἰ δέ τις αὐτῶν βωμολοχεύσαιτ'* e Nub. v. 970. Cum Suida conferendus est Pollux IV, 66 *τὸ μέντοι σιφνιάζειν καὶ χιάζειν τὸ περιέργοις μέλεσι χρῆσθαι, ἀπὸ Δημοκρίτου τοῦ Χίου καὶ Φιλοξένου τοῦ Σιφνίου, ὃς καὶ Ὑπερτονίδης ἐκαλεῖτο. Καὶ Φρῦνιν δὲ τὸν Κάμωνος μέλεσι τοῖς πολυκαμπέσι, τοῖς ὑπὸ τῶν κωμῳδῶν δυσκολοκάμπτοις κληθεῖσι* (scilicet Nub. 971) *κεχρῆσθαι λέγουσι.* Hic igitur Pollucem videmus cum Democrito et Philoxeno Phrynin ita conjungere, ut Phrynidis causa hunc ipsum locum designet Nub. 971. Idem vero valere contendo etiam de Suidae loco,

Quaenam vis fuerit cognominis probosi *Βάστας*, quod cum verbis *βαστάζω*, *βάσταξ* et *βαστακτὴς* cohaeret, et bajulum significat, non disputo. Praeterea Eupolis forsitan luserat in nominibus *Βάπτης* atque *Βάστας*. Restat Archedemus, ut de omnibus dictum esse videatur. Hunc Aristophanes in Ran. 418 sqq. ita illudit, ut eum usu magis, quam legibus civem Atticum factum esse confirmet adjungatque, eum jam pro demagogo se gerere, improbo illo et tamen potente. Hic Scholiasta, *οὗτος δὲ ὡς ξένος κωμῳδεῖται· καὶ Εὔπολις Βάπταις „ἐπιχώριος δὲ ἐστὶ καὶ ξένης ἀπὸ χθονός.“* Male nonnulli *ἐστὶ* delebant; recte *Runkelius* *δὲ* expunxit falso e superioribus repetitum. Quam apte vero Eupolis communi Baptarum nomine Alcibiadem et Archedemum complexus sit, perspici potest e luculento quodam Lysiae loco. In Alcibiad. I, p. 160 ed. Foertzsch. *οὗτος γὰρ* (Alcibiades) *παῖς μὲν ὢν παρ' Ἀρχεδήμῳ τῷ γλάμωνι, οὐκ ὀλίγα τῶν ἡμετέρων ὑφῃρημένῳ πολλῶν ὁρώντων ἔπινεν ὑπὸ τῷ αὐτῷ ἱματίῳ κατακείμενος,*

---

qui grammaticus antiquioris grammatici sententiam turpiter mutilavit. Nam nostri Nubium versus ad Phrynin unice pertinent, ille autem *Αὐτὸς δείξας — οιφνιάζων* ad reliquos duo. Quamobrem ut tetrameter *Αὐτὸς δείξας* — forte fortuna et ipse Aristophanis sit (id enim maxime dubium est), nullo tamen modo aut e Nub. 970 sumtus est, aut omnino e Nubibus. Ergo pessime errarunt *Valckenarius*, *Brunckius*, *Porsonus*, tetrametrum istum pone locum Nub. 970 temeraria conjectura infercientes: a quibus etiam verba arctissime connexa *ἢ κάμψειέν τινα καμπήν, | οἵας οἱ νῦν τὰς κατὰ Φρῦνιν ταύτας τὰς δυσκολοκάμπτους.* divelli potuisse miror. *Hermannus* nuper quum illud subtiliter demonstravit, ne posse quidem illum versum isto loco reponi propter sententiam valde alienam, tum conjecit, a Suida aut Socrate vel poëtarum diversorum, vel diversarum fabularum locos temere confusos esse, aut in priore Nubium editione scriptum hunc versum fuisse. Hoc unum nolim dictum: caetera autem maximopere probo. Non igitur is, quem saepe dixi, tetrameter inter fragmenta incertarum fabularum referri a *Dindorfio* debebat p. 220, sed in dubiorum loco reponendus erat: etsi eum *Dindorfius*, qua est severitate, his lectis malet expungere.

ἐκώμαζε δὲ μεθ' ἡμέραν, ἄνηβος ἑταίραν ἔχων —. Hujus autem Archedemi Eupolis fortassis etiam in Capris suis non sine acerba reprehensione mentionem fecerat. Nam Scholiastes ad Vesp. 902, ἐκτείνουσι μέντοι, inquit, καὶ τὸ ὃ ἄρθρον. (Absurde vero! Aristophanem certum est scripsisse ποῦ δ' οὖν ὁ διώκων ὁ κ. κ., ut olim *Bothius* verissime.) Εὔπολις Αἴξί· „τὴν πανδοκευτρίαν γὰρ ἀνὴρ ὁ γλήμιων ἔχει." Codex Venetus ὁ τλήμιων ἀνήρ. Male *Porsonus* ἀνὴρ delevit nec melius ἀνὴρ ὁ γλάμιων | ἔχει correxit *Dindorfius*. Scribe Codicis nutu indicioque,

τὴν πανδοκευτρίαν γὰρ ὁ γλάμων ἀνὴρ
ἔχει.

Haud ita multi homines, ut hic Archedemus, aut apud Horatium Crispinus, lippi sunt oculosve habent gramiosos. Nec vero Neoclidem in hoc versu rideri putaverim, quamvis ejusdem morbi consortem (vide Eccles. 254. 398 Plut. 665. 716 sq. 747): is enim quo tempore hanc fabulam dedit Eupolis, fuit peradolescentulus necdum improbitas ejus publice poterat cognita esse. Omnino igitur hic quoque Archedemum perstringi existimo, qui et libidinose vixit et multo fuit quam Neoclides aetate provectior. Denique non praeteribo alium, qui de Archedemo agit, locum plane insignem Ran. v. 588 Ibi *Bacchus* deus doli mali convictus diris devovet semet ipsum omnesque suos, ni postea in fide servo data manserit: πρόῤῥιζος αὐτός, ἡ γυνή, τὰ παιδία, | inquit, κάκιστ' ἀπολοίμην, κἀρχέδημος ὁ γλάμων. Mire ad h. l. fallitur Callistratus. Illud vero praeclare Scholiasta, παρόσον ἐρώμενος, φασίν, ἦν Διονύσου. Nunc demum jocus exsistit dignus ingenio Aristophanis. Dicebatur enim Archedemus, homo id aetatis, tum vel paullo ante muliebria pati ita quidem, ut exoletus iste sive masculum scortum *Dionyso*, civi Attico, pudicitiam substerneret. Unde quum eum *hic Dionysus* carissimum haberet, pulcherrime *alter Dionysus deus* hoc jusjurandum, grave videlicet ac plane Stygium interposuit, κάκιστ' ἀπολοίμην, κἀρχέδημος ὁ γλάμων. Similiter in ejusdem, ut

opinor, Dionysi nomine Aristophanes lusit etiam in Ecclesiaz. v. 356. 357 Αν. *Μῶν ἦν Θρασύβουλος εἶπε τοῖς Λακωνικοῖς; Βλε. Νὴ τὸν Διόννσον, ἐνέχεται γοῦν μοι σφόδρα.* Jurat quidem Blepyrus per Bacchum etiam v. 344 et v. 422, sed idem per Jovem, Neptunum, Mercurium; at hic per Dionysum jurat facetissime. Intellexi enim, Dionysum fratrem fuisse Thrasybuli alterius, sive Stiriensis, Lyci f., qui XXX tyrannos fregit, sive, quod minus placet, Colyttensis 44). Id necessario sequitur e versu misere depravato necdum recte explicato Plut. 550 *Χρ. Οὐκοῦν δήπου τῆν πτωχείας πενίαν φαμὲν εἶναι ἀδελφήν. Πεν. Ὑμεῖς γ', ὅπερ καὶ Θρασυβούλῳ Διονύσιον εἶναι ὅμοιον.* Hic pro εἶναι MRVmn habent *φάτ' εἶναι*, Codex Baroccianus *τὸν Διόννσον φατὲ εἶναι*, Juntina II aliaeque edd. *φάθ' ὁμοῖον*. Nempe vulgata lectio *Διονύσιον* eis debetur, qui de tyranno somniabant, ut Didymus. Aristophanes vero ita scripserat, *φάθ' ὅμοῖον τὸν Διόννσον*. Non rectius, inquit, mendicitatis soror dici potest paupertas, quam Thrasybuli frater Dionysus, qui eisdem parentibus nati tamen moribus sunt longe dissimillimis; alter optimis civibus vel aequatur, vel etiam antefertur, alter homo est pessimus, aut etiam infra pessimos. Ut hic sorores fratresque inter se conferuntur, ita Nub. 534 comparati sunt Electra et Orestes fratres cum Daetalensibus Nubibusque sororibus. De articulo *Θρασυβούλῳ — τὸν Διόννσον* mox diligentius exponam quam *Dobreus* ad Acharn. 718. Nomen Proprium *Διόνυσος* alibi quoque invenias, ut in Amipsia atque Eupolide (*Ἄιξὶν*) ap. Athen. X, 426 f., in Horis Cratini ap. Schol. Vesp. 1026., Bekk. Anecdot. p. 410, 1 in *Συναγωγῇ. Ἀντιγενίδας — υἱὸς Διονύσου.* Quanquam alterum nomen *Διονύσιος* omnino frequentius est, ut Xenoph. Hellen.

---

44) Id tamen placuit Scholiastae ei, qui ad Pluti locum unus, caeteris paene dixerim insanientibus in eo est, ut sapere incipiat: *μᾶλλον δὲ ἄν τις ὑπονοήσειεν, ἕτερον Διονύσιον Θρασυβούλου τοῦ Κολυττέως ἀδελφὸν ἢ ἔγγιστα συγγενείας εἶναι.*

V, 1, 26., Etymol. M. p. 277, 53. restituendum illud restitutumque etiam tonsori apud Cratinum Hesychii s. *Διονυσοκουροπιρώνην*. Duo alia fragmenta in Alcibiadem ipsum quadrant commodissime. Prius conservatum est a Suida v. *ἀτρύφερος* et in Bekk. Anecd. p. 460, 25 *Ἀτρύφερος: ἔστιν ἡ λέξις ἐν Βάπταις Εὐπόλιδος· ὅτι οὐκ ἀτρύφερος οὐδ' ἄωρός ἐστ' ἀνήρ.* Male Suidas om. *ἔστιν* habetque *οὔτ'*. Notissima est Alcibiadis quum luxuria, tum etiam pulchritudo.

Cum hoc versu conjungimus illud Pollucis VII, 123. *κάπνην δὲ καὶ καπνοδόκην Εὔπολις τὸ μὲν εἴρηκεν ἐν Βάπταις, τὸ δὲ ἐν Δήμοις.* Vulgo quidem edebatur *καπνὸν δέ*, sed Codd. Voss. et Jungerm. *κάπην δέ*, pro quo jam *Kuehnius* scripsit *κάπνην δὲ* certa emendatione. Minime vero displicet *Raspii* mei sententia, qui ad *Δήμους* p. 73 v. *κάπνην* in Baptis bene ad Alcibiadem referri posse judicat. Cui ne forte objicias, tum *καπνὸν* potius, ut olim ante *Kuehnium* legebatur, scribendum esse, scito, in Demis Theagenem non solum *καπνὸν* dictum esse, sed etiam, ut prorsus videtur, *καπνοδόκην:* quae verba scite copulavit idem *Raspius* p. 15 tertio etiam adnexo *καυχήσασθαι*. Et profecto *ἡ κάπνη ψοφεῖ*, quod longe aliam vim habet in Aristophane Vesp. 143, et similia apte et satis comice ad vaniloquum hominem transferre licebat. Quanta Alcibiadis fuerit vanitas in promittendo aliis atque in semet ipso supra, quam credibile est, efferendo, quum alii loci passim, tum unus omnium clarissime ostendet Thucydides VIII, 81, 5., quod non dictum potius miror, quam a multis creditum. Postremo ista Cornelii verba in Alcibiade c. VIII „Id etsi vere dictum Philocles animadvertebat" nihil redolent e Theopompo aut Timaeo, Cornelium vero ipsum plane redolent. Praeterea Hephaestio p. 27, ut doceat, Comicos interdum joci causa versu jam finito non tamen verbum finisse, hos trimetros exempli loco ponit, *Εὔπολις ἐν Βάπταις,*

ἀλλ' οὐχὶ δύνατόν ἐστιν· οὐ γὰρ ἀλλὰ προ-
βούλευμα βαστάζουσὶ τῆς πόλεως μέγα.

Edd. et MSS. *ἄλλο,* sed *ἀλλὰ* correxit explanavitque jam *Bentlejus.* Fortasse hi versus haud procul legebantur ab Hipponacteis illis trimetris, lusu prope gemino, id est, ut opinor, circa finem totius fabulae. Quodsi forte Baptae loquebantur, sententia loci huc redibit: *At fieri non potest, ut hoc periculum effugiamus, aut salvi ex eo evadamus: ecce enim, magnum quoddam scitum ac jussum totius populi contra nos sanctum afferunt: et nimirum jam plane tenemur.* Ne Harpocrationem quidem omittam s. *Παλιναίρετος — ὅτι γὰρ τοὺς τοιούτους ἐκάλουν παλιναιρέτους, καὶ τοὺς ἀποχειροτονηθέντας τὴν ἀρχὴν καὶ πάλιν χειροτονηθέντας, Εὔπολίς τε ἐν Βάπταις δηλοῖ καὶ —.* Video equidem, v. *παλιναίρετος* optime convenire in Hyperbolum, cujus Eupolin inimicissimum fuisse nemo nescit: Hyperbolus enim hieromnemonis munere cum magna sua ignominia abire coactus mox tamen in senatum lectus est: veruntamen non valde amo conjecturas nimium incertas. Denique nihil lucri percipitur e Thoma Magistro p. 867 *ὑπάγειν — ἀντὶ τοῦ προάγειν. — καὶ Εὔπολις ἐν Βάπταις· σὺ δ' ὕπαγε (ὕπαγ') εἰς τοὔμπροσθεν.* In MSS. Leidd. et ed. Rom. est accentu circumflexo *Βαπταῖς.* Hunc Eupolidis l. protulit etiam Ammonius v. *ὑπάγειν* p. 140. Evolve praeterea Anecdota Bachmanni nostri, Viri Egregii, Tom. II p. 375, 24 *ὑπάγειν ἀντὶ τοῦ προάγειν — καὶ Εὔπολις· σὺ δ' ὕπαγ' εἰς τοὔμπροσθεν.* Pars est prior senarii, si ab initio unam syllabam addideris vel scripseris *σὺ δ' οὖν ὕπ.*

Sed haec de Baptis Eupolideis hactenus: quae si Viris Doctissimis probare non potui, illi vero inventa ista mea, quae mihi haud sane magno steterunt, refellant: facient enim me lubente, addo, fortassis etiam plaudente: sin vero isti mei Baptae in eorum adolescentum manus inciderint, quibus aliena omnia, non solum mea, mirifice sordent, (sua enim admirantur, sibi denique soli videntur sapere, et recte) primum idoneis argumentis, non importuno fastidio nescio quo mea refutabunt, tum vero iidem etiam sua debebunt confirmare resque

multo meliores domo allatas mihi subjicere. Hoc enim ab emendatore aliorum exspectare quum aliis in locis minime iniquum est, tum vero omnium, ut mihi videtur, aequissimum in fragmentis constituendis, explicandis corrigendisque.

De Conno Amipsiae quaeram non magis Nubium causa, quam Socratis. Nam Socratis quoque personam in ista fabula cavillatum esse Amipsiam, manifestum est. Connum igitur de judicum sententia medium locum inter Pytinem Cratini contemtasque Nubes I Aristophanis obtinuisse, accepimus. Hoc ipsum afferre solent, qui de Amipsiae ingenio mirabiliter sentiunt, Amipsiae postpositum Aristophanem, adjunguntque sedulo alteram didascaliam haud minus notam, *πρῶτος Ἀμειψίας Κωμασταῖς, δεύτερος Ἀριστοφάνης Ὄρνισι, τρίτος Φρύνιχος Μονοτρόπῳ.* Me vero, qui fidem quinque judicum certaminis illius minime perspexerim, cognorim autem probe Atheniensium levitatem quum aliis in rebus, tum maxime in judicando, haec quidem testimonia tam parum movent, ut iis nihil omnino putem tribuendum esse. Nemo Nicocharem, Aristomenem, Nicophonta, Alcaeum comparare ausit cum Aristophane: ac tamen unum alterumve ex istis poëtis semel praelatum esse Aristophani crediderim. Sed Amipsiae poësis, qui non multa omnino scripsit, et Aristophani frigida videtur, judici vel maxime idoneo, et plerique Amipsiae versus, qui quidem hodie supersint, sane minima pars de numero paucorum, languent profecto sententiis delumbatis. Ego quantopere admirer Magnetem, Cratinum, Teleclidem, Cratetem majorem 45), Her-

45) Hic mihi non convenit cum *Meinekio*, Q. Sc. I p. 25, qui unum tantummodo Cratetem Comicum fuisse existimat. Ego vero facile credo Suidae, duo exstitisse Cratetes utrumque antiquae comoediae poëtam. Alter, histrio primum Cratini, non multo junior fuit Cratino. Is jam mortuus erat Ol. 88, 4 in Equitibus v. 537—540, *ἠνέσχετο — ἀπέπεμπεν — ἀντήρκει.* At aliquanto post vixit is Crates, qui circiter Ol. 92, 3 paullo ante Thesmoph. II docuit Samios. Suidas Crateti alteri tres

mippum, Eupolin, Pherecratem, Platonem, dicam alio loco: ceterum Amipsias Phrynichosque nec valde improbandos esse censeo, si per se soli spectentur, et tamen eosdem prae Aristophane vehementer contemno. De Conno fabula dicturus eram, sed breviter, ut in tanta fragmentorum inopia. Titulum ipsum *Κόννος* librarii aliquoties in *Κοινὸς* converterunt, qui error a *Meursio*, *Casaubono*, *Fabricio* certatim sublatus est. Hos qui sequitur, *Hemsterhusius* ad Polluc. X, 171 bene intellexit, Connum illum fidicinem nomen huic fabulae et argumentum suppeditasse. De hoc Conno, Metrobii 46) filio et Socratis magistro, videndi sunt Plato in Menexen. p. 380. Bekk.

---

attribuit fabulas, alteri septem, septem etiam Anonymus, octo alius. At novimus XII fabulas sub Cratetis nomine proditas. Quae quum valde inter se pugnare videantur, optime tamen convenient, si alteri septem (vel octo) fabulae assignabuntur, alteri quinque (vel quatuor). Nos in magno quodam honore Cratetem habemus majorem, quemadmodum ipse adeo Aristophanes. Nunc addam aliquid, quod proprie attinet ad Cratetem, aequalem Cratini. Magnetis *Διόννσος* prior appellatur ab Athen. IX, 367, f., posterior ab eodem XIV, 646, e., ubi qui versus sequuntur, eos ipsos Pollux, VI, 79 confert in Cratetem. De quo *Meinekius* „Recte, inquit, Jungermannus *Μάγνητος* restitui voluit." At prudenter adjecerat *Jungermannus:* „nisi quidam Crateti illam Dionysum alteram tribuerint olim illosque hic sequatur Pollux." Prorsus enim arbitror, Magnetis fabulam *Διόννσος* post ejus mortem multis locis immutatis edidisse Cratetem alterum hoc nomine, *Διόννσος δεύτερος*. Etiam longius progrediar. Nempe apud Photium est: *Ανδοὶ Μάγνητος τοῦ Κωμικοῦ διεσκευάσθησαν*, similiterque apud Hesychium, *διὰ τοὺς Ανδοὺς, οἳ σώζονται μὲν, διεσκευασμένοι δ' εἰσίν*. Non ab ipso factum putarim, sed post mortem ejus a Cratete. Hic Crates fortasse etiam alias Magnetis fabulas a se recensitas docuerat. Antiqua comoedia, si aliquanto post rursus daretur, necessario mutanda erat, ideo quod haud pauca non amplius quadrabant, ea maxime, in quibus homines derisi essent, interim forsitan vel mortui vel loco depulsi.

46) Metrobii ejus, ut videtur, qui scriba fuit, et amicus Cimonis. Consule Archilochos Cratini ap. Plutarch. Vit. Cimon. c. 10.

Hic Socrates, *λέγω γὰρ* (sc. *τὴν Ἀσπασίαν*), inquit, *καὶ Κόννον γε τὸν Μητροβίου· οὗτοι γάρ μοι δύο εἰσὶ διδάσκαλοι, ὁ μὲν μουσικῆς, ἡ δὲ ῥητορικῆς.* et Cicero Epp. ad Famil. IX, 22. Socratem fidibus docuit nobilissimus fidicen: Connus vocitatus est. Suidas s. *Σωκράτης — ἐμάνθανε δὲ καὶ κιθαρίζειν παρὰ Κόνωνι* (sic) *γέρων ἤδη ὤν.* (Idem traditum est a Cic. Cat. Maj. c. 8 fin.) *σκωφθεὶς δὲ τὸ Σόλωνος, Ὀψιμαθὴς μᾶλλον, εἶπεν, ἢ ἀμαθής.* Adde Maximum Tyrium Dissert. XXII, aliaque apud Leonem Allatium ad Socratis Epist. p. 186. Praeter Connum citharoedum bis commemoratur Connas tibicen, quem *Meinekius* Q. Sc. II p. 44, *Kusterum* ad Suidam s. *Κόννου ψῆφον* sequutus, a citharoedo diversum esse existimat. Equidem *Brunckio* ad Eqq. 532 potissimum adsentior, qui Connum Connamque forma, non re disjunxit. Primum enim multi citharoedi tibia etiam canere didicerant [47]), deinde *Κοννᾶς* comica videtur forma esse pro *Κόννος* tum Eqq. 532 tum apud Cratinum p. 74 Runkel.

Ἔσθιε καὶ σῇ γαστρὶ δίδου χάριν, ὄφρα σε λιμὸς
Ἐχθαίρῃ, Κοννᾶς δὲ πολυστέφανός σε φιλήσῃ.,

quos hexametros Archilochis adjudico, maxime quidem ob parodiam loci Hesiodei, tum etiam quod Metrobius, Conni pater, in Archilochis praesens aderat et loquebatur. Praeterea in Conno Connaque mire congruunt temporum rationes, artis praestantia, iniqua contemtio, magna paupertas. Compara diligenter versum Eqq. 532 cum Vesp. 675: certe videbis, verbis *ὥσπερ Κοννᾶς* atque *Κόννου ψῆφον* unum eundemque virum describi. Namque in Equitibus dicitur Cratinus, olim egregius poëta, senecta aetate, sicuti Connas, ab omnibus despici gravique premi egestate; in Vespis traditur judex aetate confectus, qui olim domi militiaeque de Republica praeclare meritus sit, nihil unquam praecipuae mercedis ferre, sed potius, sicuti Connus, ab omnibus sociis, quorum causas cognos-

47) Cicero Pro L. Murena c. 13 Ut ajunt in graecis artificibus, eos auloedos esse, qui citharoedi fieri non potuerint —.

cat, magnopere contemni. Sed laboratur in verbis *σὲ μὲν ἡγοῦνται Κόννου ψῆφον*, quae verba falso interpretatos esse non modo nostros interpretes, verum etiam perantiquos illos, Callistratum et Euphronium, apparet. Omnes scilicet hoc errore ducuntur, ut *Κόννου* ad locutionem ipsam, *ψῆφον* vero ad Philocleonem unum referant: quod plane contra facere debebant, si quidem *ψῆφος* e medio sumtum est, at *Κόννου* Comici est detorquentis. Ego enim tandem animadverti, proverbii illius *Διὸς ψῆφος* ab Aristophane habitam esse rationem. Quo nomine quum primum certus locus Athenis appellari soleret, in quo lis Minervam inter et Neptunum ab Jove composita esse diceretur, mox tamen haec verba ita in proverbium abierunt, ut de rebus sacris, inviolatis eisque, quae eximio quodam cultu prosequendae essent, vulgo ponerentur. Evolve Suidam s. *Διὸς ψῆφος*, et Hesychium s. *Διὸς θᾶκοι*, ubi qui grammatici *ψῆφοι* pro *πεσσοὶ* substituisse narrantur in hoc versu Cratini,

Ἔνθα Διὸς μεγάλου θᾶκοι πεσσοί τε καλοῦνται.,

ei minus reputarunt et locum et proverbium hinc ductum *Διὸς ψῆφος* sonare, non *Δ. ψῆφοι*. Ita semper dixerunt Graeci etiam *Ἀθηνᾶς ψῆφος*, non *ψῆφοι*, neque numerus multitudinis de una judicis sententia (*γνώμῃ*) ferri posset ullo modo. Hoc igitur voluit Bdelycleo: non te colunt, observant, venerantur, ut illum locum Jovi sacrum, sed negligunt, despiciunt atque irrident, ut Connum, pauperculum senem, denique non tu iis es *Διὸς ψῆφος*, quemadmodum ajunt, sed ut ita dicam, *Κόννου ψῆφος*. Ita jacto Conni fabulae fundamento reliqua facilius inaedificare licebit, praesertim tale tugurium, quod ego nunc molior. Nam quum haec Comoedia a Conno, tum sene, nomen acceperit, nemo mirabitur, si primas partes Connus egerit ipse; deesse is quidem in personis fabulae nullo modo poterat. Quamvis autem hic Connus pristinam ejus mentem fortunamque consideranti misericordia dignior, quam irrisione videri deberet: petulantis tamen Comici telis palam propositus erat; hic enim si usquam,

in quo licentia jocandi libere exsultaret, latus quidam patebat campus 48). Quantum vel e titulo, vel e pauculis istis fragmentis colligo (sit enim conjecturae locus sane incertae), Connus Amipsiae versatus est in doctiorum hominum, ut philosophorum, sacerdotum, vatum, artificum illudenda paupertate. Haec enim communis prope literatorum hominum sors fuit eritque semper, ut pecuniae magnitudinem aliis relinquamus: qui si librorum dote abundaverimus, divitiis Crassum Rothschildumque superamus. Loci, in quibus fabula nostra commemoratur, hi sunt. Primum afferam illud Athenaei V, 218, c *πρὸ τῆς ἐπ' Ἀλκαίου διδασκαλίας τῶν Εὐπόλιδος Κολάκων —. ἐν οὖν τούτῳ τῷ δράματι Εὔπολις τὸν Πρωταγόραν ὡς ἐπιδημοῦντα εἰσάγει, Ἀμειψίας δ' ἐν Κόννῳ (Κόννῳ Casaubonus* pro *Κοινῷ), δύο πρότερον ἔτεσι διδαχθέντι, οὐ καταριθμεῖ αὐτὸν ἐν τῷ τῶν φροντιστῶν χορῷ· δῆλον οὖν, ὡς μεταξὺ τούτων τῶν χρόνων παραγέγονεν.* Recte Connus duobus annis *Κόλακας* Eupolidis dicitur praegressa esse. Adulatores enim dati sunt Alcaeo archonte Ol. 89, 3 teste etiam Pacis didascalia Veneta; Connus vero una cum Nubibus in scenam prodierat Ol. 89, 1 archonte Isarcho. Multo gravius est alterum, quod nos docet Athenaeus, chorum apud Amipsiam e philosophis constitisse in contemplatione rerum meditationeque occupatis (*φροντισταῖς*). Quod quum ita esset, inter Chori personas sine dubio etam Socrates erat relatus, quippe qui eximie ac praeter caeteros Athenis cognomen haberet *ὁ φροντιστής* 49). Neque enim,

48) Vide Scholii ad Eqq. 532 partem priorem usque ad vv. *μηδέπω τετιμῆσθαι.*

49) Evolve Nub. v. 267, Xenoph. Conviv. VI, 6 et VII, 2. In secundo horum locorum paullo diutius morabor, vel quod magnam ex eo percepi voluptatem, vel quia persuasum habeo, ista quidem, in quibus Socratem ipsum continuo agnoscas, non esse ementitum Xenophontem. Deme nomen Syracusani et caeterorum praeter Socratem ac pro his alia quaedam nomina animo informa: verissimus quidam Socratis sermo in Convivio nescio quo habitus emerget. Xenophon autem induxit

ut Protagoras, sic etiam Socrates tum aberat Athenis, quem et illo ipso tempore in urbe patria fuisse Nubes I

Syracusanum, quum et invideret Socrati et succenseret, haec dicentem: Nempe tu is es Socrates (corrigo enim Ἆρα οὐ ὁ Σωκράτης ὁ φρ.), qui cognomen gerit cogitabundi? *Socrates:* Praestat certe hoc meum cognomen incogitanti. *Syracusamus*: Nisi quidem sublimia ista tua cogitatione scrutari viderere. Cui Socrates: Quidquamne igitur Diis nosti sublimius? Adhuc praeclare Socrates; Syracusamus vero jacet abjectus. Deinceps deterior fit Socratis causa, melior autem praestigiatoris. Hic enim: at hercle, inquit, non istorum te ajunt curam tangere, sed potius (hoc jam graece dicendum est) τῶν ἀνωφελεστάτων. Tum vero Socrates: Ergo vel sic tamen deorum me cura tangit. Id jam demonstrat scilicet, ἄνωθεν μέν γε ὄντες ὠφελοῦσιν, ἄνωθεν δὲ φῶς παρέχουσιν. In his verbis minime haereo. Apparet enim multum laborare Socratem, ut praeclaram istam vocis ἀνωφελὴς etymologiam tueatur; sic enim jocatur: certe οἱ ἀνωφελεῖς sunt dii, οἳ ἄνω ὄντες ἄνωθεν ὠφελοῦσιν. Non magis mutanda sunt illa verba ἄνωθεν δὲ φῶς παρέχουσιν. Hoc enim jam alterum affertur veriloquium vocis ἀνωφελής, priore illo etiam turpius: ita enim jocatur, quasi origo vocis repetita sit e vv. ἄνωθεν φάειν s. φαίνειν. Et ipse quidem Socrates sensit, jocos istos duo frigere. Ceterum si quis haec veriloquia majorem in modum mirabitur, is legat modo Cratylum Platonis. Tametsi Socrates, si Aristophanis fides constat, vehementer sibi placebat in tali syllabarum aucupio. Non ignoro *Jacobsium* conjecisse ὄντες ὠφελοῦσιν. At primum Jupiter pluit, non dii. Deinde ne Socrates quidem existimare poterat, v. ἀνωφελὴς compositum esse ex his, ἄνωθεν ὄντα ὠφελεῖν. Falso etiam *Orellius* ὄντως scripsit, qua conjectura ad primam speciem egregia nihil opus est. Meminerimus, Socratem in magnas dicendi angustias adductum esse. Absurde scripsisset, ἄνω ὠφελοῦσιν: Dii enim sunt ἄνω, non ἄνω ὠφελοῦσιν. Ne illud quidem satis recte posuisset, ἄνωθεν ὠφελοῦσιν, quippe qui formam ἄνω, non ἄνωθεν exprimere cuperet. Itaque et ambitu verborum utitur ἄνωθεν — ὄντες ὠφελοῦσιν et tamen eum attractione coarctat, ne fieret longius, si plene scripsisset ἄνω ὄντες, ἄνωθεν ὠφελοῦσιν. Hoc demum modo duo verba, quae voluisset, invenit ἄνω et ὠφελεῖν: sed tamen vides, quantopere sudarit. His dictis adeo crescunt animi praestigiatoris, ut non dubitet

argumento sunt, et omnino eum constat ex agro Attico nunquam pedem extulisse, nisi bis terve militiae causa. Ne illud quidem enumerandi verbum (*καταριθμεῖ*) temere negligendum est. Patet enim ex eo, Chorum non catervatim, non secundum eos ordines, quorum alii *στοῖχοι*, *ζυγὰ* alii vocantur, in orchestram venisse, sed singulas personas et in conspectum prodisse, et singulas ab histrione aliquo esse recensitas: id quod haud raro factum est etiam ab aliis, ut ab Eupolide in Urbibus. Ceterum hoc utrumque, et Socrati in Chori personis locum tributum, et choreutas, quum se primum ostenderent, id quod graece dicitur *πάροδον ποιεῖσθαι*, singulos a comoedis quibusdam esse enumeratos, intelligitur etiam e notissimo illo Conni fragmento, de quo nunc brevi complectar, disseram autem pluribus. Illos dico Anapaestos tetrametros, quos Diogenes Laertius II, 28 memoriae prodidit.

Hic Diogenes, ut demonstret, parvo contentum fuisse Socratem, haec quoque affert: *Ἀμειψίας δ' ἐν τρίβωνι παράγων αὐτόν φησιν οὕτως·*

Socratem contumeliosius illudere: *Ταῦτα μέν, ἔφη, ἔα· ἀλλ' εἰπέ μοι, πόσους ψύλλης πόδας ὁ παῖς ἐμοῦ ἀπέχει. ταῦτα γάρ σε φασὶ γεωμετρεῖν.* Hic subito conticuit Socrates. Quem nisi loqui incipientem Antisthenes interpellavit, nescio, utrum haec tanta animi aequitas laudari debeat, an potius reprehendi. Praestitisset, ut opinor, nihil omnino respondere Syracusano, quam in medio flumine verborum repente ita obticescere. Tum enim certo judicio videretur injuriam tulisse; nunc, quum par pari referre coeperit, sed modo coeperit, nescio quo pacto joci inopiam suspicamur. Caetera jam Socratis usque ad finem illius capitis, in quibus prudentissime monet convivas quosdam Syracusano iratos, prope dixerim divina sunt, sed ab instituto nostro aliena. Tamen duo locos conjectura mactabimus. Primum scribo, *εἰ πάνθ' αὑτοῦ βελτίω φῂς εἶναι.* Sic Lucianus De Merc. Cond. c. 30. *ἡδίων ἑαυτοῦ* et quae sunt hujusmodi plurima. Vide Boissonadum ad Philostrat. p. 325. Mox vulgo legitur, *Ἀλλὰ μηδενί; μηδενὶ μηδὲ τούτων εἴκαζε*, in Codice autem Parisino est, *ἀλλὰ μηδενὶ μηδὲ τούτων ἀλλ'*—, quod a vero abest proxime. Scr. *ἀλλὰ μηδνί; μηδὲ τοίτῳ* [*εἴκαζε*]. Dicit autem *τούτῳ* h. e. *τῷ μηδενί.*

Σώκρατες, ἀνδρῶν βέλτιστ' ὀλίγων, πολλῶν δὲ ματαιόταθ', ἥκεις
καὶ σὺ πρὸς ἡμᾶς, καρτερικός τ' εἶ; πόθεν ἄν σοι χλαῖνα γένοιτο;
β. τουτὶ τὸ κακὸν τῶν σκυτοτόμων κατ' ἐπήρειαν γεγένηται.
γ. οὗτος μέντοι, πεινῶν οὕτως, οὐπώποτ' ἔπλη κολακεῦσαι.

Primum nemo erit tam vecors, quin videat, hosce versus e Conno sumtos esse, id quod olim monuerunt *Casaubonus* atque *Menagius*. Sed et hi, et *Meinekius* l. l. in eo graviter errant, quod Amipsiae fabulam in Socratem scriptam esse conjecerent. Non dubito, quin viros egregios praeter Chorum *Φροντιστῶν* Connus maxime in hanc fraudem induxerit, Socratis magister: neque enim cogitarant, Socratem senem, data jam dudum Amipsiae fabula, fidibus doctum esse. *Casaubonus* vero quod scribit: „Amipsiam poëtam comicum contra Socratem drama scripsisse, docet Aristophanis Scholiastes" eo utitur teste, qui interrogatus non respondeat. Pervelim scire, quem nobis narret Aristophanis Scholiastem. Quid, quod Socratem in Conno proprie vexatum non esse, et Diogenes significat, et clare docet Amipsias: quorum illum scripsisse *παρεισάγων αὐτὸν Js. Casaubonus, Chr. Florens, Aegid. Menagius, G. Huebnerus*, consentiunt, frustra tuente Codicum scripturam *C. F. Hermanno*, amico suavissimo. (Nunc illud *παράγων* haud mutaverim, deterritus Luciani verbis in Piscatt. c. 25 — *παράγουσιν ἐπὶ τὴν σκηνήν*, tum Athenaei loco XIII, 600, a — *αὐτὴν παράγει τὴν Ἀφροδίτην λέγουσαν*. ac similibus. Usitatissimum in hoc genere verbum est *εἰσάγειν*, ut in Scholl. ad Acharn. v. 61.). Magis etiam a tali opinione deterreri debebant illis verbis Amipsiae ipsius: *Σώκρατες — ἥκεις καὶ σὺ πρὸς ἡμᾶς;* quae certissime sunt mirantis, *Tune etiam ad nos venisti, Socrates?* Quis vero unquam miratus est, cum hominem in scenam prodire, in quo ridendo tota ista Comoedia

unice versaretur. Denique Chorus scrutatorum ut indicio est, Amipsiam tum Socrati non pepercisse, ita sententiae illi, quam nunc maxime oppugno, videtur adversari. Sic enim profecto maluisset Amipsias primas dare Socrati, quam eum ingenti scrutatorum turbae inserere, e quibus vix ac ne vix quidem Socratem erueres. Veniamus ad singula. Ridiculum errorem *Aldobrandini in Tribone* vertentis ac praeterea *Meursii* et *Fabricii* tanto magis a *Meinekio* praetermissum vellem, quod jam olim recte judicarant et Ambrosius, qui reddidit *palliatum inducens*, et *Menagius* confisus his Amipsiae verbis, *πόθεν ἄν σοι χλαῖνα γένοιτο.* Enimvero Amipsias in primo statim versu facetus fuit periculo nostro. *Hermannus* in Praefatione ad Nubes p. xxxvi, ubi de hoc Amipsiae fragmento egregie exposuit (affert autem etiam *Hermannus*, vir graece doctissimus, *ἐν τρίβωνι παρεισάγων,*) *Meinekium* jure meritoque notavit. „Horum versuum in primo, inquit, cur *Meinekius* in Quaest. scen. Spec. II p. 44. *ὀλίγῳ* et *πολλῷ* scripserit non intelligo: immo, si quidquam, verissima est librorum scriptura.“ Attamen hujus emendationis laus reddenda est ei, cui debetur, *Dobreo* ad Ar. Acharn. v. 270 in Addendis.

Verba ejus infra posui: „Amipsias Laertii II, 28. *Σώκρατες, ἀνδρῶν βέλτιστ' ὀλίγων, πολλῶν δὲ ματαιόταθ', ἥκεις.* Lege *ὀλίγῳ, πολλῷ*, et quod ad sententiam confer Antiphontem Xenophontis Mem. I, 6, 11. *ὦ Σώκρατες, ἐγώ τοι σὲ δίκαιον μὲν νομίζω, σοφὸν δὲ οὐδ' ὁπωστιοῦν,* et quae sequuntur.“ At neque ulla mutatione opus est et ista *Dobrei* emendatio ne ferri quidem omnino potest. Nihilo enim clarior sententia redditur Dativo, sed potius aliquanto etiam obscurior, quandoquidem hoc aenigma *ἀνδρῶν βέλτιστ' ὀλίγῳ* longe difficilius est ad solvendum, quam Codicum lectio: nisi forte Antiphon egerit Amipsiae interpretem et vv. *ἀνδρῶν βέλτιστ' ὀλίγῳ* significabunt *δίκαιε.* Scilicet palaeographorum ars, quae tot jam monstra peperit, et hic *ὀλίγῳ ὀλίγων, πολλῷ πολλῶν* ultro citroque jactavit nulla ratione et vero etiam eximium

illum locum N. T. Matth. X, 31. turpiter contaminavit 50). Sed tamen de Genitivo ὀλίγων quid statuendum est? *Hermannum*, quum Amipsiam non modo in eis Comicis numeret, qui de Socrate aequius senserint, verum etiam hoc addat, Amipsiam paucis versibus verissime descripsisse Socratis ingenium videri, hanc explicationis viam ingressum puto: Socrates, *in paucis* (sive, *cum paucis*) virorum optume —: qua inita Amipsias contrarias notiones ὀλίγων, πολλῶν δὲ per ludum jocumque posuerit, quum bis scribi πολλῶν liceret salva sententia. Tamen, ut Graeci ὀλίγων hac ratione cum Superlativis conjunxerint, de quo dubito equidem, vix persuadetur mihi, tantis laudibus Socratem, unum de investigatoribus, decoratum esse ab Amipsia Comico, quum et illa statim subsequantur, πολλῶν δὲ ματαιόταθ', et ultimo demum versu non

50) Jesus ubi suorum animos praeclaro quodam solatio confirmat: *Οὐχὶ δύο στρουθία ἀσσαρίου πωλεῖται; καὶ ἓν ἐξ αὐτῶν οὐ πεσεῖται ἐπὶ τὴν γῆν ἄνευ τοῦ πατρὸς ὑμῶν. ὑμῶν δὲ καὶ αἱ τρίχες τῆς κεφαλῆς πᾶσαι ἠριθμημέναι εἰσί. Μὴ οὖν φοβηθῆτε· πολλῶν στρουθίων διαφέρετε ὑμεῖς.* H. l. πολλῷ pro πολλῶν legit *Markandus* ad Lysiam XXX p. 600. Recte vero πολλῶν a fratre praelatum est. Primum id docent notiones oppositae: *Duo passerculi* venduntur teruncio et *ne unus quidem* temere decidit humum invito Deo. Vos certe praestatis *multis passerculis.* Sed hoc omittam. At quantopere friget ista paene ludicra oratio: *Vos multo praestatis passeribus.* Ita enim qui loquitur, tametsi passeres longe viliores dicit, tamen cum passeribus homines vere comparat. Illud vero alterum et graviter dictum est, et influit in sensus nostros et est plane dignum persona Servatoris nostri, qui tunc nimirum hoc sentiebat: Ne unus quidem passer, animal contemtum perit, quin id Deus sciat. Quamobrem vos, discipuli, bono animo esse convenit: estis enim profecto *Celsius his animal mentisque capacius altae.* Tam gravis sententia aptissime his verbis expressa est, *πολλῶν στρουθίων διαφέρετε ὑμεῖς*; erat enim constantiae, persistere in similitudine inchoata, tali praesertim, qua de hominis dignitate nihil quidquam detractum sit. Haec secum reputare magis decebat *Porsonum* ad Aristophanem l. l., quam Codices aliquot, in quibus πολλῶι vitiose exaratum est, *Valckenarii* causa sedulo colligere.

tam virtute ornetur Socrates, quam uno quodam vitio liberetur. Ego hunc locum diu ita sum interpretatus: *Socrates, non longe optime virorum, longe autem vanissime* 51) i. e. homo non optime, multo autem vanissume: nec me fallebat, inauditam esse hanc vim Genitivi *ὀλίγων*, sed putabam quod *πολλῶν* hoc modo saepe usu venit, joci causa *βέλτιστ' ὀλίγων* fingi potuisse, quo id melius ad alterum *πολλῶν δὲ ματαιόταθ'* responderet. Verum enim vero quum et Socrates pro bono viro Athenis haberi soleret, et ad extremum Amipsias virum probitate insignem aliqua saltem laude affecerit, rejecta hac opinione in aliam explicationem incidi, veri, quemadmodum spero, simillimam. Namque Socratem non primum ex omnibus, sed post alios scrutatores in orchestram venisse nemo ibit infitias, qui modo proxima verba *ἥκεις καὶ σὺ πρὸς ἡμᾶς;* consideraverit. Dico igitur, *ἀνδρῶν — ὀλίγων* ad caeteros pertinere *φροντιστάς*, qui si vel omnes jam ante Socratem prodierant, tamen viginti et quatuor personae recte possunt ad paucas referri. Quare is, qui alloquitur Socratem tum maxime progressum, hoc declarat: Socrates paucorum virorum (nempe, investigatorum) optime, multorum autem homo vanissime. Melius haec dicuntur vernacule: Sokrates, unter wenigen Männern hier biſt du noch der beſte Kerl, unter vielen aber der größte Narr. Haec sententia quum est salsa aut non certe inficeta, tum illud quoque habet commodi, quod jam Socrates neque vehementius objurgatur, nec laudatur impensius: quorum hoc fieri non sinit Comoediae natura, illud autem ratio versuum caeterorum. Denique Amipsiam obscuritatis crimine non plane absolvo: etsi spectatores, auditis verbis *ἀνδρῶν — ὀλίγων* vix poterant de aliis hominibus cogitare, quam de scrutatoribus ipsis, quos videbant.

Pro *ὀλίγων* e Cod. Cantabr. *ὀλιγολόγων* profertur, quod

51) Latine non licet isto modo, *multorum* hominum vanissume: ne quis forte *ὀλίγῳ, πολλῷ* a me defendi criminetur.

non est nauci. Videamus nunc tertium versum, de quo *Hermannus:* „Post secundum versum deesse aliquid, in quo τὸ ἀνυπόδητον Socratis commemoraretur, vidit Ferrarius de re vestiaria part. II lib. IV. c. 16. (in Graevii Thes. Ant. Rom. vol. IV p. 894)." Mihi quidem nihil videtur excidisse: plane enim hoc ipso versu ἀνυποδησία Socratis ridetur. Flagitiose interpretes ita transtulerunt: *Hoc certe incommodum per coriariorum contigit malitiam.* Imo τοντὶ τὸ κακὸν valet discalceatus iste Socrates, ὁ ἀνυπόδητος ὁδί, usu loquendi frequentissimo quum apud alios, ut Aristophanem Avv. 992, tum in Luciano, cujus vide (ut nonnullos locos Asini c. 39 et c. 54 omittam) D. D. VII, 1 καὶ δηλοῖ τι ἤδη ὡς μέγα ἀγαθὸν ἀποβησόμενον. .. Ἐκεῖνο βρέφος, ὦ Ἥφαιστε, ἢ μέγα ἀγαθὸν —. et Scytham c. 11. καὶ ὅλως ἓν τοῦτο ἡμῖν δημόσιον ἀγαθόν ἐστιν, καὶ μέγα ὄφελος ἅπασιν, ἀνὴρ οὗτος. Nempe interlocutor apud Amipsiam nudos Socratis pedes ita miratur, ut dicat: *Istuc malum propter sutorum calumniam ortum est.* Licet haec festivius germanice: Der Unhold da iſt den Schuſtern zur Chicane geſchaffen. Ultimo versu pro πεινῶν Cod. Monac. contra metrum habet πινῶν, deteriore etiam sententia. De personarum vicissitudine dubitari potest. De quo *Hermannus:* „Posteriores duos versus, inquit, ab alia persona dici apertum est." Videlicet, quod in prioribus versibus secunda persona legitur, tertia autem in posterioribus. Contra *Menagius* alii personae quartum tantummodo versum tribuit, quo tribus prioribus responderetur. Ac sane in tertio versu amplius describitur Socrates, nec valde mirer, si idem homo a secunda persona exorsus ad tertiam transeat. Contra quarto versu novam loqui personam, et res a prioribus diversa, et particula μέντοι fidem faciet. Ego id, quod simplicissimum esset, sequutus et tertium versum alii personae assignavi, et rursus alii quartum, eaque haud dubie fuit etiam *Hermanni* sententia. Quaeres, satin mihi placeat hoc Amipsiae fragmentum. Omnia si conjunxeris, reperies jejuna esse. Quid enim Amipsias

vidit in Socrate, quod non quivis aequalium suis oculis posset cernere? Incipit paullo durius, ut negotium magis facessat legenti, quam risum moveat; adjungit, Socratem laboris esse patientem, pallio amictum paenulam habere nullam, discalceatum esse, esurire vehementer nec tamen adulari: in quo genere corporis oculi acriter cernunt, mentis autem nulli admodum pellucent. Magis, quam reliqua, probo primum versum et tertium, sed probo tamen ut in Comico non nimis probando. Quam multa in Socrate, homine tam singulari, jocosissime notasset vis atque acumen Cratini, ut de Aristophane taceam, cujus alterae Nubes, hodieque exstant. Sed nimirum recondita quaeque Amipsiam fugiebant. Eodem metri genere, Anapaesto tetrametro, scriptum erat aliud fragmentum, servatum illud a Scholiasta ad Avv. 988. *Σίμμαχος δὲ καὶ μανιώδη φησὶ τὸν Διοπείθη τὸν ῥήτορα, ὡς καὶ Τηλεκλείδης ἐν Ἀμφικτύοσι δῆλον ποιεῖ. παράκειται δὲ καὶ τὰ Φρυνίχου ἔμπροσθεν ἐν Κρόνῳ· ἀνὴρ χορεύει, καὶ τὰ τοῦ θεοῦ καλά* | (Cf. Ar. Pac. 868 *ἢ παῖς λέλουται καὶ τὰ τῆς πυγῆς καλά.*) *βούλει Διοπείθη μεταδράμω καὶ τύμπανα. καὶ Ἀμειψίας ἐν Κοινῷ· ὥστε ποιοῦντες χρησμοὺς αὐτοῖς δίδοσθαι δεῖν Διοπείθει τῷ παραμαινομένῳ.*

Quum v. *παράκειται* ad loca in Scholiis citata referri soleat, veluti in Schol. ad Vesp. 1310 (1301), *ἔμπροσθεν* autem *infra* significet, de quo usu grammaticorum dixit *Lobeckius* ad Phryn. p. 11, verba *παράκειται — ἐν Κρόνῳ* non possunt aliam vim habere, nisi hanc: *Laudatur vero infra Phrynichi quoque locus in fabula Κρόνῳ.* At quid hoc est *ἔμπροσθεν*, *infra.* Id si ad Amipsiae versum, qui sequitur, retuleris, necesse est ad Connum Amipsiae Scholia antiquitus scripta esse atque ex his Scholiis locum Phrynichi huc transisse. Sic ipsam Phrynichi fabulam *Κρόνος* Didymus interpretatus erat, monente Athenaeo IX, 371, f. At multo potius difficile istud *ἔμπροσθεν* ad Aristophanis et quidem fortassis Avium ipsarum scholia refero et sic censeo, in his scholiis longe olim, quam nostra sunt, integrioribus infra alicubi Phry-

nichi versus appositos fuisse. Restat Amipsiae locus, admodum sane depravatus, quem sic fere redintegro:

Ὥστε ποιοῦσιν χρησμοὺς αὐτοῖς δῶρον δεῖν φημὶ δίδοσθαι,
Διοπείθει τῷ παραμαινομένῳ—.

Post Diopithem alii sequebantur vates, ut Lampo, quales homines illa aetas plurimos tulit, saepe a Comicis derisos. Et nostro quidem loco Diopithes in numero *τῶν χρησμολόγων* refertur, idemque tum ut *δωροδόκος* reprehenditur, tum tanquam *μαντιώδης*, de quo utroque constat etiam aliunde. Furor et insania Diopithi ideo probro datus est, quod animo graviter commoto, quasi quodam divino spiritu afflatus, commentitia oracula sua fundere solebat 52). Si recte conjeci, sacra in Conno Amipsiae facta esse, pro certo affirmaverim, Diopithen aliosque vates carnis nidore allectos sacrificio intervenisse, id quod saepe faciunt homines isti etiam apud Aristophanem. Sed hic fere eos male mulcatos scena abigi jubet; Amipsias vero vates munusculo aliquo, ut frustis esculentis donatos cum bona gratia dimisit. Dixi sacra in Conno facta esse videri: sed minime repugnabo, si quis coenasse potius in Orchestra Chorum, sicuti in Daetalensibus, existimaverit. Quod si est ita, effuse credo risisse Athenienses, quum a philosophis macie confectis et tantum non pereuntibus fame cibos vixdum appositos incredibili quadam aviditate glutiri viderent. Alterum quidem horum, aut sacrificium, aut epulas in Conno institutas esse necessario sequitur ex eo fragmento, quo de jam dicturus sum. Athenaeus in exemplis vocabuli *κωλῆ* ne hoc quidem praetermisit IX, 368, e *Ἀμειψίας Κόννῳ·*

Δίδοται, μάλισθ' ἱερώσυνα,
Κωλῆ, τὸ πλευρὸν, ἡμίκραιρ' ἀριστερά.

Codices *ἱερωσύνα*, praeter unum qui *ἱεροσούνα*. Recte

52) Non licet dubitare, quin ille versus Eupolidis p. 175 Runk.
Ὅτι χωλός ἐστι τὴν ἑτέραν χεῖρ' οὐ λέγεις.,
vel quomodocunque scribatur, ad Diopithem vatem pertinuerit. Vide Eqq. 1085 ibique schol., in quibus, ut crebro alibi, ipse etiam allatus est.

Hesychius, Photius, Etymologus et *ἱερώσυνα* scribunt et ita explanant, *τὰ εἰωθότα δίδοσθαι ἱερὰ ἐξαίρετα τοῖς ἱερεῦσιν ἐπὶ τιμῇ τῆς ἱερωσύνης.* Jam in Herodiano *περὶ μονήρους λέξεως* p. 6, 26 mirum est edi potuisse sic: *κωλῆ. Ἀμειψίας Κόννῳ·*

ἐντεῦθεν ὅσαι μάλιστα ἱερώσυνα,
κωλῆ, τὸ πλευρὸν, ἢ μικρᾶς ἀριστερᾶς.

Hinc scilicet natus est alius error ad Athenaeum „*ἱερώσυνα* Herodianus.“ Quanto satius fuisset, Codicis ductus literarum relinquere, *ἀμειψίας κοινῷ· ἐντεῦθεν ὅσαι μάλιστα ἱερωσανακωλῦτο πλευρὸν ἢ μικρᾶς ἀριστερᾶς. Hermannus* voce *ἐντεῦθεν* merito recepta corrigebat,

ἐντεῦθεν ἐδίδοθ' ὅσα μάλιστ' ἱερώσυνα,
κωλῆ, τὸ πλευρὸν, ἡμίκραιρ' ἀριστερά.

Sed displicet Imperfectum, quod in re etiamtum fieri solita aegre puto defendi posse. Quocirca scribere malim,

Ἔντευθενὶ δίδοται μάλισθ' ἱερώσυνα,
Κωλῆ, τὸ πλευρόν, ἡμίκραιρ' ἀριστερά.

Tametsi enim *ὅσαι* pro *δίδοται* paullum habet admirationis, res tamen sic plane exstat, habentque *δίδοται* omnes Codices Athenaei, quibuscum unus iste Herodiani, plenus vitiorum, non est comparandus. Ceterum possis etiam *Ἐντεῦθεν οὖν δίδοται μ. ἑ.*, sed tamen *Ἐντευθενὶ* multo praestare judico. Hos igitur duo versus, quos ad sacrificium aut convivium spectare patet, gulosum sacerdotem locutum esse arbitror, qui quum in rem praesentem venisset, caeteros, quaenam partes sacerdoti legibus cederent, cupide admoneret. Prorsus enim non possum statuere, quid in mentem venerit *Meinekio*, ut l. l. diceret, in his versibus *tenuem phrontistarum victum a poëta innui*, quasi *ἱερώσυνα*, quae propria erant sacerdotum, ullo modo ad phrontistas attinere potuerint. Ne quidquam neglexisse videar, duo quaedam fragmenta subjiciam, quae neque ad quam rem, neque ad quem locum fabulae referenda sint, habeo dicere. Horum alterum Pollucis est X, 171 *ἐν δὲ τοῖς Δημιοπράτοις, κλιμάκιον· ἐν δὲ Ἀμειψίου Κόννῳ, κλιμακίδα.* Sic editum est ab *Hemsterhusio*. Vulgo

legebatur misere *ἐν δὲ Ἀμειψίᾳ, ὦ κλιμακίδα*, sed e Codd. *Voss.* et *Jungerm.* enotatum, *ἐν δὲ Ἀμψίου Κοινῷ, κλιμακίδα*. Non necessaria, sed satis tamen probabilis est *Salmasii* conjectura, *κλιμακίδια*, quum et comica forma substituatur et in Polluce modo praecesserit alia deminutio, *κλιμάκιον*. *Th. Bergkius* „Recte Kuehnius *κλιμακίδια* pro *κλιμακίδα* scripsit.“ Voluit dicere *Salmasium*. Unus etiam superest versus, descriptus ab Athenaeo VII, 327, d. ob nomen *φάγρος: Ἀμειψίας δ' (καὶ Ἀμειψίας Β) ἐν Κόννῳ·*

ὀρφοῖς σελαχίοις τε καὶ φάγροις ἔσῃ βορά.

Sic vulgo scriptum est. *Dindorfius*, *Arnaldi* et *Schweighaeuseri* conjecturam recepit hanc,

Ὀρφοῖσι σελαχίοις τε καὶ φάγροις βορά.

Sed quantillum erat, Amipsiae versum suum reddere,

Ὀρφοῖς σελαχίοις καὶ φάγροις ἔσῃ βορά.

Nam primo *τὲ καὶ* pro *καὶ* in h. l. irrepsit e simillimo Platonis versu, quem mox afferam. Deinde Codices, e quibus Venetus suggerit *ασιβορα*, Laurentianus *ἀσιβορα*, Palatinus denique *ἀσῖβορα*, vulgatam lectionem retinent, leviter modo depravatam. Profecto enim *α* istud nihil est aliud, quam ultima litera praecedentis verbi *φάγροις* repetita et cum proxima ε in unum confusa, hoc modo *cε*, quod pro *α* male habitum est. Jam vero *ἐσιβορα* certissime valet *ἔσῃ βορά*, qua lectione nihil est non modo vulgatius, sed etiam verius. Ita concidit etiam *Bergkii* mei emendatio,

Ὀρφοῖς σελαχίοις καὶ φάγροις ἀόσι (sive *ἠόσι*) *βορά.*,

quacum caeteroqui pugnat etiam versus Platonis. Hujus senarii propter usum vocis *ὀρφώς* vel *ὀρφὸς* proferuntur haud ita multo ante p. 315, b *Πλάτων Κλεοφῶντι·*

Σὲ γὰρ γραῦ, συγκατῴκισεν σαπρὰν
ὀρφοῖσι σελαχίοις τε καὶ φάγροις βοράν.

Posterior versus prope ad verba conspirat cum trimetro illo Amipsiae. Quum autem certissimum sit, et hunc suam Connum docuisse Ol. 89, 1 et illum Cleophontem suam

Ol. 93, 3., perspicuum est, Platonem ab Amipsia hic totum pendere. Utrum vero Plato versum Amipsiae, lepidissimum quippe, imitatus sit, an potius eum specie imitantis ut frigidum irriserit, in medio relinquendum est.

Conveniunt quidem magis minusve alii etiam nonnulli versus Amipsiae atque Platonis: veruntamen magnopere mirer, si Plato Amipsiam potissimum imitari voluerit, major ipse poëta minorem. Corruptus est superior versus Platonis, non item alter, quo utitur Eustathius quoque p. 1720, 49. Et *Porsonus* quidem in Adversarr. p. 99 scribi voluit ita,

Σὲ γὰρ τίς, ὦ γραῦ, συγκατῴκισεν σαπρὰν cet.

Hoc est: Quis te, anus, piscibus olim objecit devorandam? Quae sententia! Mirum vero, si anus a piscibus dilaniata postea tamen vixerit piscesque suos usque eo despexerit, ut integro corpore in scenam prodire non dubitaret. Ad eundem tamen scopulum adhaeserat etiam *Arnaldus*, sententia sic expressa: *Te enim, o anicula, putridam praebuit comedendam orphis, cartilaginois, et phagris.* Equidem sic lego: *Πλάτων Κλεοφῶντι·*

Τοίγαρ σὲ γραῖ συγκατῴκισεν σαπρᾷ cet.,

mutatione perquam exigua. *Τοίγαρ* praepositum est cum vi ut Lysistr. 901. 902. Contrariae potestatis et lenius est *γάρ τοι* post alia verba, quam *τοίγαρ* initio. Vetulae Comicorum saepius a piscibus devorabantur; vide Nub. 549—552, cl. Thesmoph. 1062. „Itaque te, inquit, cum anu vetula conclusit, pabulum omnis generis piscium.“ Nam qui eadem domo cum vetula continetur, is certe cum ipsa commune adibit periculum. Habes sententiam, si non optimam (mihimet enim ipse non satisfacio), at certe aliquam, quam si poteris, evertes meliore: cave enim novam fingas, quae nulla sit, ut olim *Porsonus*. Hoc loco ne illud quidem omittam, Phrynichi quoque prorsus ut Amipsiae et *Κόννου* et *Κωμαστὰς* saepius a grammaticis commemorari. De hoc permiro aequalium Comicorum in duabus fabulis consensu disputare debuerat *Meinekius* Qu. Sc. II p. 9. Nisi fallor, duo illa Phrynichi dramata

Connum Comastasque Amipsiae tempore sequuta sunt. Nam quum vidisset Phrynichus, duo illa Amipsiae dramata tantopere placuisse populo Atheniensi, ut Aristophanis ipsius fabulis anteponerentur, duas scripsit comoedias similis argumenti, quae ab ipso titulo nonnihil commendationis habiturae essent. Fortasse speraverat adeo Amipsiae inventa a se superatum iri. Utut fuit, ista tanta aemulatio frigidi poëtae cum alio non minus frigido iterum iterumque certantis (certe enim alter alterum studiose imitari voluit) multum habet voluptatis. Postremo duo alios Amipsiae locos Conno fabulae tribuant, si qui volent: facient enim me lubente. Unus Pollucis est II, 50., ubi in Cod. Falckenburg. ita scriptum: ὁ δὲ κωμικὸς ἀμαψίας (sic) τὸ νεύειν ὀφρυάζειν εἴρηκεν. Tenendum est autem, paullo ante illo in loco antecedere, καὶ τὰς ὀφρῦς δὲ συνάγων ὁ φροντιστής. Alter locus mendo affectus est. Hunc debemus Hephaestioni p. 36 ed. G. ὁμοίως δὲ καὶ τὸ τετράμετρον βραχυκατάληκτον ἐπισημόν ἐστιν· οἷον,

οὐδ' Ἀμειψίαν ὁρᾶτε πτωχὸν ὄντ' ἐφ' ἡμῖν.

De quo *Meinekius* II p. 42 „pro Ἀμειψίαν legendum est haud dubie Ἀμεινίαν vel Ἀμννίαν" ac tum affert Vesp. 1263. Verum est Ἀμννίαν, at plane falsum Ἀμεινίαν: hic enim est archon ille Ol. 89, 2, non juvenis, quem ridere Comici solent. Nos ita corrigimus partim cum *Meinekio*: οἷον τὸ τοῦ Ἀμειψίου· οὐδ' Ἀμννίαν ὁρᾶτε, πτωχὸν ὄντ' ἐφ' ἡμῖν. Ita statim sequitur οἷον τουτὶ τοῦ Ἀνακρέοντος. *Turnebus*, πτωχὸν ὄντ' ἔν' ἡμῶν i. e. πτ. ὄ. ἐφ' ἡμῶν. Quamquam quid ego haec tam incerta consector: prope est enim, ut gaudeam tam pauca fragmenta ad nos pervenisse, ut mihi in Conno Amipsiae non diutius morandum sit.

Alii mirentur Amipsiam; nihil enim impedio. Ego semper ita statuam, male Aristophani bis praelatum esse Amipsiam, qui cum illo omnino non conferri debeat; postremo id non judicium fuisse, sed maximam injuriam. Aristophanes quidem quum illa scriberet Nub. v. 520 εἶτ' ἀνεχώρουν ὑπ' ἀνδρῶν φορτικῶν | ἠττηθείς, οὐκ

ἄξιος ὤν, multo potius Amipsiae habuit rationem, quam Cratini 53). Et credemus, ab Amipsia meliorem comoediam inveniri potuisse Avibus, fabula joci atque urbanitatis plenissima, quae et *Goethio*, magno poëtae, inprimis probata est, et omnibus, qui quidem valebunt judicio, egregie placebit? —

Sequitur Pytine Cratini, cujus fabulae aliquanto plures, quam Conni Amipsiae, reliquias et quasi tabulas e communi literarum naufragio ereptas colligere Viris Doctis licuit. Ceterum ne quis mirari possit, me hoc potissimum loco de hac Comoedia longiusculam orationem ingressurum esse, quum quidem Socratis nomen in Pytine tota fortasse non sit auditum, nimirum hoc maxime nunc quaerimus, rectene an immerito Cratinus tum Aristophani praelatus esse videatur. Nam Cratinum victoriam reportasse, consentiunt scriptor argumenti ex antiqua didascalia derivati, tum in parabasi Nubium ipse, ut videtur, Aristophanes, denique etiam Lucianus, qui plane dixit *νικήσας*, ut de hac quidem re nulla esse possit dubitatio. Quamobrem nostrum est, primo videre, quotnam fere annos natus Pytinen Cratinus docuerit, deinde, quanam re commotus ejusmodi fabulam scripserit, tum quod argumentum Comoediae fuerit universae, quaeve ratio fragmentorum singulorum, postremo, quibusnam virtutibus vel etiam vitiis Pytine excelluerit. Septem omnino et nonaginta annos Cratinus vixisse dicitur a Luciano in Macrobiis c. 25 *Κρατῖνος δὲ ὁ τῆς κωμῳδίας ποιητὴς ἑπτα πρὸς τοῖς ἐνενήκοντα ἔτεσιν ἐβίωσε, καὶ πρὸς τῷ τέλει τοῦ βίου διδάξας τὴν Πυτίνην καὶ νικήσας μετ' οὐ πολὺ ἐτελεύτα.* Cui quum fidem habuisset *Meinekius* I p. 14. Cratinum, quem satis scimus Ol. 89, 2 diem obiisse suum, asseveravit natum esse Ol. 65, 1. Ego tamen Luciano

53) Hoc ipsum sentiebat, Scholiasta, quum scriberet: *Ἐπὶ οὐ Κρατίνου, ἀλλ' Ἀμειψίου δεύτερος ὤφθη*, h. e. Aristophanes non dicam Cratino (id enim aequiore animo ferre debebat), sed Amipsiae postpositus est; hoc maxime pupugit Aristophanem. Fallitur de hoc Scholio *Meinekius* I p. 17.

non omnino ausim confidere. Primum enim τέσσαρα πρὸς τοῖς ἐνενήκοντα bis (non item tertio loco) scriptum est in Editione Principe: qui ut geminus numerorum error esse potuerit, at ne hoc quidem incredibile est, fuisse, qui e Scholio deperdito vel ex alio fonte hodie ignoto alterum numerum substituerent. Deinde vero quis non valde illud miretur, quod nos credere jubet Lucianus tres poëtas Comicos, Epicharmum, Cratinum et Philemonem prorsus eodem aetatis anno mortuos esse eosque omnes septem annos supra nonaginta explesse, id est ad ultimos prope vitae humanae pervenisse terminos? Ita permulti se facient comicos poëtas, ut eis septem et nonaginta annos vivere liceat. Accedit, quod nemo praeterea aut Philemoni, aut etiam Epicharmo XCVII annos tribuit: nam de Cratino alius testis praeter Lucianum non exstat. Sed Philemonem Suidas sive sex et nonaginta, sive unum supra centum annos vixisse refert, Diodorus Siculus autem XXIII, 7. nonaginta novem. Epicharmum vero Diogenes Laertius VIII, 78. XC tantummodo annos ait confecisse. Quodsi quis laboranti Luciano ita succurret, ut eum tanto confidentius neget de Cratino errasse, quo minus idem viderit in reliquis: equidem potius profiteor, continuam quandam fabulam hic narratam esse videri, quae quoniam genere toto vacillat, ne in unica quidem parte poterit valere. Hoc apparet et e Luciano, et vero etiam ex Equitibus, Cratinum, senem decrepitum, vel potius non decrepitum, veruntamen natu pergrandem e vita cessisse. Sed quum Ol. 89, 1 Pytinen dederit Cratinus, idem vero non amplius vivat in Pace v. 684, Ol. 89, 3, circiter Ol. 89, 2 eum mortuum esse necesse est. Illa autem verba, permira sane, ἀπέθανεν | ὅθ' οἱ Ἀχαρνῆς ἐνέβαλον, ego pariter atque *Meinekius* I p. 15 non e rei veritate, sed ex ingenio Comici ludentis puto metienda esse. Fingit enim Aristophanes, eum, quum Lacedaemonii incursionem in fines Atticae fecissent, hoc ipso tempore exspirasse, scilicet ut mirificam Cratini ignaviam notaret (compara etiam Acharn.

138—140); fingit item, vinolentum hominem aegritudine enectum esse, quod emori maluisset, quam cadum vini confractum oculis cernere. Jam vero minime obscurum est, Cratinum Pytines scribendae consilium cepisse, ab Aristophane Ol. 88, 4 irritatum in duobus Equitum locis, altero v. 398

εἰ σε μὴ μισῶ, γενοίμην ἐν Κρατίνου κώδιον.,

altero v. 524 sqq., quem, licet paullo longiorem, adscribam tamen:

εἶτα Κρατίνου μεμημένος, ὃς πολλῷ ῥέψας 54) *ποτ' ἐπαίνῳ*

54) Libri omnes *ῥεύσας* forma in Aristophane non ferenda. Similitudo petita est a fluvio labente, qui obstantia quaevis secum auferat. Vide Platonis De Republ. VIII, 544, E — *οἳ ἂν ὥσπερ ῥέψαντα τἆλλα ἐφελκίσηται.* Hic quoque *ῥεύσαντα* vulgo irrepserat, sed *ῥέψαντα* Codices plerique. Similiter Latini *pronus amnis*, ut Virgilius. De sententia, cf. Hor. Od. 4, 2, 5 Monte decurrens velut amnis, imbres quem —. Qui *Matthiam* sequutus Aoristum *ἐῤῥεύσα* Atticis recte abjudicavit, *Lobeckius* vir praeclarus, ad Phrynichum p. 738 sqq., et Aristophanis versum de vitio suspectum habuit, repetitione ejusdem verbi *ῥεύσας — ἐῤῥει* merito offensus, et Aeschylo *ἐῤῥυσίαζον* optime restituit. Minus feliciter in aliis locis versatus est: „Sed *ῥεύσειεν* Euripides scripsit, inquit, in Dan. v. 32." At nullo modo ignorabat *Lobeckius*, istum locum ab alio quovis potius profectum esse, quam ab Euripide. Non magis vellem illud scripsisset Vir Egregius „Magis pertinaciter haeret *περιῤῥεῦσαι* Lycurg. c. Leocr. p. 201 Tom. IV." Hic *περιῤῥεῦσαι* quidem *Bekkerus* quoque edidit 96, 4., nec quidquam libri variant. Verum jam olim emendavi equidem, ut scripserat Lycurgus: *λέγεται γὰρ κύκλῳ τὸν τόπον ἐκεῖνον περιῤῥεῖσθαι τῷ πυρὶ καὶ σωθῆναι τούτους μόνους —.* (Praesens non debet offendere; sic modo praecessit, *τοῦτον δὲ ῥεῖν φασιν —.* Luc. Hermotim. c. 34 *φασὶ — εἶναι — καὶ — διαλαθεῖν —.*) Apposite compares Luc. De Luctu c. 3 *περιῤῥεῖσθαι δὲ τὴν χώραν αὐτοῦ ποταμοῖς μεγάλοις —.*, et De Hist. Conscr. c. 24 *ὡς περιῤῥεῖσθαι αὐτὴν ὑπ' ἀμφοτέρων τῶν ποταμῶν —.* Hic *περιωρίσθαι*, ut vulgo, etiam liber Gorlicensis, sed *περιῤῥεῖσθαι* recte Florentinus, antiquior illo. Contra Lucianum, tersum ut illis temporibus scriptorem,

διὰ τῶν ἀφελῶν πεδίων ἐῤῥέι, καὶ τῆς στάσεως παρασύρων
ἐφύρει τὰς δρῦς καὶ τὰς πλατάνους καὶ τοὺς ἐχθροὺς προθελίμνους·
ἅσαι δ' οὐκ ἦν ἐν συμποσίῳ, πλὴν „Δωροῖ συκοπέδιλε"
καὶ „τέκτονες εὐπαλάμων ὕμνων 55)· οὕτως ἠνθησεν ἐκεῖνος.
νυνὶ δ' ἡμεῖς αὐτὸν ὁρῶντες παραληροῦντ' οὐκ ἐλεεῖτε,
ἐκπίπτουσῶν τῶν ἡλέκτρων καὶ τοῦ τόνου οὐκέτ' ἐνόντος,
τῶν θ' ἁρμονιῶν διαχασκουσῶν· ἀλλὰ γέρων ὢν περιέῤῥει
ὥσπερ Κοννᾶς, στέφανον μὲν ἔχων αὖον, δίψῃ δ' ἀπολωλώς,
ὃν χρῆν διὰ τὰς προτέρας νίκας πίνειν ἐν τῷ πρυτανείῳ,
καὶ μὴ ληρεῖν, ἀλλὰ θεᾶσθαι λιπαρὸν παρὰ τῷ Διονύσῳ.

Plura de his versibus scribere possem, si res a proposito alienas effundere deceret. Nunc illud modo teneamus, de quo queritur Aristophanes, Cratinum, quum antea summa justissimaque laude floruisset, jam adeo se totum ebriositati dedisse, ut omnes ingenii vires una cum ipso plane consenuerint. Hoc tam ambiguo poëtae tum aemuli judicio gravissime offensus Cratinus nondum aut animi vires deficere sese, aut mentis aciem magnopere hebetatam

---

Bis Accusat. c. 16 *ῥευσάτω* sub cultro relinquere cogor. Caeteros locos a *Lobeckio* allatos nunc non libet examinare.

55) Scholiastes *τέκτονες εὐπαλάμων*] — *καὶ τοῦτο δὲ ἐκ τῶν Εὐμενίδων* (*Εὐνειδῶν*) *Κρατίνου.* Itaque etiam prius illud *Δωροῖ συκοπέδιλε* ex Eunidis sumtum est, quod fugit *Runkelium.* Multo gravius est, quod ex his duobus versibus discimus, populum Atheniensem Eunidas Cratini in praecipuo quodam loco ac numero habuisse, atque id probante Aristophane, quo meliorem judicem ne optare quidem possumus.

esse Pytine fabula ostendit, in qua comoediae impetu contra semet ipsum converso maxime quidem vinolentiam, deinde etiam timiditatem vehemens ac paene Archilochium scribendi genus aliaque data opera in se reprehenderet.

Sed quomodocunque de hac fabula existimandum sit, illud Cratinus haud dubie assequutus est, ut animi vigorem non sane eundem etiamtum, qui olim fuerat, attamen ut in summa senectute certe permagnum admiremur omnes. Quo etiam feci libentius, ut de Pytine, cycnea illa voce Cratini, quam non multo ante mortem in theatro misit, dissererem, dissererem autem aliquanto, quam nonnulli ante me, copiosius: tametsi complura aliorum industriae sciens prudensque relinquam. Igitur Cratinum immoderatum vini amorem suum illusisse, quum e fragmentis clare intelligi possit, tum apparet etiam ex ipso nomine fabulae *Πυτίνη*, deinde e Scholiasta ad Pacem v. 686 (701) *ὅτι δὲ φίλοινος ὁ Κρατῖνος, καὶ αὐτὸς ἐν τῇ Πυτίνῃ λέγει σαφῶς*., denique e quodam Plutarchi loco, quamvis corrupto, Sympos. II, 1 Tom. VIII, p. 513 Reisk. (T. III, 2. p. 570 Wyttenb.): *καὶ τῶν Κωμικῶν ἔνιοι τὴν πικρίαν ἀφαιρεῖν δοκοῦσι τῷ σκώπτειν ἑαυτούς· ὡς Ἀριστοφάνης εἰς τὴν φαλακρότητα, καὶ τὴν οἴνου δίψην Κρατῖνος δὲ τὴν Πυτίνην ἐδίδαξεν.* Aldina et Basileensis ed., *τὴν Ἀγάθωνος λίψιν*, vel *δίψην*. Dixi jam supra, haec sic videri corrigenda esse: — *ὡς Ἀριστοφάνης εἰς τὴν φαλακρότητα ἐν τῷ Ἀναγύρῳ* (sc. *ἔσκωψε*)· *καὶ Κρατῖνος δὲ εἰς τὴν οἴνου δίψην τὴν Πυτίνην ἐδίδαξεν.* At quomodo Cratinus nimiam istam vini cupiditatem suam illusit? Partem argumenti tradiderunt Scholiasta ad Eqq. 399 et oratione magis emendata Suidas s. v. *κώδιον*, qui ita loquitur: *ὅθεν καὶ παροξυνθεὶς ἐκεῖνος (Κρατῖνος), καίτοι τοῦ ἀγωνίζεσθαι ἀποστὰς καὶ συγγράφειν* 56), *πάλιν ἀγωνίζεται καὶ γράφει δρᾶμα τὴν Πυτίνην εἰς αὐτόν τε καὶ τὴν*

56) Hoc falsum: nam Ol. 88, 3 Lenaeis Cratinus *Χειμαζομένοις* cum Acharnensibus, Ol. 88, 4 autem rursum Lenaeis cum Equitibus *Σατύροις* in certamen commisit.

μέθην. οἰκονομίᾳ δὲ κέχρηται τοιαύτῃ. τὴν κωμῳδίαν ἐπλάσατο ὁ Κρατῖνος εἶναι αὐτοῦ γυναῖκα καὶ ἀφίστασθαι τοῦ συνοικεσίου τοῦ σὺν αὐτῷ θέλειν καὶ κακώσεως αὐτοῦ δίκην λαβεῖν (recte *Kusterus*, *αὐτῷ δίκην λαχεῖν*). *φίλους δὲ παρατυχόντας τοῦ Κρατίνου δεῖσθαι μηδὲν προπετὲς ποιεῖσθαι καὶ τῆς ἔχθρας ἀνερωτᾶν τὴν αἰτίαν. τὴν δὲ μέμφεσθαι αὐτῷ, ὅτι μὴ κωμῳδεῖ μηκέτι, μηδὲ συγγράφει, σχολάζει δὲ τῇ μέθῃ.* Scholiasta satis vitiose *ὅπερ μοι δοκεῖ παροξυνθεὶς — πόλιν γράφει — αὐτόν τε καὶ μ. οἰκ. τε κεχρημένον τ. — ὁ κρ. ἐπλάσατο αὐτοῦ εἶναι — αὐτῷ* (*αὐτοῦ* J2) *δίκην λαγχάνειν. — περιτυχόντας — ποιῆσαι* (*περιποιῆσαι* J2) *καὶ — κωμῳδοῖ ἢ μηκέτι σχολάζοι τῇ μέθῃ.* (Recte *Meinekius ὅ. μ. Κωμῳδοίη μηκέτι, σχολάζοι δὲ τ. μ.*) Itaque Cratinus Comoediam uxorem suam induxerat, quae pertaesa matrimonii discedere a viro et factae sibi contumeliae actionem (*κακώσεως δίκην*) adversus eum intendere cuperet. Huic incepto superveniunt amici et ipsius et Cratini orantes, ne quid temere neu inconsulte faciat atque ecquaenam sit tam subitae irae causa, quaerentes. Tum illa maritum vehementer accusat, quod a scribendi studio aversus tot jam noctes secubuerit, in potatione vero ac temulentia tantum ponat, eam ut solam amore complectatur. Habemus autem ex oratione et Comoediae, quae prior loquebatur, et Cratini objecta sibi crimina diluentis versus aliquot, eosque plane judiciali more et dicendi genere compositos. Neque vero id publicum fuit judicium, sed privata quaedam disceptatio coram illis ipsis conjugum amicis, qui sine dubio arbitri litis constituti sunt. De diaetetis quum alii exposuerunt, tum prae caeteris *Hudtwalckerus;* vide etiam *Hermannum* Marburgensem in Antiqq. Civitt. Graecc. p. 278. 280. *Δίκην πρόδικον* in *Δράμασιν* commemoravit Aristophanes, idemque dixit Acharn. 1080 *βούλει περιδόσθαι κἀπιτρέψαι Λαμάχῳ,* | *πότερον —.,* quod ab hoc genere non prorsus abhorret. Themistocles autem auctore Cornelio N. c. 1 multum in judiciis privatis versabatur. Romae judices privati sive selecti a Praetore urbano dabantur,

quemadmodum olim monuit *Muretus* Oper. Omn. Tom. IV. p. 290 ed. Ruhnken. E latinis scriptoribus addi possunt Liv. 3, 72 quem enim hoc privatae rei judicem fecisse, ut sibi controversiosam adjudicaret rem? Cic. De Oratore I, 38 judicia privata magnarum rerum obire, in quibus — et ibidem c. 39. *Δίκη πρόδικος* Graecorum, de qua minus recte statuit *Hermannus* meus, accurate respondet Romanorum *praejudicio*, veluti Cic. Pro L. Murena c. 28 et Pro Plancio c. 23. Particulam ex oratione Comoediae ad arbitros illos habitae Scholiasta ad Equites apposuit, qui eo, quem supra dixi, loco ita pergit: *μηδὲν δὲ χεῖρον πολυμαθίας ἕνεκεν αὐτὰ τὰ ἐπιτήδεια τῶν ἰάμβων ἐκλέξαντα θεῖναι ταῦτα· „ἀλλ᾽ ἐπαναστρέψαι βούλομαι εἰς τὸν λόγον πρότερον, ἐκεῖνος πρὸς ἑτέραν γυναῖκα ἔχων τὸν νοῦν, κακὰς εἶποι πρὸς ἑτέραν, ἀλλ᾽ ἅμα μὲν τὸ γῆρας, ἅμα δέ μοι δοκεῖ οὐδέποτ᾽ αὐτοῦ πρότερον,“ καὶ τὰ ἑξῆς.* Admodum haec mendosa, quis negat? veruntamen conjecturas quoque doctorum hominum satis invenio vitiosas. Ne ille quidem *Bentlejus*, quum scriberet, *Ἀλλ᾽ ἐπανατρέψαι βούλομαί γ᾽ εἰς τὸν λόγον | Πρότερον· ἐκεῖνος πρὸς ἑτέραν γυναῖκ᾽ ἔχων | τὸν νοῦν κακῶς εἶποι πρὸς ἑτέραν· ἀλλ᾽ ἅμα —.*, veri quidquam dispiciebat praeter *ἐπανατρέψαι*. Sic etiam *Meinekio* res parum ex sententia processit; neque enim priores versus ita legendi sunt, ut pronunciat ipse, *ἀλλ᾽ ἐπανατρέψαι βούλομεσθ᾽ εἰς τὸν λόγον | πρότερον. ἐκεῖνος πρὸς ἑτέραν γυναῖκ᾽ ἔχων | τὸν νοῦν —*. Jam *Runkelium*, qui ab initio posuit, *ἀλλ᾽ ἐπανατρέψαι βούλομαι πρὸς τὸν λόγον πρότερον*, reliqua vero turpissime interpolavit, omittamus. Primum equidem de h. l. unius Scholiastae ope restituendo nego desperandum esse, quemadmodum desperavit *Kusterus;* deinde ita lego itaque distinguo:

Ἀλλ᾽ ἐπανατρέψαι βούλομ᾽ εἰς τὸν νῦν λόγον.
Πρότερον ἐκεῖνος πρὸς ἑτέραν γυναῖκ᾽ ἔχων
τὸν νοῦν, κακά μ᾽ εἶπε πρός γ᾽ ἑταίραν, ἀλλὰ νῦν
ἅμα μὲν τὸ Γῆρας, ἅμα Μέθη δέ μοι δοκεῖ,
αὐτοῦ πιθεσπόζουσιν, οὐ πρότερον γάρ, οὔ.

In primo horum versuum, quos latine interpretari nihil est necesse, tantum satis est, de singulis admoneri, sed in primo quum *βούλομ' εἰς* non magis offendat, quam *ἔρχεθ' ὡς* Thesmoph. 1178 aut *δέομ' οὐδέν* Lysistr. 927 (v. *Brunckium* ad Thesmoph. 922), tum vero nihil aptius est hac sententia: *Sed revertar ad id, quod nunc agitur.* Nam *ὁ νῦν λόγος* Graece eam rem significat, de qua nunc sermo sit, veluti Nub. 371 Soph. Electr. 769 Oed. C. 801. In tertio versu *maledixit mihi*, inquit, *ad meretricem;* cum verbis *κακά μ' εἶπε* contende Eccles. 435. Primos quattuor versus certa emendatione mihi videor renovasse, certa etiam initium quinti, *αὐτοῦ 'πιδεσπόζουσιν*, ultimam vero conjecturam, *οὐ πρότερον γάρ, οὔ* non probo, nisi mediocriter. Tamen et sententia bona est, *non sane antea, non, aut Senecta aut Temulentia imperium in eum habebant*, et quemadmodum hic *νῦν — οὐ πρότερον γάρ*, ita plane in Eqq. 522 *ἐπὶ γήρως, οὐ γὰρ ἐφ' ἥβης* ad se invicem referuntur. Ex eadem Comoediae oratione petitum esse hunc versum apud Porphyrium in Schol. Venet. ad Iliad. E. 533 p. 144, b Vill., quod nuper repetitum est in Schol. Ambros. ad Od. ϑ, 186 p. 284 Buttm. (antea ediderat *Brunckius* in Lexico Sophocl. v. ἦ p. 132)

Γυνὴ δ' ἐκείνου πρότερον ἦ, νῦν δ' οὐκέτι.

vidit *Meinekius.* In Scholiasta Veneto *ἦν* scriptum est contra ipsius Porphyrii sententiam 57). Contra dissen-

---

57) Suidas. *Ἦν δ' ἐγώ: ἔφην δὲ ἐγὼ παρὰ Πλουτάρχῳ καὶ Ἀριστοφάνει.* Recte MS. C. C. Ch. apud Porsonum pro *παρὰ Π. καὶ Ἀ.* habet *παρὰ Ἀριστοφάνει Πλούτῳ.* Hic tantus fuit Suidae stupor, quantus in homine alienam sapientiam compilare solito cogitari maximus potest. Tantum abest enim, ut haec glossa a *Dobreo* in Addendis (p. 97), ubi hanc locutionem in Pluto II usquam occurrere negat, atque a *Dindorfio* Ar. Fr. p. 79 priori Pluto adscribi debuerit, ut certissimum sit, has Suidae ineptias unice adversum Plut. II, 29

κακῶς ἔπραττον καὶ πένης ἦν. ΚΑ. οἶδά τοι.

pertinere. Hunc vero locum (ne id forte nescias) obliviosus

timus cum *Meinekio* de alio quodam versu apud Clementem Alexandrinum Strom. VI, p. 748, 15 P. (p. 265 Sylb.

magister modo ipse attulerat. Nunc mihi aliquis videat et Choeroboscum in Bekk. Anecd. p. 1380 *ἔχομεν τὴν χρῆσιν τοῦ ἦν ἐγὼ παρὰ Ἀριστοφάνει ἐν Πλούτῳ — καὶ παρὰ Μενάνδρῳ ἐν τῷ Γεωργῷ· ἦν δ' οὐ πονηρὸς οὐδ' ἐδόκουν.*, ubi in Menandri verbis δ' deleo, ut hic non minus, quam in Aristophane altera forma ipso hiatu excludatur, et vero etiam Etymologum 431, 15 *τὸ μὲν ἦν ἐγὼ παρὰ Ἀριστοφάνει ἐν Πλούτῳ, γίνεται οὕτως.* In hoc utroque grammatico verba *ἦν ἐγὼ* apparet sic explicanda esse, *ἦν prima persona, cram*, neque ullum alium Pluti versum nisi eum, quem cummaxime attuli — *καὶ πένης ἦν* — aut, si forte, v. 696. 822 ista scribentibus obversari potuisse. At Suidas quum quid sibi vellet illud *ἦν ἐγὼ* minime assecutus esset, diversissimam formulam *ἦν δ' ἐγὼ* temere substitutam Pluto Aristophanis primus hominum donavit additaque explicatione *ἔφην δὲ ἐγὼ* cavit sedulo, ne quis ipsum culpa liberaret. Zonaras an in ejusdem erroris societatem veniat p. 997 *Ἦν δ' ἐγώ. ἔφην δ' ἐγώ. παρὰ Πλάτωνι καὶ Ἀριστοφάνει. καὶ ἦν ἀντὶ τοῦ ἤμην —.* non decernam: locutione *ἦν δ' ἐγὼ* Aristophanes quod sciam semel tantum usus est Eqq. 632, ter autem *ἦ δ' ὅς* persona tertia Vesp. 796 Lysistr. 513 Plut. 119, at Pluto utraque tum *ἦδ' ὅς* tum *ἦν δ' ἐγὼ* saepissime. Hinc et Lexiphanes aliique Graeculi huic similes utrumque quam possent creberrime studebant inculcare et grammatici hunc usum Platonis potissimum auctoritate tuebantur. Ceterum idem Plato *ἦ cram* locis dixit innumerabilibus, id quod non magis fugit grammaticos veluti Choeroboscum in Bekk. Anecd. p. 1379 *ἦ ἀντὶ τοῦ ὑπῆρχον ὡς παρ' Ἀριστοφάνει ἐν Ὄρνισιν·* (v. 97, ubi *ἦν* libri constanter) *ἦ γὰρ ἐγὼ ξένος ἄνθρωπος* (sic) *καὶ παρὰ Πλάτωνι ἡ χρῆσις εὕρηται.*, quem locum *Bekkerus* cum altero Choerobosci ad Theodosium debebat conjungere Quod autem Grammatici *ἦν cram* Pluto maxime confirmant, meminisse poterant non solum versus 29, sed etiam v. 696. 822. Contra v. 77 male et nonnulli Dobrei Codd. et omnes Bekkeri *ἦν*, recteque *ἦ*, ut vulgo multi invenerant grammatici, in eo versu, qui vel ipso sono tragicum prodit, *δεῖ γὰρ ὡς ἔοικέ με | λέγειν, ἃ κρύπτειν ἦ παρεσκευασμένος.* Certum puto, formam *ἦ cram* inde a temporibus mediae novaeque Comoediae paullatim in oblivionem abisse moxque alteram *ἦν* remansisse solam: verum ipsi Attici quum utraque uterentur, certum potius judicium sequi debebant, quam ludibrium casus.

p. 251 ed. Lugdun. s. Commelinian.). Hunc Clementis locum furta, ut putat, Atticorum scriptorum cupide venantis, qui tum si non omnes, at certe plerique, fortuito in eandem cogitationem, adde etiam in similia quaedam verba inciderant, operae pretium est transscribere, quamvis longum: *οὐδὲ ἐκεῖνα παραπέμψομαι· Κρατίνου ἐν Πυτίνῃ εἰπόντος·*

Τὴν μὲν παρασκευὴν ἴσως γιγνώσκετε.,

Ἀνδοκίδης ὁ ῥήτωρ λέγει· τὴν μὲν παρασκευήν, ὦ ἄνδρες δικασταί, καὶ τὴν προθυμίαν τῶν ἐχθρῶν τῶν ἐμῶν σχεδόν τι πάντες εἴσεσθε. (De Mysterr. init., ubi scribitur *ὦ ἄνδρες* et post enuntiationem in medio interjectam recte *σχεδόν τι πάντες ἐπίστασθε.*) *ὁμοίως καὶ Νικίας ἐν τῷ πρὸς Λυσίαν ὑπὲρ καταθήκης· Τὴν μὲν παρασκευὴν καὶ τὴν προθυμίαν τῶν ἀντιδίκων ὁρᾶτε, ὦ ἄνδρες δικασταί, φησίν.* (Scr. *ὁμοίως καὶ Λυσίας ἐν τῷ πρὸς Νικίαν ὑπὲρ καταθήκης.*

Hermannus quod aliquando suspicatus est ἦ aoristi, imperfecti autem ἦν esse proprium, nuper rejecit. Ego tamen in hac subtilissima ratione multum veri inesse arbitror. Nam in Atticis scriptoribus ἦ, ut opinor, valet *eram et non sum*, ἦν autem *eram et sum*, quae opinio plerisque omnibus locis pulchre congruit. Ita semper invenias ἦν ἄρα, ut Hippol. v. 1012 et Iphig. Aul. 944, ubi ne possis quidem, si maxime velis, ἦ substituere, at contra γυνὴ δ' ἐκείνου πρότερον ἦ, νῦν δ' οὐκέτι dixit Cratinus eodemque modo scripserat Euripides in Hecuba v. 284 κἀγὼ γὰρ ἦ ποτ', ἀλλὰ νῦν οὐκ εἰμ' ἔτι, non ut hic in libris est ἦν. Denique in iis l., ubi salva sententia ponere utrumvis liceret, Atticos vel aurium judicio, quod est sane superbum, aliquid dedisse censeo, vel etiam consuetudini suae, ut Platonem, qui ad formam ἦ longe magis inclinabat. Illud non erat, quod moraretur *Buttmannus* Gr. T. I p. 552 infra, formam ἦν *eram*, minime dubiam locis aliquot Atticorum probare Choeroboscum non dubitasse. Idem enim Choeroboscus, eodem loco alteram quoque formam ἦ exemplis munivit, et nisi ejusmodi exempla prolata essent, in quibus ἦ scribere propter hiatum nullo modo liceret, periculum erat, ne Atticis, quos ἦ dixisse constaret, quum ἦν post longum certamen sociam ἦ de loco tandem dejiceret, vel olim grammatici Alexandrini, vel hodie duriores quidam philologi plane e manibus extorquere conarentur.

Videtur enim Lysiae fragmentum esse: etsi de illa oratione nihil accepimus. *Sluiterus* a *Runkelio* nominatus, Lectt. Andocid. 6 p. 103 quidnam dixerit, ignoro. Sed offendit καταθήκης pro παρακαταθήκης aut saltem παραθήκης; v. Phrynichum Lobeckii p. 312.) καὶ μετὰ τοῦτον Αἰσχίνης λέγει· Τὴν μὲν παρασκευὴν ὁρᾶτε, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, καὶ τὴν παράταξιν. (Initium orat. in Ctesiphontem. Sequuntur duo similes loci Demosthenis et Philini:) πάλιν Δημοσθένους εἰπόντος Ὅση μὲν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, σπουδὴ περὶ τουτονὶ τὸν ἀγῶνα καὶ παραγγελία γέγονε, σχεδὸν οἶμαι πάντας ὑμᾶς ᾐσθῆσθαι. (Init. orat. De falsa Legat.) Φιλίνος τε ὁμοίως· Ὅση μέν, ὦ ἄνδρες δικασταί, σπουδὴ καὶ παράταξις γεγένηται περὶ τὸν ἀγῶνα τουτονί, οὐδ' ἕνα ὑμῶν ἀγνοεῖν ἡγοῦμαι. Hoc primum teneamus, et Cratini versum et locos Lysiae atque Philini ex initio orationum sumtos esse: quod non modo caeterorum similitudo locorum commendat, verum etiam res ipsa postulat. Tum *Meinekius* quod hunc versum Cratini ad Comoediae orationem contulit, I p. 18, erravit sine controversia.

Nam quum omnino ejusmodi initium longe saepius reo conveniret, quam accusatori, tum hic minime Comoedia, sed tantummodo Cratinus de ambitu deque factione contra se comparata queri poterat. Ceterum vix est, quod moneam inter hos locos fortuitam similitudinem, non, ut Clementi videbatur, quaesitam de industria intercedere. Nam et reliquis et maxime Andocidi majores tum res, quae eum sollicitarent, erant curandae, quam ut Cratinum imitatione consectaretur. Comoedia autem marito egestatem quoque criminis loco objecerat, quantum colligo e versu apud Herodianum Περὶ μονήρ. λέξ. p. 38, 7 οὐκ ἀγνοῶ δέ, ὡς καὶ ὀστοῦν λέγεται, ὡς καὶ παρὰ Κρατίνῳ ἐν Πυτίνῃ· ἀλλ' οὐδὲ λάχανον οὐδὲ οὐδ' ὀστοῦν ἔστι ὁρῶ., quem certe praestat ita corrigere,

ἀλλ' οὐδὲ λάχανόν ἐστιν οὐδ' ὀστοῦν ὁρῶ.,

quam ut *Dindorfius* putabat,

ἀλλ' οὐδὲ λάχανον οὐδὲν οὐδ' ὀστοῦν ἔτι
ὁρῶ.

Praeterea objecerat non solum longam scribendi intermissionem, id quod ad tempora ante Ol. 88, 3 pertinere debebat, sed etiam importunam, qua olim usus sit, in reprehendendo acerbitatem, si tamen satis intelligo alium versum, descriptum a Suida s. *ἀράχνη* — *Κρατῖνος δὲ Πυτίνῃ· Ἀραχνίων μεστὴν ἔχεις τὴν γαστέρα.* Repono,

Ἀρ' ἀραχνίων μεστὴν ἔχεις τὴν γαστέρα;

plane ut in locis Pherecratis ac Nicophontis. Ceterum de hoc versu Cratini aliam sententiam tulit eamque non minus probabilem *Valckenarius* in Diatribe p. 169, c. „habet et Suidas, inquit, in esurientem Cratini senarium,

Ἀραχνίων μεστὴν ἔχεις τὴν γαστέρα

Ventrem habes aranearum plenum; qualis sacculus erat *Catulli;* ad quem *Cratini* versum comparavit *Janus Dousa* filius Conjectan. in *Catullum* c. 3." Ac rectius fortasse quam ego, *Valckenarius.* Maxime omnium vero haud dubie objecerat ebrietatem. Temulentiam ipsam, *τὴν Μέθην* habitu meretricis, quam Cratinus deperiret, in scenam venisse, *Welckerus* in Museo Rhenano II, 1 p. 131 sq. non male conjecit. Et certe *Μέθη* ad personarum scenicarum numerum refertur a Polluce IV, 142. Vini et poculorum saepius in fragmentis fit mentio, sicut apud Athenaeum X, 426, b. *καὶ Κρατῖνος ἐν Πυτίνῃ·*

Τὸν δ' ἴσον ἴσῳ φέροντ', ἐγὼ δ' ἐκτήκομαι.

Hic recte *οἶνον* ad participium *φέροντα* a *Schweighaeusero* cogitatione tacito adjectum esse, intelligas ex Acharnensibus v. 335 *μηδὲν ἴσον ἴσῳ φέρον.* Sed postrema verba non carent vitio. E codice Palatino pro *ἐκτήκομαι* affertur *ἐκτήσομαι.* Scribo equidem, *ἐγὼ κεκτήσομαι.* Nunc video praestare,

Τὸν ἴσον ἴσῳ φέροντ' · ἐγὼ δ' ἐκτήκομαι.,

ut Accusativus pendeat a versu aliquo superiore. Ego vero, inquit, hujus vini amore tabesco. Cf. Xenoph. Conviv. VIII, 3 *τῷ ταύτης ἔρωτι κατατήκεται.* Tum etiam apud Pollucem X, 70. *καὶ Κρατῖνος δὲ ἐν Πυτίνῃ· Τοὺς μὲν ἐκ προχοιδίου, | τοὺς δ' ἐκ καδίσκου.*, ubi *προχοϊδίου*

editur. Cum his verbis *Runkelius* bene composuit Strattidis locum in Athenaeo XI, 473, c.

Ἑρμῆς, ὃν ἕλκουσ' οἱ μὲν ἐκ προχοιδίου,
οἱ δ' ἐκ καδίσκου γ' ἴσον ἴσῳ κεκραμένον.

Praeterea ex iis reliquiis, quae omisso fabulae nomine simpliciter Cratino tribuuntur, complures ad rem spectant vinariam. Exemplo sit senarius in Schol. Vatic. ad (Eurip.) Rhes. v. 419 — *ὡς Κρατῖνος,*

Ἀλλ' οὖν θεῷ σπείσαντ' ἀμυστὶ δεῖ πιεῖν.,

correctus ille a *L. Dindorfio*, et quaedam verba singula, ut apud Photium 265, 1 *Λεπάσται: κύλικές τινες οὕτως ἐκαλοῦντο. Κρατῖνος:* deinde apud Pollucem VII, 161 *κεράμειον* (recte MS. Jungermanni *κεράμιον*) *οἰνηρὸν* — *Κρατῖνος.* (*Ὀξύβαφον οἰνηρὸν* in Pytine legebatur estque ab eodem Polluce notatum;) et rursus apud Pollucem VI, 21 et 23 *καὶ οἰνωμένοι, ὡς Κρατῖνος* (ubi unus Codex *οἰνωμένος*) — *καὶ οἰναγωγὸν πλοῖον παρὰ Κρατίνῳ.* (Hic statim sequitur trimeter haustus e Pytine.) Sed incertum est de his particulis judicium, propterea quod vinum et similia haud raro quivis Comicorum attingebat, nedum tantus potor. Ita falleretur qui illo argumento inductus quattuor versus ap. Athen. XI, 782, 48. Pytinae adscriptos vellet: quos equidem in ea potius comoedia, cui nomen erat *Νέμεσις,* positos esse propter cottabi ludum huic fabulae illique fragmento communem facile mihi persuadeo. Veruntamen duo locos hujus generis ad Pytinen, tanquam in pristinam sedem suam, ausim reducere. Horum alter Athenaei fide propagatus, I, 29, d *Μενδαίου δὲ Κρατῖνος (μνημονεύει)·*

Νῦν δ' ἦν ἴδῃ Μενδαῖον ἠβῶντ' ἀρτίως
οἰνίσκον, ἕπεται κἀκολουθεῖ καὶ λέγει·
Οἴμ' ὡς ἁπαλὸς καὶ λευκός. ἆρ' οἴσει τρία;

(ubi lege quaeso *Casauboni* egregiam animadversionem) e Comoediae accusatricis oratione videtur depromtus esse, in qua *πρότερον* ac *νῦν* supra vidimus identidem sibi respondere, eoque magis, quod poëta suorum ipse vitiorum insectator ad puerorum amorem, cui olim Cratinus

putabatur deditus fuisse (certe enim a Suida dicitur *φιλοπότης δὲ καὶ παιδικῶν ἡττημένος*) digitum quasi intendit. Ceterum vel *Runkelius*, homo non nimis acutus, hoc fragmentum e Pytine repetit; quo hanc rem oportet esse clariorem. Plura verba alter locus desiderat. *Meinekius* enim sic censet, audita Comoediae oratione amicos de optima medendi Cratino oratione consilia inisse hisque omnibus postremo ita respondisse Cratinum, ut nihil divinitus canere poëtam posse diceret, nisi qui vino incaluisset. Qui ut senarium, *Ὕδωρ δὲ πίνων χρηστὸν οὐδὲν ἂν τέχοις* ex ipsius Cratini oratione contra uxoris crimina se defendentis merito repetiit, ita non videtur tum forte memoria tenuisse pervagatum illud, *ψευδησιόδειον*, ut placet Ciceroni,

Μηδὲ δίκην δικάσῃς, πρὶν ἂν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς.

Nam amici, quos arbitrorum personam gessisse certum est, non poterant, nisi etiam reo audito, consilia de Cratino ad bonam frugem reducendo conferre. Ipsum illum, quem paullo ante dixi, senarium Cratino jam dudum tribuerunt interpretes Horati, veluti *R. Bentlejus*, ad Epp. I, 19, 1

Prisco si credis, Maecenas docte, Cratino,
Nulla placere diu nec vivere carmina possunt,
Quae scribuntur aquae potoribus.

Pytinae autem fabulae eum versum, quem Cratini esse constaret, quasi proprium restituere, nihil erat negotii quamobrem vidit vel *Meierus* (qui et *Seidlero* successit et *Reisigium* habuit collegam) in libro de causarum act. apud Athen. Lib. III p. 289., paullo vehementius probante *Meinekio* et minus vehementer etiam *Runkelio* p. 81. Illud potius mirari licet, non dico *Meierum* aut *Runkelium*, quibus caecutire antiquum est, sed egregium virum, *Meinekium* non amplius etiam in vero investigando progredi voluisse.

Nam quum verba *ὕδωρ δὲ* satis doceant, non esse integram sententiam, sed vinum antea laudatum esse, tum proximi superioris versus redintegrandi facultatem

nobis dat Epigramma sive Demetrii Halicarnassensis, sive Nicerati sive Asclepiadae sive Theaeteti sive alius (de hoc enim ambigitur) apud Athenaeum II, 39, c et in Brunck. Anal. Tom. I p. 417:

Οἰνός τοι χαρίεντι πέλει μέγας ἵππος ἀοιδῷ·
ὕδωρ δὲ πίνων χρηστὸν οὐδὲν ἂν τέκοις.
ταῦτ' ἔλεγεν, Διόνυσε, καὶ ἔπνεεν, οὐχ ἑνὸς ἀσκοῦ
Κρατῖνος —.

Vides, scriptorem epigrammatis cum trimetro primo etiam hexametrum ad Cratinum referre auctorem. Sed quum incredibile sit, Cratinum cum hexametris conjunxisse senarios, apparet, senarium in hexametri formam redactum hic latere: quae sententia verbis *τοι*, *πέλει* et *ἀοιδῷ* confirmatur. In primo versu *ταχὺς* pro *μέγας* substituunt cod. Vat. Anthol. et Zenobius. Eodemque spectat v. 5 lectio *μέγας* pro *δόμος*. *Jacobsius* e v. *μέγας* effecit *μέγαρ'* speciosius, quam verius. Idem enim codex Anthol. Vat. et supra *ταχὺς* habet et hic *μέγας*. Est igitur *μέγας* lectio ejusmodi, quae ad *ταχὺς* pertineat et ex margine locum occuparit alienum. Denique v. 6 ante *μέτωπον* duo Codd. addunt *πάρ*, unus *τά*. Haud sciam, an hoc quoque sit *ταχύς*: nisi forte id favere dicas *Jacobsio*. Equidem *ταχὺς* a Cratino profectum esse crediderim, *μέγας* vero a ludente Epigrammatis scriptore. In secundo versu *καλὸν οὐ τέκοις ἔπος* Suidas et Anthol. Plan., quod vitiosum est plus vice simplici. Contra praeclare *Brunckius* edidit e codice Vaticano *οὐδὲν ἂν τέκοι σοφόν*: meliore et verborum collocatione et tota sententia. Praeterquam enim quod tertia persona *τέκοι*, non secunda *τέκοις* requiritur, mentiri eum patet, qui ita dixerit, *ὕδωρ δὲ πίνων χρηστὸν οὐδὲν ἂν τέκοις*. Ac tamen haec scriptura et ab omnibus Athenaei Codicibus, et a Photio p. 615, 17 et ab aliis plus habet auctoritatis, quam ut pro librariorum errore haberi ullo modo possit. Quo haec omnia tendant, non est obscurum. Ajo enim, Cratinum ita fere in Pytine sua scripsisse:

Οἶνος ποιητῆ γέγονεν, ὡς ἵππος ταχύς·
Ὕδωρ δὲ πίνων οὐδὲν ἂν τέκοι σοφόν.,

id vero facetum Epigrammatis scriptorem prudentem scientemque corrupisse in hunc modum:

Οἰνύς τοι χαρίεντι πέλει μέγας ἵππος ἀοιδῷ·
ὕδωρ δὲ πίνων χρηστὸν οὐδὲν ἂν τέκοις.

Resipuisse Cratinum atque ebriositatis vitium, si qua fieri posset, abjicere voluisse, multa signo sunt, in his fragmentum illud apud Priscianum T. II p. 203 Kr. (p. 1181, 20 P.) quae Cratini verba esse jam indicavit *Runkelius*. „*Κρατῖνος ἐν Πυτίνῃ· Ἀτὰρ ἐννοοῦμαι δὴ τὰ τῆς μοχθηρίας τῆς ἠλιθιότητος τῆς ἐμῆς.* Similiter nos, *cogito, quae sunt difficultates stolliditatis meae.*“ *Πυτίνῃ* edidit *Putschius* pro *Poetina*, quemadmodum cod. Monacensis et pleraeque edd. Eodem vitio *ἐν Ποιτίνῃ* nonnullae habent edd. in Clemente Alexandrino. Alibi legitur *πιτίνη* et *ἀσκοπιτίνη*, non minus vitiose. Codex Monacensis apud Spengelium p. 621 exhibet *ΔΘΤΑ* una voce ac deinde *ΤΗC ΗΙΕΙΤΝΤΟΣ* ante *τῆς ἐμῆς*. *Runkelius*, flos et robur criticorum, vere correxit *δῆτα τὰς μοχθηρίας*, offensus videlicet duplice Genitivo et confisus non modo lectione *δῆτα*, sed etiam interpretatione Prisciani. Sed male idem conjecturam *Spengelii* mei *τῆς εὐθύτητος τῆς ἐμῆς* comprabavit: neque enim *εὐθύτης* significat stultitiam. Possis quidem *τῆς νηπιότητος τ. ἐ.*, vel *τῆς ἐνεότητος*, vel *ἠλιθιότητος τ. ἐ.*, quod omnium minime placet. At scripserat Cratinus,

Ἀτὰρ ἐννοοῦμαι δῆτα τὰς μοχθηρίας
τῆς ἠλεότητος τῆς ἐμῆς.,

quod lectionis utriusque vestigiis inhaeret. Nusquam mihi legisse videor *ἠλεότης*, sed est plane Cratineum verbum, ab *ἠλεὸς* ita derivatum, ut ab *ἠλίθιος, ἠλιθιότης*. *Ἠλότητος* ab *ἠλὸς* ortum eodem redit. Aptissime contuleris Hom. Odyss. 14, 464 *οἶνος γὰρ ἀνώγει | ἠλεὸς —*. Scilicet hoc ipso vitio, *ἠλεότητι*, laboraverat Cratinus, neque ullo modo verbum ad rem accommodatius a poëta inveniri potuit. Deliberat jam unus ex amicis de Cratino,

quem ex homine vinolento reddi sobrium cupit. Sic est enim apud Athenaeum XI, 494, c Ὀξύβαφον. — ἔστι δὲ καὶ ὄνομα ποτηρίου, οὗ μνημονεύει Κρατῖνος μὲν ἐν Πυτίνῃ οὕτως·

Πῶς τις αὐτόν, πῶς τις ἄν
ἀπὸ τοῦ πότου παύσειε, τοῦ λίαν πότου;
ἐγῷδα. συντρίψω γὰρ αὐτοῦ τοὺς χόας,
καὶ τοὺς καδίσκους συγκεραννώσω σποδῶν,
καὶ τἄλλα πάντ' ἀγγεῖα τὰ περὶ τὸν πότον,
κοὔτ' ὀξύβαφον οἰνηρὸν ἔτι κεκτήσεται.

ὅτι δ' ἔστι τὸ ὀξύβαφον εἶδος κύλικος μικρᾶς κεραμέας, σαφῶς παρίστησιν Ἀντιφάνης —. In primu versu πῶς τις αὐτὸν πῶς τις ἄν debetur Codd. Veneto et Florentino; Palatinus habet πῶς ἄν τις αὐτὸν πῶς ἄν τις; vulgo legebatur πῶς ἄν τις αὐτόν. Tanta est Codicum scripturae, quam *Porsonus* Adv. p. 129 tuitus est, praestantia, ut conjecturae cum ea comparatae omnes jaceant. Secundo versu ἀπὸ τοῦ ποτοῦ παύσειε exstat in Codd. Veneto, Florentino, Palatino; olim scribebatur ἀπὸ παύσειε vel ἀποπαύσειε. Ποτοῦ Codices autem postea, sed recte πότου *Casaubonus*. Neque tamen ab initio versus haec tanta literarum similitudo fortuita videtur. Scribo, una litera deleta, πότου πότου π, quam iterationem de industria sequutum puto Cratinum. Πότου πότου continuam potationem declarat: repetitio enim verborum vim habet augendi. Simili ratione dixit Aristophanes Nub. 1290 πλέον πλέον, Ran. 1000 μᾶλλον μᾶλλον, Ach. 400 πολὺ πολύ; μᾶλλον μᾶλλον, μεῖζον μεῖζον, μικρὸν μικρὸν ex Alexide et Antiphane protulit Antiatticista p. 108. *levius ac levius* est ap. Cic. ad Attic. 13, 21.

Denique ut Cratinus πότου — τοῦ λίαν πότου, sic Menander conjunxit ἀγαθὰ τὰ λίαν ἀγαθὰ p. 248 M. Versu quarto quum vulgo scriptum esset συγκεραννώσω, *Casauboni* emendationem συγκεραννώσω tres illi Codices A B P corroborarunt. Optime *Hermannus* ad Bacch. Eurip. v. 1095 „Συγκεραυνοῦν significare confringere et diffindere, ut fulmen solet, apparet ex loco Cratini“ hunc

nostrum dicit. E sexto versu profecit Pollux VI, 23 *καὶ οἰνηρὸν* (adde *ὀξύβαφον* e Codd. duobus, ut modo praecesserat *οἰνηρὸς θεράπων*) *παρὰ Κρατίνῳ· Οὐδ' ὀξύβαφον οἰνηρὸν ἔτι κεκτήσεται.*, idemque X, 67 *εἴρηται γὰρ νῦν ἐπὶ ἐκπώματος, ὥσπερ καὶ τὸ παρὰ τῷ Κρατίνῳ ἐν Πυτίνῃ οἰνηρὸν ὀξύβαφον.* Adde Zonaram p. 1456 a *Tittmanno* emendatum. Quum promisisset Cratinus, se postea vini abstinentiorem futurum, Comoedia, arbitris illis intercedentibus, cum marito in gratiam rediit: quo facto Comicus primum scilicet intus, deinde vero propalam in scena versus fudit praeclaros. Ac primo Cratinus unum de amicis tantum non stupore defixum de poëtae sui virtute caetera egregie, sed magnifice nimis dicere et alii amico populoque toti haec narrare jubet:

Ἄναξ Ἄπολλον, τῶν ἐπῶν τῶν ῥευμάτων.
Καναχοῦσι πηγαὶ, δωδεκάκρουνον τὸ στόμα,
Ἰλισσὸς ἐν τῇ φάρυγι· τί ἂν εἴποιμί σοι;
Εἰ μὴ γὰρ ἐπιβύσει τις αὐτοῦ τὸ στόμα,
Ἅπαντα ταῦτα κατακλύσει ποιήμασιν.

Afferuntur hi versus a Scholiasta ad Eqq. 523 58) et inde a Suida s. *ἀφέλεια* et s. *δωδεκάκρουνον στόμα*, tres priores versus apponit Tzetzes Chil. VIII, c. 184, quem vide etiam in exegesi Hom. Il. p. 12, 11. V. 1. Non male *Toupius* (C. N. in Suid. p. 192) comparat Ar. Pac. 238

58) Is ita scribit: *δοκεῖ δέ μοι Ἀριστοφάνης ἀφ' ὧν εἶπε Κρατῖνος περὶ αὐτοῦ μεγαληγορῶν, ἀπὸ τούτων καὶ οὗτος (αὐτὸς) τὴν τροπὴν εἰληφέναι. ὁ γὰρ Κρατῖνος οὕτω πως ἑαυτὸν ἐπήνεσεν ἐν τῇ Πυτίνῃ· „Ἄναξ Ἄπολλον, τῶν ἐπῶν τῶν ῥευμάτων· καναχῶσι πηγαί· δωδεκάκρουνον στόμα Ἰλισσὸς ἐν φάρυγγι· τί ἂν εἴποιμί σοι; εἰ μὴ γὰρ ἐπιβύσει τις αὐτοῦ τὸ στόμα, ἅπαντα ταῦτα κατακλύσει ποιήμασιν.“ ἤτοι οὖν χάριν τούτων καὶ Ἀριστοφάνης περὶ τοῦ Κρατίνου ταῦτα λέγει ἢ —.* Et ad v. 525 *πρὸς πάντα δὲ αὐτὸς ἐσπούδασεν ἀντιτιθέναι τὰ ὑπὸ Κρατίνου εἰρημένα· ἐπεὶ κἀκεῖνος ποταμῷ παρέβαλεν ἑαυτὸν ἀθρόως ῥέοντι, ἠχεῖν τε φήσας τὰς πηγάς· ὅπερ λάβρως ῥέοντος ὕδατός ἐστιν ἔργον, ἦχον ἀποτελεῖν καὶ ψόφον καὶ τὰ λοιπά, ὡς εἴπομεν. διὰ τοῦτο καὶ Ἀριστοφάνης ὡς ἐπὶ ποταμοῦ ἐχρήσατο τῇ τροπῇ.*

ὦναξ Ἄπολλον τῆς θυείας τοῦ πλάτους., sed non bene hinc sumit ὦναξ. Tum τ. ἐ. τοῦ ῥείματος Suidas in priore loco. Sed et majorem vim habet Numerus Pluralis, neque haereo in v. τῶν ἐ. τῶν ῥ., non magis, quam in Ar. Pac. 239 ὅσον κακὸν καὶ τοῦ Πολέμου τοῦ βλέμματος et in similibus locis.

Quod autem cum fluvio potissimum se comparat Cratinus, manifesto rationem habet eorum, quae anno ante datam Pytinen dixerat Aristophanes Eqq. 524—526, ubi inepte statuit scholiasta, a Cratino pendere Aristophanem. V. 2. *Καναχῶσι* Scholiasta et vulgo Suidas loco posteriore, ubi MSS. καναχοῖσι, Tzetzes καταχῶσι in Chiliadibus vulgo (nam alii χῶσι), καναχῶσι in exegesi. Praeterea τὸ de conjectura addiderunt Viri Docti *Porsonus* ad Ar. Eqq. 523, et apud Kidd. ad Daves. p. 356, *Reisigius* in Conjectaneis p. 112, *Meinekius*, alii. *Δωδεκάκρουνον δοκεῖ τὸ στόμα* e Cratino mutuatus est Philostratus monente jam *Oleario* p. 525. Sed haec leviora. Illud autem verbum grave est et perdifficile ad explicandum *δωδεκάκρουνον*, de quo quid mihi videatur, paucis aperiam. Constat, in Ceramico haud longe ab acropolis ea parte, quae spectat in Austrum, fontem fuisse, qui quum olim nulla etiamtum arte adjutus *Καλλιρρόη* dici soleret, postea a Pisistratidis pulcherrime exornatus, aqua ex novem fistulis erumpente *Ἐννεάκρουνος* appellari coepit.

Evolve Herodotum VI, 137., Thucydidem II, 15., Pausaniam I, 14 init. et omnino *Meursium* De Ceramico Gem. c. 14. Quaeritur autem, utrum Cratinus in hac comici fluminis illiusque fontis comparatione verbum *δωδεκάκρουνος* ipse finxerit, an potius id, quod res esset, de medio sumsisse videatur. Facile sit cum *Wassio* dicere, Comicum, laudatorem sui, pro vero fonte *Ἐννεάκρουνος* majus quidpiam atque uberius invenisse primum *Δωδεκάκρουνος*. At res, ut opinor, sic se habet. Aut ponendum erat *Ἐννεάκρουνον τ. στ.*, si poëta versus suos cum fonte aequaret, ut statim *Ἰλισσὸς ἐν τῇ φάρυγι*; sin autem suas scaturigines illi etiam anteferret, quod

fieri admodum splendide poterat, tum necessario scribi debebat *Δεκάκρουνον τὸ στόμα.* Etenim pulchre diceretur major vis ingenii esse, quam fontis rapidi; verum quanto plus scaturiat Cratinus isto fonte, id definire nemini licet, nedum poëtae, estque sane putidum, ita loqui: fons eximius novem habet scatebras, ingenium vero meum tribus totis habet amplius, hoc est duodecim. Quare quum *δωδεκάκρουνον τὸ στόμα* in dubitationem vocari non possit, videntur post tempora Pisistrati ad novem priores vel duae vel tres novae fistulae accessisse, quemadmodum jam *Olearius*, fortassis etiam *Harduinus* suspicati sunt. Quae sententia haud mediocriter a grammaticis his confirmatur, ab Hesychio *Δωδεκάκρουνος: Ἀθήνῃσι κρήνη, ἣν ἔνιοι Ἐννεάκρουνον φάσιν, ἄλλοι δὲ Καλλιρόην καλοῦσι:* et a Suida bis *Δωδεκάκρουνος: κρήνη Ἀθήνῃσιν, ἣν Θουκυδίδης Ἐννεάκρουνον.* atque *Ἐννεάκρουνον: κρήνη Ἀθήνῃσιν ἣν Δωδεκάκρουνος. Θουκυδίδης δὲ Ἐννεάκρουνον.* Nam quae Tzetzis fuerit sententia, parum liquet. Haec leviter intuenti idem cuivis in mentem veniet, quod olim *Wassio*, *Kustero*, *Meursio*, *Dukero*, nihil illi grammaticorum memoriae tribuendum esse, quippe quae ex uno Cratino profluxerit. Id de Suida vix obtineri potest, de Hesychio autem nullo modo: hic enim tam docte scripsit tamque graviter hanc rem inculcavit, ut non miraturus sim, si quis haec e Polystephani usque libro *περὶ κρηνῶν* repetierit. Denique ut non solum grammaticis, verum etiam ipsi Cratino consulatur, ita statuo novem prioribus tres alios tubos deinceps additos esse itaque factam *Δωδεκάκρουνον*, quae antea *Ἐννεάκρουνος* fuerat: solebant enim Athenienses odio tyrannidis Pisistratidarum opera partim immutare. Vetus autem nomen, quamvis a novo instituto alienum, vulgo tamen, ut fit, retentum esse, quis poterit jure mirari? Quapropter *Ἐννεάκρουνος* non modo Thucydides dixit, sed etiam alii, veluti Pausanias l. l. et Lucianus in Timone c. 56, quorum quidem aetatibus hunc fontem neque novem, neque duodecim amplius tuborum fuisse existimo.

Nunc experiar, liceatne hanc rem melius etiam diligentiusque explanare. Thucydides, qui tum aliud agens forte in hunc sermonem incidit, etsi rem paucis comprehendit et obscurius loquitur, tamen Enneacrunon sive, ut olim dicta erat, Calirrhoen nomine κρήνης fontis arte facti declarat eique plures πηγὰς meatus vel scaturigines tribuit (φανερῶν τῶν πηγῶν οὐσῶν). Pausanias autem eo loco, quem supra dixi, Enneacrunon et κρήνην et πηγὴν promiscue appellat (πλησίον δέ ἐστι κρήνη — et πηγὴ δὲ αὕτη μόνη). Ita ille tum quidem. At vero idem duo praeterea alios fontes in vicinia acropolis ponit, alterum I, 21, 7 ἔστι δὲ ἐν αὐτῷ κρήνη, ad aedem Aesculapii, alterum I, 28, 4 — πηγή τε ὕδατός ἐστι ad fanum Apollinis et Panis. Videntur haec primo loco repugnare, in quo ullam esse πηγὴν in tota urbe Athenis praeter Enneacrunon negaverat, nec idcirco tamen repugnant. Nam quum ex Thucydide appareat, fontem illum plures habuisse alveolos (πηγὰς), qui a communi capite omnes profluerent, Pausanias in primo loco cunctos alveolos uno fontis nomine complexus est, in caeteris eos disjunxit 59). Videtur igitur Calirrhoë trium omnino fuisse partium. Quid vero, si unus tantum fons major caeteris a Pisistrato ita exstructus est, ut aqua e novem tubis erumperet, caeteri autem duo fontes (πηγαὶ) postea ornati sunt, alter una, alter duabus fistulis? Commendat hoc et Pausanias, qui Enneacrunon a Pisistrato exornatam πηγὴν quoque appellat, et Solinus, qui Calirrhoen et Enneacrunon pro duobus fontibus habuit, et vero etiam ipse Thucydides, qui plures πηγὰς non Enneacruno assignat, sed Callirrhoe. Vix igitur dubitari potest, quin totus fons nomen habuerit Calirrhoes, praecipua ejus pars a Pisistrato exstructa nomen Enneacrunos (etsi eadem fortasse etiam Calirrhoe nomi-

59) Sic illud quoque facile intelligitur, quî factum sit, ut Solinus Calirrhoen et Enneacrunon duos fontes faceret. Non dici potest quantopere V. D. hac re vexati sint. V. *Dukerum* ad Thucydidem l. l. Nempe Solinus πηγὰς divisit, in qua re non erat reprehendendus.

nabatur, ut pars maxime excellens), caeteri denique duo fontes (*πηγαὶ*) postea constructi tubos acceperint tres, et sic totus fons, cujus antiquissimum nomen est Callirrhoë, plane fuerit duodecim fistularum, *Δωδεκάκρουνος*, quemadmodum Cratinus scripsit verissime. Tantoque aptior jam haec oratio videatur necesse est, *καναχοῦσι πηγαὶ, δωδεκάκρουνον τὸ στόμα*, quod illum fontem plures habuisse meatus (*πηγὰς*) cognitum est. V. 3. Eleganter cum Callirrhoë fonte Ilissus copulatur, amnis et rapidior Cephisso, qui aestate propemodum exarescebat, secundum Strabonem IX, 24 p. 400 (sive Vol. III, p. 383), et fonti ipsi vicinus, Etymologo teste 343, 42. Scribaturne *Ἰλισσὸς* an *Ἰλισός*, ciccum non interduim: puto enim, Atticos utraque forma usos esse cum *Buttmanno* Gr. T. II p. 387. Ingeniose tamen *Elmslejus* miratus est, *Κηφιττὸς* aut *Ἰλιττὸς* nusquam inveniri. Et *Κηφισός*, *Ἰλισὸς* Arcadius probat 77, 16. At vero duplex *σ* tuetur *Hermannus* ad Oed. Col. v. 693. Romani plerumque Parnasus, Cephisus, Cephisidae undae; v. Brouckh. ad Propert. II, 23, 13. Tum *ἐν φάρυγγι* Scholiasta et Tzetzes, Suidas s. *Ἀφ. ἐν τῇ φαρυγγίᾳ*, et altero loco *ἐν τῇ φάρυγγι ἂν —*. Recte *Porsonus ἐν τῇ φάρυγι*, cui formae insidiantur librarii. Aristophani *τὴν φάρυγα μιηλῶν δύο δραχμιὰς ἕξει μύνας* restituit *Dobreus* ad Ar. Equites v. 523 aliaque hujus generis adjecit. Teleclidi *εἰς τὸν φάρυγ' εἰσεπέτοντο Lobeckius*, ad Phryn. p. 66, quod fugit *Dindorfium* majorem. Quum *τῆς φάρυγος* et sic porro in Atticis poëtis toties reperiatur, sequitur, Atticos pro *φάρυγξ* etiam *φάρυξ* usurpasse, quam formam boni Codices servarunt in Thucydide II. 49. Vide quae diximus ad Nub. v. 132. V. 4. *Εἰ μή γε ἐπιβύσει αὐτοῦ τ. στ.* Suidas s. *Ἀφέλεια*, idem *γὰρ* om. altero loco; utroque loco om. v. 3, *σοί*, ut Tzetzes quoque. *Runkelius* comparat Ar. Plut. 379 *τὸ στόμ' ἐπιβύσας — τῶν ῥητόρων*. V. 5. Suidas priore l. pro toto versu *κατακλύσει τοῖς στόμασιν*, altero tantum *κατακλύσει τοῖς λόγοισιν*. Postremo *ἅπαντα ταῦτα* graece significat *omnem hunc locum*, ut *ἅπαντα ἐκεῖνα omnem illum locum*. In

Luc. Necyom. c. 10 *Εὐθὺς οὖν ἅπαντα ἐκεῖνα ἐσαλεύετο* *Hemsterhusius* conjecit *ἅπαντα τὰ ἐκεῖ ἀνεσαλ.* merito vituperatus a *Courierio* ad Asin. p. 283 allatis locis De Merc. Cond. c. 18 et De Hist. Conscr. c. 22. His adde ipsum Asinum c. 20, Ar. Avv. 1154, Eqq. v. 99, atque Aesch. Pers. v. 260 et v. 395. Hoc igitur dicendi genus jam in Quaestionibus Lucianeis mihi videor attigisse. Prodeunt deinde Comoedia atque Cratinus in gratiam reconciliati; Comoedia eximiam quandam meditatur fabulam et versus dictat; scribit Cratinus: veruntamen ita obsequitur uxori, ut refractariolus: postremo nihil fieri potest, vitio, ut arbitror, mariti, qui Comoediam nova injuria lacessierat. Ad scribendum tabella (*πινακίδι*) opus erat eaque cerata, cujusmodi cera *μάλθη* dici solebat. Itaque ad hanc fabulae partem refero illud Pollucis X, 58 — *Κρατῖνος δὲ ἐν τῇ Πυτίνῃ μάλθην ἔφη*, ubi adjunctus est versus Aristophanis. *Τὴν μάλθαν ἐκ τῶν γραμματείων ἤσθιον*, de hominibus fame confectis. Sequuntur duo fragmenta, pulchra illa quidem, sed corrupta. In utroque Comoedia alloquitur Cratinum, qui modo jussus scribere tergiversabatur, modo aliquid injussu uxoris scribebat. Prius exstat in Scholiis ad Nubes v. 354 *οὗτος δὲ (Κλεισθένης) ἐπὶ κιναιδίᾳ διαβάλλεται. τοῦτον δὲ ὡς γυναικιζόμενον οὐκ Ἀριστοφάνης διαβάλλει μόνον, ἀλλὰ καὶ Κρατῖνος ἐν Πυτίνῃ λέγων οὕτως· ληρεῖς ἔχων, γράφ' αὐτὸς ἐν ἐπεισοδίῳ. γελοῖος ἔσται Κλεισθένη κυβεύων ἐν τῇ τοῦ κάλλους ἀκμῇ.* et hinc apud Suidam in *Κλεισθένους ἀκρατέστερος. οὗτος ἐπὶ κιναιδίᾳ διεβέβλητο καὶ ἐγγυναικίζετο. καὶ Κρατῖνος· ληρεῖς ἔχων· γράφων αἰτ' ἐν ἐπεισοδίῳ, γελοῖος ἔσται Κλεισθένης κυβεύων.* Hic *Kusterus*, nisi quis integram Cratini fabulam protulerit, hocce fragmentum explicari emendarique posse negat. Ultima Cratini verba esse *ἐν τῇδε τοῦ κάλλους ἀκμῇ* vidit *Bentlejus*. Sed de reliquis Viri Summi falluntur. Nam ut omittam *Toupii* nugas Emm. in Suid. P. II p. 229, *Piersonus* ad Moerin p. 391, *Hermannus* ad Scholia, *Porsonus* in l. Tracts a Miscell. critic. p. 234, et, ut ibi *Kiddius* ait, etiam *Bentlejus* ita corrigunt: *καὶ Κρα-*

τῖνος ἐν Πυτίνῃ οὕτω γράφων (vel *λέγων οὕτως*) *ἐν ἐπεισοδίῳ· ληρεῖς ἔχων· γελοῖος ἔσται Κλεισθένης κυβεύων | ἐν τῇδε τοῦ κάλλους ἀκμῇ.*

Ac *Bentlejum* quidem, *Hermannum*, *Porsonum* denique veneramur omnes, sed etiam *Piersonus*, homo acutissimus, cito ad principes pervenisset criticos, si ei vita suppeditasset. Qui nisi sumsissent, Episodium, comoediae partem nescio quam (fallitur enim Lexic. Rhetor. in Bekk. Anecd. 253, 19 vel cum comoedia miscet tragoediam), a Scholiasta Suidaque commemorari, ac nisi haec opinio in mente praeclarissimorum virorum penitus insedisset, vidissent profecto, scribi debere nulla prope mutatione,

ληρεῖς ἔχων· γράψ' αὐτὸν
ἐν Ἐπεισοδίῳ· γελοῖος ἔσται Κλεισθένης κυβεύων
ἐν τῇδε τοῦ κάλλους ἀκμῇ.

Primum, quid sit *Ἐπεισόδιον*, docebit Hesychius, quocum Zenobius, Suidas, et M. Apostolius paroemiographi consentiunt: *Ἐπεισός: οὕτως ἐκαλεῖτο Κρατῖνος ὁ κωμικός· ἴσως διὰ τὸ ταξιαρχῆσαι τῆς Οἰνηίδος φυλῆς καὶ δειλότερος φανῆναι. καὶ γὰρ ὁ Ἐπειὸς δειλὸς ἦν. σημαίνει* *** (lacuna). Bene *Meinekius* ex horum grammaticorum locis concludit, Cratinum tribulem tribulibus in bello praefuisse, modo ne addidisset: „*Convicii auctor fortasse Aristophanes fuit.*“ Nam quo tempore Cratinus nuper centurio propter ignaviam male audiebat et cum magna contemtione *Ἐπειὸς* primum dicebatur, Aristophanes vixdum natus in cunabulis vagiebat. Idem Vir Egregius. Cratinum flagitiosis amoribus deditum fuisse Suidae non audet credere: nam vix illud Aristophanem silentio praetermissurum fuisse. At quo tempore cum illo certabat Aristophanes, Cratinus ad omnem rem Veneream jam erat ineptissimus: obsoleta autem recoquere non fuit Comicorum. Notus est autem Epeus, Panopei f., qui in bello Trojano horrore pugnae aquatus esse et servisse Atridis narrabatur 60): qualis miles olim a Germanis dicebatur ein

60) Vide intpp. Athenaei X, 456 f. Epeo tamen quodammodo suppetias fert Lucianus in Hippia c. 2 *τὸ μὲν γὰρ τοῦ Ἐπειοῦ*

Calfactor. Hoc igitur *Ἐπειόδιον*, i. e. imbellem Cratinum, qui Clisthenem, ignavum hominem et sui similem laedere cunctabatur, Comoedia haud longe a fine dramatis objurgat. Nugae, inquit: scribe ejus nomen in fabula Cratini, Clisthenis alterius; egregiam risus materiem praebebit Clisthenes alea ludens in hac tanta pulchritudine. Alias enim semper viri aleatores sunt, non mulieres, in quarum numero Clisthenem oportet reponamus. Ex eodem fabulae loco petitum est aliud fragmentum,

Ὑπέρβολον δ' ἀποσβέσας ἐν τοῖς λύχνοισι γράψον.,

quae rursus sunt Comoediae verba: Cratinus enim ut Clistheni gemino et simillimo sui ob puerorum amorem atque ignaviam parcere voluerat Comoedia invita, ita tummaxime suo arbitrio Hyperbolum exagitarat, id quod iterum Comoedia moleste fert. Hunc autem versum memoriae prodidit Scholiasta ad Pacem v. 675 (691) *ὅτι λυχνοπώλης ὁ Ὑπέρβολος. — καὶ Κρατῖνος δὲ ἐν Πυτίνῃ· Ὑπέρβολον δὲ ἀποσβέσας ἐν τοῖς λύχνοις γράψω.* Verissima est Codicis Veneti lectio, e quo *γραψόν* (sic) pro *γράψω* consignavit *Bekkerus*. Sic enim et Cratinus iterum uxoris imperio obtemperare nolet et eadem Comoedia, quae in superiore loco sic loquebatur, *γράφ' αὐτὸν*, hic alio utetur Imperativo *Ὑπέρβολον — γράψον*. Jam *ἀποσβέσας* cum acerbitate dixit poëta ut de fabricatore candelarum pro *ἐξαλείψας* verbo obliterandi: Graeci enim aut ita loquuntur, *Ὑπέρβολον ἐξαλείψας*, aut sic *λύχνον ἀποσβέσας*, quae hic vides non sine ludibrio confusa. Praeterea verba *ἐν τοῖς λύχνοισι* declarant, in foro, ubi venduntur lucernae, quemadmodum Graeci ponunt *ἐν τοῖς ἰχθύσι, ἐν ταῖς χύτραις καὶ τοῖς λαχάνοις, ἐν τῷ μύρῳ, εἰς τὰ σκόροδα καὶ τὰ κρόμμυα*, alia denique sexcenta. Itaque indignatur Comoedia, si vel Hyperbolum, de infima plebe hominem, irridere placeat, et fere hoc sentit: Quid est Hyperbolo

πάνυ ἀρχαῖον, ὃς οὐ μόνον τεχνήσασθαι τοῖς Ἀχαιοῖς τὸν ἵππον, ἀλλὰ καὶ συγκαταβῆναι αὐτοῖς ἐς αὐτὸν λέγεται. Illud fuit magni ingenii, at hoc fortitudinis majoris certe, quam pro tam timido aquatore.

cum comoedia? Quin tu ejus nomen hic expungis et potius illic scribis, ubi candelae veneunt, in pariete nescio quo. Tecte igitur alii poëtae reprehenduntur, qui etiam Hyperbolum illudere non dubitent, in quo genere Comici quidam aliquot annis post datam Pytinen vix satis honeste inter se certabant: nam Aristophanes antea longe fuerat modestior. Sed de hac re jam exposuimus ad Nub. v. 548. Unus etiam, sed pertenuis, in forma verbi *ἀποσβέσας* scrupulus residet. Semper enim hoc verbum in paenultima syllaba per ε̄ psilon scribitur et plane debet ita scribi, veluti et hic, et in Pluto v. 668 *τοὺς λίχνους ἀποσβέσας*, et in Fratribus Euphronis ap. Athen. IX, 380, b

χορδῆς ὀβελίσκους ἡμέρας ζητουμένους
δύ' ἐχθὲς ὠμοὺς εἰς τὸ πῦρ ἀπέσβεσας
καὶ πρὸς τὸ δίχορδον ἐτερέτεζες.

Male recepta est *Casauboni* conjectura *ἀπέσβεσας* pro vera Codicum lectione *ἀποσβέσας*. Contra *πρὸς* recte deest in Codice praeclaro. Scribe,

δύ' ἐχθὲς ὠμοὺς (malim *ὠμῆς*) *εἰς τὸ πῦρ ἀποσβέσας*
κατὰ τὸ δίχορδον ἐτερέτιζες.

Sententia vafri coqui et valde lepida est et, ut mihi quidem videtur, clarissima. Ceterum in unoquoque horum locorum ε̄ literam metrum ipsum efflagitat. At quidnam fiet Phrynichi praecepto ap. Bekk. 16, 27 *Ἀπέσβησε πῦρ: ὁμοίως καὶ λίχνον. διὰ τοῦ η̄, οὐ διὰ τοῦ ε̄. Buttmanno* Gr. T. II p. 227 not. hoc dicere Phrynichus videtur, Aoristum primum semper habere η̄, nusquam ε̄, quam sententiam non idonea causa constitutam, sed temerario nixam putat errore. Ego vero Phrynichum ita potius interpretor, ut confirmet, se alicubi in Attico scriptore *ἀπέσβησε πῦρ* et *ἀπέσβησε λίχνον* invenisse, exarata per η̄, non ut vulgo per ε̄ (nam *οὐ διὰ τοῦ ε̄* longe est aliud atque *μὴ διὰ —*). Hoc modo *ἔσβεσα* plerumque apud Atticos inveniri, ipse etiam Phrynichus testabitur: utrum vero *ἀπέσβησε* pro altera forma eaque non minus attica haberi debeat, an doctissimus grammaticus perantiquis vitiis locorum minimum duorum deceptus sit, non

ausim decernere. Equidem tametsi fieri potest, ut opinio hominem fefellerit 61), tamen non valde mirer tertiam personam ἔσβησε propter vulgaris formae ἔσβεσε ingratissimum sonum. Vidimus igitur, Clisthenem et Hyperbolum satis acerbe a Cratino notari. Sed ad eundem hujus fabulae locum tria alia fragmenta pertinere judico, propterea quod in caeteris Pytinae partibus ad homines irridendos aut nulla, aut certe perexigua facultas dabatur.

---

61) Insigne quoddam inscitiae specimen edidit grammaticus perdoctus ille quidem, sed non admodum subtilis, ibidem p. 49, 19 *Κυνοκέφαλος: διὰ τὸν δυοῖν λ οἱ Ἀττικοί*, non dissentiente Photio p. 188, 11 *Κυνοκέφαλον: ἐν τοῖς δύο λλ (λ) λέγουσιν. οὕτως Ἀριστοφάνης.* Hoc tum demum incipiam credere, si magnus quidam grammaticorum patronus nos docuerit, Atticos κεφαλὴ dixisse media producta. Imo hanc totam praeceptionem Phrynichus ac Photius ex uno l. petiverunt, jam illis temporibus ita ut est hodieque depravato, Eqq. 416, ubi Cleon,

> *ἀτομαγδαλίας, ὥσπερ κίων;* inquit, *ὦ παμπόνηρε, πῶς οἷν κυνὸς βορὰν σιτούμενος μάχει σὺ κυνοκεφάλῳ;*

Ut alludatur ad feram istam Simiam, id quod lubenter concedere possum et ipse etiam credo, tamen si ipsum *κυνοκεφάλῳ* in h. l. relinquemus, quae erit vis hujus comparationis qui lepos istius dicti, quae denique tot verborum sententia? Repone vero *μάχει σὺ κυνοκνεφάλλῳ;* Praeclare enim Aristophanes literis immutatis scripsit *κυνοκνεφάλλῳ*, ridens opus coriarii: sunt autem plurimae loquutiones in Equitibus e re coriaria translatae, ut modo v. 400 *κώδιον*. Quidnam denotetur verbo *κυνοκνέφαλλον*, monstrabit Aristophanes in Amphiareo, *κνέφαλλον ἅμα καὶ προσκεφάλαιον τῶν λινῶν*, et luculentius etiam Pollux hujus versiculi interpres X, 40 *προσκεφάλαιον τῶν λινῶν· δηλονότι ὡς καὶ σκυτίνων καὶ ἐρεῶν γιγνομένων· ὡς καὶ ἐν τοῖς Ἀλκιβιάδου πέπραται προσκεφάλαιον σκύτινον καὶ ἐρεοῦν καὶ λινοῦν.* Quamobrem haec vernacule sic exprimenda sunt: Bredtfrumen frißt du, wie ein Hund? Ruchloser, wie kannſt du, ein Kerl, der Hundesfraß genießt, mit mir ſtreiten wollen, einem Manne, der Hunde verarbeitet, Hundsleder gerbt? Haec Cleonis egregie inter se cohaerent, haec joci plena sunt et Musarum; illud vero alterum *κυνοκεφάλῳ*, noli quaerere est absurdum.

Horum primum est apud Pseudo-plutarchum in Vit. Antiph. c. IV. De quo *Ruhnkenius* De Antiphonte c. 2 p. 164 ed. Friedem. „Adjiciamus ejus (Plutarchi) verba ex pulcerrima emendatione Taylori Lection. Lysiac. c. VII *ἀλλ' οὗτός γε ἂν εἴη ἕτερος, Λυσιδωνίδου πατρός, οὗ Κρατῖνος ἐν Πυτίνῃ ὡς πονηροῦ μνημονεύει.*" Pseudo-Plutarchi locum nulla mihi nunc quidem est evolvendi copia nedum excutiendi. Hunc Antiphontem Lysidonidae filium diversum esse constat ab Antiphonte Rhamnusio Sophili filio, nobilissimo viro. Illius igitur Antiphontis patrem Lysidonidem riserat Cratinus. Neque omiserat Chaerephontem, testante Scholiasta Platonis p. 331 B. *Χαιρεφῶν οὗτος ὁ Σωκρατικὸς ἰσχνὸς ἦν καὶ ὠχρὸς, τὸ δὲ ἦθος συκοφάντης καὶ κόλαξ, πρὸς δέ, καὶ κλέπτης καὶ αὐχμηρός, τὴν δὲ περιουσίαν πένης. Εὔπολις μὲν οὖν ἐν Πόλεσι δια τὴν χροιὰν πύξινον αὐτὸν καλεῖ. Ἀριστοφάνης δ' ἐν Ὄρνισι* (v. 1296 et v. 1564) *νυκτερίδα· ἐν δὲ Τελμησσεῦσιν εἰς συκοφάντην ἀποσκώπτει, Κρατῖνος Πυτίνῃ εἰς αὐχμηρὸν καὶ πένητα· Εὔπολις δ' ἐν Κόλαξιν Καλλίου κόλακα λέγει, Ἀριστοφάνης δ' ἐν Δράμασι κλέπτην· ἐν δ' Ὥραις νυκτὸς αὐτὸν παῖδα καλεῖ.* Fortasse Chaerephon in numero semi-lautorum reponebatur (Pollux VI, 161 *ἡμίλοντοι δὲ Κρατῖνος εἴρηκε*), uti Socrates, qui illum in oculis ferebat, *ἄλοντος* dicitur in Avibus v. 1554. Quanquam vero Comici modum in reprehendendo saepe excesserunt, eum tamen hominem, quem tot Comici tanta constantia male acciperent, malum ipsum fuisse necesse est, quum praesertim Chaerephon multo saepius vehementiusque vel in uno Aristophane vapularit. Est enim aliquid, poëtas, qui inter se obtrectare solerent, et in hoc et in pessimo quovis homine virgis suis caedendo incredibiliter consensisse. Nec temere Horatius illud scripsit, quod crebro et jam a multis usurpatum est,

Si quis erat dignus describi, quod malus aut fur.

Sed in fabula nostra etiam Socratem modeste irrisum esse *Rankius* putabat in bibl. crit. Hildes. a. 1828 p. 247 ss. Is nonnihil tamen in suspicando videtur sequutus esse.

Videbat enim credo, non solum Chaerephontem, summum amicum Socratis vel dicam plane Socraticum in Pytine commemoratum, sed etiam pauperculorum hominum prae caeteris factam esse mentionem, ut Chaerephontis, ut Lyconis, Cratini denique ipsius: nihil autem erat Socrate egentius. Omnino nihil certi accepimus, unde appareat, Socratem in Pytine verbo illusum esse; veruntamen quum et Aristophanes et Amipsias, qui tum de praemio cum Cratino certabant, haud dubie Socratem leviter oppugnarint, quumque magni nostra intersit, scire omnia, quae ubique in Socratem dicta sunt, conjecturam istam *Rankii* cum bona gratia dimittere placet: licebit enim in hoc genere quaedam etiam divinare, modo ne plane ad morem hariolorum. Postremo Lyconis, qui postea fuit in Socratis accusatoribus, paupertatem poëta erat cavillatus. Nam Scholiasta Platonis paullo post haec composuit: *Ἄνυτος μὲν καὶ Μέλητος εἴρηνται τίνες, ὅτι ὁ μὲν πλούσιος ἐκ σκυτοδεψικῆς, Μέλητος δὲ τραγῳδιοποιὸς φαῦλος· Λύκων μέντοι πατὴρ ἦν Αὐτολύκου, Ἴων γένος, δῆμιον* (praestat *δήμιων*) *Θορίκιος, πένης, ὡς Κρατῖνος Πυτίνῃ, Ἀριστοφάνης Σφηξίν. Εὔπολις δ' ἐν Φίλοις καὶ ἐπὶ τῇ γυναικὶ Ῥοδίᾳ κωμῳδεῖ αὐτόν, ἐν δὲ τῷ πρώτῳ Αὐτολύκῳ εἰς ξένον, Μεταγένης δ' Ὁμήρῳ εἰς προδότην· καὶ Λύκων ἐνταῦθά που προδοὺς Ναύπακτον ἀργύριον λαβὼν ἄγαλμ' ἀγορᾶς ξενικὸν ἐμπορεύεται.* Potest quidem Metagenes ita videri scripsisse: *καὶ Λύκων ἐνταῦθά που | προδοὺς* (*κακῶς*) *Ναύπακτον, ἀργύριον λαβών, | ἄγαλμ' ἀγορᾶς* (*ὡς*) *ξενικὸν ἐμπορεύεται.* Sed verius est, duo fragmenta, Eupolidis alterum, alterum Metagenis temere confusa hoc modo discernere: — *Αὐτολύκῳ εἰς ξένον· „ἄγαλμ' ἀγορᾶς* (*ὡς*) *ξενικὸν ἐμπορεύεται.“ Μεταγένης δ' Ὁμήρῳ εἰς προδότην· „καὶ Λύκων ἐνταῦθά που | (παρῆν,) προδοὺς Ναύπακτον ἀργύριον λαβών.“* 62) In priore fragmento simul notatur

62) De Homero Metagenis etsi parum constat, tamen ne cui hanc disputationem videar defugere, haec adjiciam. Plenus fabulae titulus secundum Suidam et, ut videtur, etiam Eudociam hic fuit, *Ὅμηρος ἢ Ἀσκηταί.* Sed bis simpliciter affertur

superbus incessus Lyconis, qui in magna paupertate habitu ipso divitem simulabat. Rhodiae autem uxoris libidines Eupolis non solum in fabula *Φίλοι* Lyconi objecerat, verum etiam in *Πόλεσιν*. Scholiasta ad Lysistr. v. 270 *τὴν Λύκωνος*] *τὴν Ῥοδίαν λέγει οὕτω καλουμένην, τὴν Αὐτολύκου μὲν μητέρα, γυναῖκα δὲ Λύκωνος ἐπ' αἰσχροῖς κωμῳδουμένην. Εὔπολις Πόλεσιν· „ὥσπερ ἐπὶ τὴν Λύκωνος ἔρρει πᾶς ἀνήρ.“* De hoc fragmento vide *Raspium* p. 92 cui assentior. Maxime vero in Autolyco utroque Lyconem ludibrio habitum esse perspicuum est. Gravissima sunt illa verba Scholiastae, *πένης, ὡς — Ἀριστοφάνης Σφηξίν*. Quae ad v. 1301, ubi inter protervos convivas Lyco

---

Μεταγένης Ὁμήρῳ, nec mirum: solent enim grammatici posterius nomen in hoc genere brevitatis causa omittere ac priore, quod fere potius est altero, contenti esse. Proditorem exagitavit in fragmento superiore, depeculatorem aerarii in Schol. ad Avv. 1297 de Midia: *καὶ κλοπῆς δημοσίων, ὡς Μεταγένης ἐν Ὁμήρῳ.* Titulorum rationem, quos et miros et obscuros videri posse *Meinekio* adsentior, perspiciendi copiam fecit nobis praeclara *Schweighaeuseri* audacia ad Athen. T. III p. 597 Profert ibi Athenaeus (VI, 270, f.) auctore celato hexametros duos, in quibus parodiam versuum Homericorum continuo agnoscas,

Τέτλαθι δὴ πενίη καὶ ἀνάσχεο μωρολογούντων·
ὄψων γὰρ πλῆθός σε δαμᾷ καὶ λιμὸς ἀτερπής.

Idem vero mox haec subjicit: *δεῖ οὖν κἀμὲ κατὰ τὸν κωμικὸν Μεταγένην ἐπειπόντα,*

Εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ δείπνου,
τετλάναι.

Egregie vero *Schweighaeuserus* videndum esse dicit, ne et hic versus et duo superiores sint ex eo dramate, quod sub nomine *Ὅμηρος ἢ Ἀσκηταὶ* edidit Metagenes. Addere potuerat, hexametros istos sine dubio ita cohaerere

Εἷς οἰωνὸς —
Τέτλαθι δὴ —
ὄψων γὰρ πλῆθος —.,

ipso si quaeris Athenaeo testante. Quae quum ita sint, certissimum puto, alterum titulum *Ὅμηρος* ad paroedias locorum Homericorum pertinuisse, altero autem *Ἀσκηταὶ parasitos* declarari intelligo, quos in gymnasiis plurimum versatos esse nemo nescit.

quoque nominatur, referri plane non possunt, sed unice pertinent ad v. 1169

εἶτα πλουσίως
ὠδὶ προβὰς τρυφερόν τι διασαλακώνισον.

Vix ullum vidi Aristophanis locum, qui mihi tantum molestiae exhiberet. Nunc demum videor mihi — nisi me falsa spes tenet — antiquorum grammaticorum fraudem (cave enim librariorum dixeris) quodammodo detexisse. Principio librorum scriptura, quod sciam, omnium ferri nullo pacto potest. Neque enim pro jambo habemus procelcusmaticum, qui ipse ab Aristophanis arte prorsus abhorret, sed Paeonem primum. *Reisigius* quidem, qui de hoc versu in Conjectan. p. 53 sqq. minus bene disputavit, primam in *Σαλάκων, σαλακωνίσαι* corripi quasi suo jure sumebat. At vero haec syllaba necessario producitur. Namque verbum *Σαλάκων* a communi fonte cum adjectivo *σαῦλος* manasse, et forma tam similis, et significatio plane eadem, et locus ipse Vesparum planum faciunt, in quo senex modo jussus *διασαλακωνίσαι*, mox se ait cupere *σαυλοπρωκτιᾶν*. Etymologus p. 270, 39 sqq. *Σαλάκων* et *διασαλακώνισον* derivat a *σάλος* (debebat aut *σᾶλος* aut *σαλὸς*), *διασαυλούμενος* autem a *σαῦλος*, apposito etiam hoc trimetro Aristophanis (fortassis e Triphalete). *Ὁρῶ γὰρ ὡς ὄμφακα διασαυλούμενον*, ubi ingeniosam *Gaisfordi* (ad Hephaest. p. 69) conjecturam *ὡς στόμφακα*[63]) metri causa factam equidem probo sententiae causa. Quapropter apud Hermippum in Tetrametris

ὕστερον δ' αὐτὸν στρατηγόν, οὖσαν εἰλωτημένην,
καὶ κασαλβάζουσαν εἶδον καὶ σεσαλωκισμένην.,

63) Recte fortassis *Dindorfius* ὄμφακα mediam syllabam longam quoque habere posse arbitratur. De *στόμφᾱκα* constat e Nub. 1349. Vide Antiattic. Bekk. 108, 28, quem locum miratur *Meinekius* Qu. Sc. III p. 17 not. Apud Polluc. VII, 132 pro *φόρτακας* Cod. Falckenburg. *φόρτηκας*. Etiam in Strattidis loco ap. Etymol. 803, 48 *μύστᾱκα* videtur produci. Cf. tamen *Reisig.* Conj. p. 313. Plerumque hujusmodi formas brevi ᾰ efferri notum est.

scribi non potest cum *Schneidero* in Lexico *καὶ σεσᾶλακωνισμένην*, sed recte *Portus* edidit *σεσαλακισμένην*. *Σαλακίζω* enim recta proficiscitur a *σάλαξ* alia forma pro *σαλάκων*. De forma in *αξ* crebro apud Comicos obvia dictum est ad Daetal. p. 78 not. Sed quum et Scholiasta Platonis et alii antiqui grammatici in Aristophane auctores sint, Lyconem hic perstringi, aut hoc ipsum nomen restituendum est, aut ita sentiendum, Lyconem cognomen habuisse *Σαλάκων*, id quod confirmat Scholiasta his verbis, *ἀπὸ Σαλάκωνος μαλακοῦ, τοῦ Αἰτολύκου πατρός*. Praeterea in Scholiis duae lectiones afferuntur, una *διαλυκώνισον*, altera ex Artemidoro, *διαλακώνισον*. Vix credas, haec *Reisigio* scribendi peccata librariorum visa esse. In oculos enim incurrit, utrumque grammaticos Alexandrinos substituisse, qui quum animadvertissent, Lyconem hic unice notari, hujus ipsius nomen literarum forma cuperent repraesentare. Tametsi hoc aliquanto melius assequi poterant scribendo *τι σαλυκώνισον*. Et videbuntur grammaticus Bachmanni nunc nostri I p. 360, 26, Photius 496, 7 atque Hesychius, qui ex Aristophane proferunt *σαικωνίσαι* vel *σαικονῆσαι* vel etiam *σαικωνῆσαι* (ita enim Hesychius, addita interpretatione *διασαικωνῆσαι*), hi igitur omnes videri poterunt non *σαλακωνίσαι* potius, ut *Dobreus* emendabat Advers. p. 607, quam *σαλυκωνίσαι* ex hoc Vesparum loco delibasse. Quanquam est etiam, quod huic conjecturae magnopere obstet. Neque enim Lyco solum reprehenditur, sed plane videtur etiam in nomine *Λάκων* comice ludi; vide v. 1158 *τὰς Λακωνικάς*, v. 1162 *ἐς τὴν Λακωνικὴν* (hic quidem unice verum est *κἀπόβαιν' — ἐς τ. Λ.*, uti sequitur *ἐς τὴν πολεμίαν ἀποβιβάζων*: jocatur enim in ambiguitate vocis *ἡ Λακωνική*, calcei vel terrae) v. 1165 *μισολάκων*. Quodsi reposuerimus *σαλακώνισον*, neque Lyconis cognomen deerit, neque sonus ejusmodi, qui a *Λάκων*, voce in toto loco primaria minime discrepet: at contra *σαλυκώνισον* tollet Laconem. Idque non fugerat, ut arbitror, Artemidorum, quum *διαλακώνισον* scriptum

mallet, quam *διαλυκώνισον*. Nunc tandem elucebit, quo haec tam longe arcessita oratio pertineat. Ego enim censeo Codicum scripturam *τι διασαλακώνισον* e duabus lectionibus conflatam esse, altera vera atque antiqua *τι σαλακώνισον*, altera interpolantium grammaticorum *τι διαλακώνισον*. Alii fortasse antiquam lectionem putabunt *τρυφερὸν διασαλακώνισον*, receptum vero *τρυφερόν τι διαλακώνισον*. Sed ut sonum feramus paullo tamen ingratiorem, vocula *τι* tum funditus peribit, qua nihil est elegantius. Et quidem *δια* — quoque praeverbium locum suum tuetur in *διασαλακώνισον* non minus, quam in *διαβάς, διακινηθείς, διασαυλούμενον*. Vero: caeterum Hesychius *σαικωνῆσαι* glossam esse voluit, *διασαικωνῆσαι* autem glossema. Ex his efficitur, Aristophanem scripsisse in hunc modum

ὠδὶ πρόβὰς τρυφερόν τι σαλακώνισον.

Vim potestatemque verbi *σαλακών* post *H. Stephanum* vere explicavit *Reisigius*.

Iste igitur Lyco Salaco in eis fuit triumviris, qui Socratem capitis accusare non dubitarent Hoc proditum est a multis, veluti a Platone in Apologia c. 10, Diogene Laertio II, 38, Maximo Tyrio IX, 3. Restat, ut quaeramus, utrum Lyco vir bonus fuisse videatur, necne. Ego vero nullus dubitare possum, quin homo fuerit nequissimus. Namque ut omittam gravissimas Comicorum reprehensiones, quae certe non ex vano erant ac plane de nihilo, non ipsa illa Socratis accusatio pro nefario Lyconis scelere habenda est? Qui quum a multis annis Socratem nosset, sciretque, eum vitam agere honestam, tamen nebulo iste capitis periculum sanctissimo viro intendere ausus est. Quo magis miror, *Wielandium* in Museo Attico IV, 2, p. 99 sqq. Lyconem tantis laudibus prosequutum esse eumque multarum virtutum choro cumulasse. Neque enim verba illa Lyconis in Symposio IX, 1 *Νὴ τὴν Ἥραν, ὦ Σώκρατες, καλός τε κἀγαθὸς δοκεῖς μοι ἄνθρωπος εἶναι*, ullo modo perceperat. Aptissime enim ita loquentem induxit Xenophon, ut accusatorem suo ipsius testimonio

refutaret. Praeterea de Lycone expositum est a *Schneidero* Praef. ad Anabas. p. XXXII, quem non compilabo. Ita igitur Comoedia versus dictabat Cratino. Sed facile apparet, hunc fabulae locum subito finiri debuisse: quid enim minus convenit, quam comoediam totam scribi in comoedia? Quum ergo Comoedia mulierem ageret nimis imperiosam, Cratinus autem minime uxorium maritum, novae irae oriuntur: discedit Comoedia irata, Cratinus id aequo animo fert: Vale inquit, Comoedia: nunquam ego ille Cratinus te posthac attingam: satis mihi poenarum dederis, si audiero, quales homunculi, quam nulli poëtae tecum concubere soleant. Hoc augurium, superbum sane et grandiloquum, mirifice elusit Aristophanes. Videamus nunc Scholiastam ad Soph. Ajac. v. 105 p. 85 Lob., et qui ab eo pendet, Suidam s. v. *δεσμώτης*: colloquitur Cratinus cum alio, amico fortassis, de Comoedia, quacum jam fecerat divortium. *Δεσμώτης λέγεται — καὶ ὁ δεσμῶν, ὡς Κρατῖνος ἐν Πυτίνῃ ἐπὶ τῶν δεσμοφυλάκων·*

Ὄψει γὰρ αὐτὴν ἐκτὸς οὐ πολλοῦ χρόνου
παρὰ τοῖσι δεσμώταισι καταπιττουμένην.

Οὐ πολλοῦ χρόνου e Suida recte susceperunt *Brunckius* et *Lobeckius* pro vitio Scholiastae *οὐ πολλῷ χρόνῳ*. In caeteris Suidas consentit, praeterquam quod *πρὸς τοῖσι δεσμώταισι* exhibet. Carcer publicus Atheniensium fuit in Ceramico urbico, sive interiore (v. *Meursium* De Ceram. Gem. c. 3 et *Hermannum* in Antiqq. p. 266.). Et vero meretrices prostabant in eodem Ceramico (Schol. ad Eqq. 769 *ἐν δὲ τῷ ἑτέρῳ* [i. e. *τῷ ἔνδον τῆς πόλεως*] *ἦσαν τε καὶ προεστήκεσαν αἱ πόρναι*) 64). Itaque fortassis ad hunc urbicum Ceramicum, pertinent Cratini verba *ἐκτὸς* atque *παρὰ τοῖσι δεσμώταισι*. Nam *ἐκτὸς* etsi offendit de loco intra pomoerium sito, ferri tamen potest ob viciniam murorum. Atque aliquis haec interpretari maluerit de Piraeo, quo item meretrices vulgo confluebant (Ar. Pac.

64) Aristophanis verba *ἑλκοίμην ἐς Κεραμεικὸν* significant, ut mihi videtur, *in carcerem rapiar*. Inepte V. D.

v. 165 *ἐν Πειραιεῖ παρὰ ταῖς πόρναις*, ubi v. Schol.). Tum magis etiam conveniet *ἐκτός:* contra *παρὰ τοῖσι δεσμώταισι* explicari jam nullo modo potest. Deinde hoc nihil est certius, quam falso Scholiastam ac Suidam vocem *δεσμῶται* verbo significationis longe diversae *δεσμοφύλακες* explicavisse. Etenim custodes in eadem domo versabantur cum ipsis captivis: quid ergo attinebat, novam significationem verbi *δεσμώτης* potius ementiri, quam ita de graeco convertere: in vicinia captivorum? Postremo de potestate verbi *καταπιττουμένην*, quod est *stuprari*, nulla esse potest controversia. Id recte monuit *Hemsterhusius* ad Plut. 1094

ἱκανὸν γὰρ αὐτὴν πρότερον ὑπεπίττουν χρόνον,

ubi grammatici et Codices commendant *ὑπεπίττων*, formam vix graecam, nedum atticam (Ecclesiaz. 829 et v. 1109). Ὑποπιττοῦν proprie valet infra picare, unterpichen, *καταπιττοῦν* picando consumere, zerpichen. Compara Vesp. 1375 *τί δὲ τὸ μέλον τοῦτ' ἔστιν αὐτῆς τοὐν μέσῳ;.. ἢ πίττα δήπου καομένης ἐξέρχεται.*, et alia de causa Pac. 855 *καταγαγεῖν ἀνάῤῥυσιν.* Mox, inquit Cratinus, Comoedia cum omnibus promiscue corpus vulgabit, i. e. haec tanta ars tantaque facultas cito in manus deveniet hominum imperitissimorum. Accedo ad Parabasin. In ea aspere contumelioseque tractatum esse Aristophanem per se intelligitur. Et confirmat hoc Scholiasta ad Eqq. 528 *ταῦτα ἀκούσας ὁ Κρατῖνος ἔγραψε τὴν Πυτίνην, δεικνὺς ὅτι οὐκ ἐλήρησεν ἐν οἷς κακῶς λέγει τὸν Ἀριστοφάνην, ὡς τὰ Εὐπόλιδος λέγοντα.* De hoc loco jam supra a nobis expositum est. Illud tamen nunc dubium videtur, num Cratinus initium rixandi fecerit ab Eupolideo versu, quo eum caeteroquin haud raro uti videmus. Magis enim adducor, ut eum vulgato metro, Anapaesto tetrametro, Parabasin illam pertexisse credam. Certa res esset, si plane constaret, e Pytine, tanquam ex fonte illud fragmentum in Scholiasta Platonis p. 330 B. haustum esse, de quo tamen ego non magis dubitaverim, quam lumen meum, *Runkelius*. Versus hi sunt: *Κρατῖνος*

τίς δὲ σύ; κομψός τις ἔροιτο θεατής·
„ὑπολεπτολόγος, γνωμιδιώκτης, εὐριπιδαριστοφανίζων.“

Liber Clarkianus *γνωμιδιώτης*, alius Codex, de quo tacet *Bekkerus* recte *γνωμιδιώκτης*, probante jam diu *Seidlero*. Cf. *κολλοποδιώκτας* ap. *Dobreum* ad Nub. 348, et adde *κνισοδιώκτης*. *Λυκοδιωκτὸς* Aeschylo restituit *Hermannus*. Male *Porsonus* (Miscellan. p. 268) conjecit, *τίς δὲ σὺ κομψός; πᾶς ἄν τις ἔροιτο θεατής*, quasi *κομψὸς* non cum v. *θεατὴς* cohaereat. Tamen unus e pedissequis *Porsoni* certum putat, post *κομψὸς* aliquid excidisse. Equidem *εἰ* praecessisse arbitror, et turpi dactylo ante caesuram offensus voces *τίς δὲ σύ;* menda laborare judico. Quae etsi facile elui potest *σὺ δὲ τίς;* scribendo, facilius tamen crediderim, totum versum fere hujusmodi fuisse (tametsi singula minime praesto),

Εἰ δ' οὖν αὐτόν, τίς δὴ σὺ, τίς εἶ; κομψός τις ἔροιτο θεατής·

In posteriore versu respondetur ad verba *τίς δὴ σύ, τίς εἶ;* Initium Epirrhematis, ut puto, servavit Scholiasta ad Pac. v. 602. *πρὸς ταῦτα καὶ Κρατῖνος ἐν Πυτίνῃ πεποίηκεν· „ὦ λιπερνῆτες πολῖται, τἀμὰ δὴ ξυνίετε.“ ἔστι δὲ πρὸς τὰ Ἀρχιλόχου·* (praemitte *ὦ*) *λιπερνῆτες πολῖται, τἀμὰ δὴ ξυνίετε | ῥήματα.* Sequens Pytinae versus haud dubie incipiebat a v. *ῥήματ'*. Archilochum etiam alii Comici imitati sunt (unde verbum *λιπερνῆτες* Comicis quoque tribuitur a Photio 225, 24), primum Aristophanes in illo loco Pacis,

ὦ σοφώτατοι γεωργοί, τἀμὰ δὴ ξυνίετε
ῥήματ', εἴ βούλεσθ' ἀκοῦσαι τήνδ', ὅπως ἀπώλετο.

Hic *ὦ λιπερνῆτες γεωργοὶ* legerat Diodorus Siculus XII, 40., quod quia Archilocheo *ὦ λιπερνῆτες πολῖται* accuratius respondet, Aristophani adjudicatum est et a *Wesselingio* et a *Bentlejo*. Sed recte monet *Florens Christianus*, Aristophanis versum cum Archilocheo a Diodoro temere commixtum esse. Tum Eupolis quoque Archilochi exemplum sequutus est apud Stobaeum Vol. I p. 126 Gaisf. (IV p. 52 sq. 3. p. 31 Grot.) *Εὐπόλιδος·*

Ἀλλ' ἀκούετ', ὦ θεαταί, πολλὰ καὶ ξυνίετε
χρήματ'· εὐθὺ γὰρ πρὸς ὑμᾶς πρῶτον ἀπολογήσομαι cet.

Hic *ὦ θεαταὶ τἀμὰ καὶ ξυνίετε | Ῥήματ'* correxerunt et

Berglerus ad versum Pacis, et *Porsonus* Tracts. p. 217. hic quidem addito pro πολλὰ legi etiam τἄλλα, de quo tacet *Gaisfordus*. Mirum vero, quod neque *Berglerus*, et ne *Porsonus* quidem vidit, πολλὰ potius significare πολῖται
πολῖ
hoc modo ὦ θεαταί. Praestat autem, ut opinor, in Eupolide ὦ πολῖται vulgatae lectioni ὦ θεαταὶ non solum propter exempla Archilochi atque Cratini, quorum uterque scripsit ὦ λιπερνῆτες πολῖται, verum etiam propter consilium Eupolidis ipsius, qui nunc id agit, ut iniquissime peregrinos poëtas indigenis anteponi ostendat. Atqui tali occasione quivis Comicus cives suos alloqui malet, quam in universum spectatores. Lego igitur,

Ἀλλ' ἀκούετ' ὦ πολῖται τἀμὰ καὶ ξυνίετε
ῥήματ'.

Versu secundo χρήματ' in libris est omnibus. Etsi saepius confunduntur χρημάτων et ῥημάτων (ut Nub. v. 75 Schol.), tamen persuasum habeo, χρήματ' valere haec duo χῖ in margine et in ordine linearum ῥήματ'. Signum enim χῖ doctus aliqui grammaticus apposuit, cujus animum imitatio Archilochi advertisset. De χῖ nota grammaticorum, quae saepius cum initio versus coaluit, disputavimus ad Nubes v. 377. Ex Epirrhemate vel etiam Antepirrhemate fluxit aliud quoque fragmentum apud Pollucem X, 184. μάλιστα δ' ἐχρῶντο τῷ πλέγματι τούτῳ (ταῖς κύνναις) ἐς τὰ περιφράγματα, ὡς ἐν τῇ Πιτύνῃ (sic) ὁ Κρατῖνος περὶ τῶν τριήρων λέγει· Οὐ δύνανται πάντα ποιοῦσαι νεὼς οἶκον λαχεῖν, | οὐδὲ κάννης. Sic editum est ab *Hemsterhusio*. Fluctuantur Codices, C. A. ὡς Κρατῖνος περὶ τριήρων οὐ δύναται (ita C. V.) πάντα ποιοῦσα νεὼς οἶκων (C. V. νεωσοίκου) λ. Codex Seberi et Jungermanni οὐ δύναται πάντα ποιοῦσαι v. Antiqua lectio fuit νεὼς οἶκον (sic) sed Codices praeter unum omnes νεὼς οἶκων. Scriptura Codicis Vossiani νεωσοίκου probata est et *Salmasio* et *Toupio* Emm. in Polluc. P. IV p. 400. Male. Eadem enim librario Singularis furtim substituendi causa fuit, quae duumviris illis probandi, sequens verbum dico,

κάννης. Et κάννα quidem *sepes* quum sit nomen forma tantum singulare, reapse autem plurale, (*collectiva* a grammaticis dicuntur) quum latissime pateat multasque res complectatur, tam licuit Cratino κάννης scribere, quam καννῶν: at plura erant Athenis navalia (νεώσοικοι), in quae triremes subducerentur: ut jam νεωσοίκον de multis navibus ne ferri quidem posse videatur. Sententia horum verborum perspicua est: Triremes, inquit, quum velis remisque festinent et vehementer cupiant patriam revisere, non possunt tamen in navalia aut storeas redire. Videtur enim Cratinus, quem res bellica ne adolescentem quidem magnopere juverat, in illo Epirrhemate pacem etiam atque etiam commendasse. Dolet igitur vicem triremium, quae post tot annorum militiam et tanquam emeritis stipendiis ne nunc quidem subduci possint, sed maris fluctibus, quod miserandum sit, perpetuo jactentur. Cum his comparari potest locus Eupolidis in Eqq. v. 1297 sqq.

Supersunt duo fragmenta, quae equidem, e quonam fabulae loco avulsa sint, non ausim statuere. Horum alterum et in Etymologo legitur p. 267, 18 — καῦνος γὰρ λέγεται ὁ κλῆρος. Κράτης Πυλίνῃ, (sic) Ἀπὸ προτέρου τὸν καῦνον ἀριθμήσεις: καὶ ἐγὼ, ὡς Καυνίων μάλιστα χρωμένων., et in Scholiis ad Pac. v. 1081 ἢ διακαυνιάσαι) — καὶ Κρατῖνος Πυτίνῃ „ἀπὸ προτέρου τὸν καῦνον ἀριθμήσεις.“ Ἄλλως. ἀντὶ τοῦ κληρωθῆναι, ὡς τῶν Καυνίων μάλιστα χρωμένων, ὡς καὶ σιφνιάζειν καὶ χιάζειν. *Dindorfio* ad Schol. Aristoph. T. III p. 499 in verbis Etymologi καὶ ἐγώ ultimus pes trimetri latere videbatur. Scilicet de tali pede cogitabat Ἀπὸ προτέρου τὸν καῦνον ἀριθμήσεις καλῶς. Recte vero *F. Sylburgius* „καὶ ἐγώ, inquit, pro ἐγὼ δέ, id est, Ego vero ex eo tractam verbi originem puto, quod Caunii maxime omnium sortibus sint usi.“ Etymologus enim non solum auctores suos plerumque nominat, verum etiam si quid ipse aliquando sibi invenisse videtur, inventi laudem sibi palam attribuit, veluti p. 815, 14. Ceterum ad sortitionem judicum, vel potius arbitrorum haec verba

Cratini revocari posse, pulchre intelligo: sed nihil decernam. Ultimus locus est apud Athenaeum III, 94, f. *χορδῶν τε μέμνηται — Κρατῖνος ἐν Πυτίνῃ·*

Ὡς λεπτός, ἢ δ' ὅς, ἔσθ' ὁ τῆς χορδῆς τόμος.

Dindorfius „πυτίνῃ PL πυτίῃ V. ἔσθ'] ἐστὶν B." Hic senarius multo etiam magis sede incerta vagatur: nisi forte ad irridendam Cratini paupertatem spectabat. Non placet ad h. l. *Schweighaeuserus*. Qui ea testatus, quae a peregrinatoribus in aliis quibusdam regionibus observata sint, vetat nos mirari, si etiam Graeci vasa habuerint e viminibus aut juncis ita firmiter plexa, ut liquorem continere possent. Hoc nemini credam, nisi jurato. Verissime autem *H. Stephanus* (in Indice Thes.) allatis veteribus glossographis, qui *πυτίνην* esse volunt *lagenam vinariam e vimine plexam*, existimavit esse potius vitream lagenam vimineo plexu (*πλέγματι*) obductam. Erant autem duo genera *πυτινῶν;* alterae lagenae quae vulgo *πυτῖναι* simpliciter dici solebant, viminibus erant obductae, alterae corio, eae quae *ἀσκοπυτῖναι* appellabantur. De his Pollux X, 73 ita loquitur: *ἀλλὰ καὶ ἀσκοπυτίνη· καὶ γὰρ τοῦτ' ἄν τις εὕροι ἐν Ἀντιφάνους Μελεάγρῳ· Ἀσκοπυτίνην τινὰ | δίψους ἀρωγόν· καὶ Μένανδρος δὲ ἐν Καρχηδονίῳ κέχρηται τῷ ὀνόματι.*

Reliquum est, ut videamus, utrum Cratinus tum Aristophani praeferri ab judicibus debuerit, necne. De qua re satis certo judicare nobis licet, tametsi neque de Nubibus prioribus neque de Pytine quidquam hodie superest, nisi fragmenta. Nam Aristophanis quidem professio, negantis fabulam hac meliorem adhuc in theatro peractam esse, haud dubie vim habet, ut multis magnisque virtutibus Nubes illas ornatas fuisse concedamus, Pytines autem reliquiae ita comparatae sunt, ut ex iis argumentum totius dramatis perspici nullo negotio possit. Illud nemo dubitaverit, quin Cratino praemium inauditae in ultima senectute fortitudinis decernendum fuerit, praesertim quum in Pytine Comoediae Musarumque consortione palam se abdicasset. Sed mittamus senem: de poëta quaeramus.

Scimus, paullo ante bis victum esse ab Aristophane Cratinum: nam duobus annis ante et partim proximo superiore Aristophanis Acharnensibus Equitibusque princeps locus publice datus est, Cratini vero Chimazomenis ac deinceps etiam Satyris secundus. Hic non habeo dicere, ecquaenam tantulo post vel Cratini praecipua felicitas esse potuerit, vel Aristophanis tam singulare infortunium, ut uterque penitus videretur mutatus esse. Sed ad Pytinen reverti placet. Tris tantum res in hac fabula invenio laude dignissimas: primam quod Aristophanis, qui eum mirifice contemserat, injuriam ultus est ostenditque se etiamtum comoediae vacare; alteram, quod Pytine, ut praeclare *Hermannus*, miram habebat veritatis imitationem (sibi quisque enim maxime solet notus esse); tertiam denique, quod singuli versus iique haud pauci pleni erant facetiarum. At contra vitia Pytines enumerare longum est; quae ut seni nonaginta annorum facile omnes ignoscimus, ita illi Cratino, qui olim fuerat, condonaret nemo. Principio, quod multi urbane lepideque inventum esse dicent, Comoedia uxor Cratini egregie displicet. Plura enim in hoc loco fabulae inerant de amoribus, de tactione mulierum alienarum, de Cratino in omnes libidines effuso: in quo effetum corpus Cratini vel invitis nobis succurret. Deinde vero Comicus in semet ipso deridendo quamvis dicax esse poterit, praesertim si quis, ut fecit Cratinus, ne ab eorum quidem vitiorum turpitudine, quorum vel nomen audire ingenuum hominem suppudet, atque a summa verborum petulantia se abstinuerit. Nihil tale unquam fecit Aristophanes: quid enim in isto tam scurrili lepore loci esse dignitati potest, cui quidem Comici tum maxime serviunt, ubi minime videntur. Repudiamus Cratinum, nimium calumniatorem sui, quippe qui omnia nonaginta annorum peccata in Pytinem suam, quasi in communem quendam thesaurum, videatur conferre voluisse. At impudentem sui laudatorem num feremus? Qui non modo sui ingenii laudes tanta superbia praedicavit, quanta nemo unus de veteribus illis in communi tum novitiae

istius modestiae odio unquam ausus est, verum etiam quidquid erat Comicorum, hoc est ipsum etiam Aristophanem, adeo prae se despexit, ut sibi unus sapere videretur, reliquos autem vix in hominum numero putaret habendos esse. Plura adderem deque aliis vitiorum generibus dissererem, nisi valde amarem Cratinum, Aeschylum plane Comicorum, ut jam Alexandrinis placuit verissime. Hi quod scripserunt, Cratinum argumenta quidem fabularum facile invenisse, sed eundem impetu abreptum multa deinceps turbasse, ut extrema cum primis propemodum diceres pugnare, id etiam in Pytinen cadere, qui experiri voluerint, animadvertent. Quae quum ita sint, dubitandum non est, quin Aristophanis Nubes priores (ut jam cum poëta poëtam conferamus) longe majoribus virtutibus excelluerint, quam Pytine Cratini.

Commodum scripseram hanc dissertationem quum censura quadam perinepta illa quidem invitarer ad evolvendam *Rankii* De Nubibus disputationem p. CCXX — CDLII, haud dubie satis verbosam: in qua tamen quod operae pretium esset commemorare, his meis oculis nihil videre potui, praeter locos aliquot vulgo, id quod vix credas, neglectos. Hos attulit quidem *Rankius*, sed haud quaquam intellexit. Tu fac, si acutius, quam ego, cernis, aciem intendas: gaudebo enim si aliquid saltem inde extricabis, quod illum habere usum posse videatur.

Scribebam Rostochii, exeunte anno MDCCCXXXII.

DE

INJURIIS ARISTOPHANI

A CLEONE ILLATIS

COMMENTATIO.

Quum nuper Hermannus *), Professor Marburgensis, Vir Amicissimus, eas, quae in Acharnensibus commemoratae sunt, Cleonis injurias, non ad Aristophanem, sed ad Callistratum pertinuisse dixerit, quae in Vespis legantur, Equitum tempore posteriora esse censuerit, nihil denique causae esse ostenderit, cur privatae potius offensionis, quam salutis publicae causa Aristophanes in Equitibus Cleonem aggressus esse videretur: statui, quae olim ad Babylonios p. 35 sq. et ad Daetalenses p. 10 sqq. a me disputata sunt, hic jam paullo uberius illustrare. Quum igitur Aristophanes Ol. 88, 2. vere Babylonios docuisset, a Cleone, qui ipse in hac fabula acerrime proscissus erat, reus factus et in Senatu comparere jussus est (Acharn. 357 *εἰσελκύσας γάρ μ' εἰς τὸ βουλευτήριον*). Dramatici enim poëtae quum omnino Senatus arbitrio subjecti erant, tum etiam ab illa *Βουλῇ* certam mercedem accipiebant (Kanngiesserus Scen. Attica p. 422. Vide Schol. ad Ar. Ran. 367. ad Eccles. 102. et cf. intpp. ad Eccles. 185). Aristophanes vero Senatui paullo post iratus erat, docentibus locis Eqq. 622 sqq. et Pac. 852 sqq., fortasse, quod ille tamen Cleoni magis favere visus erat, quam par esse videretur.

Ac praecipue id Aristophani vitio datum est, quod

*) Vide Indices Lectionum in Academia Marburgensi per semestre aestivum a. MDCCCXXXV habendarum.

praesentibus peregrinis et magistratibus et toti civitati maledixisset (Ach. 477. *οὐ γάρ με νῦν γε διαβαλεῖ Κλέων, ὅτι | ξένων παρόντων τὴν πόλιν κακῶς λέγω.*). Praeterea eidem fortassis etiam peregrina origo exprobrata est (Ach. 358. *διέβαλλε καὶ ψευδῆ κατεγλώττιζέ μου.* Atque eodem spectat etiam illud Eupolidis p. 165 Runk. *ὅτι μαθόντες τοὺς ξένους μὲν λέγετε ποιητὰς σοφούς.*, judice Meinekio). Ad hanc litem, quae Aristophani a Cleone intenta est, videtur mihi profecto alludere Eryximachus in Platonis Sympos. p. 401 B. *Βαλών γε, φάναι, ὦ Ἀριστόφανες, οἷει ἐκφεύξεσθαι; ἀλλὰ πρόσεχε τὸν νοῦν, καὶ οὕτω λέγε, ὡς δώσων λόγον. ἴσως μέντοι, ἂν δόξῃ μοι, ἀφήσω σε.* Ceterum comicus putatur comice Homerico versu (Odyss. I, 215. 216.) judicibus suis respondisse. Atque Homeri verbis usum esse Aristophanem eo credibilius videtur, quod ille Homeri locus jam antiquitus in nobilissimis fuit. Vide ibi Eustathium p. 1412 et Menandrum p. 92. Etsi non multum abfuerat, quin reus condemnaretur, postremo tamen judicum sententiis absolutus est (Ach. 360.). Nec tamen Cleo patriae amore ductus poëtam accusavit, sed vindictae cupiditate occaecatus, quem certo scimus ipsum quoque in Babyloniis acriter castigatum esse. Quin etiam tempora belle concordant. Nam foeda Cleonis in Mitylenaeos oratio (Thucyd. III, 36.); incidit in annum belli quintum Ol. 88, 1½, paullo antequam Babylonii docerentur. Illo primum loco Cleon a Thucydide commemoratur, diciturque *τῷ τε δήμῳ παρὰ πολὺ ἐν τῷ τότε πιθανώτατος.* Neque omittam Schol. Lucian. T. I. p. 155 Lehm. *Ὁ δὲ Κλέων δημαγωγὸς ἦν Ἀθηναίων, προστὰς αὐτῶν ἑπτὰ ἔτη, ὅς* etc., igitur inde ab Ol. 88, 1. — 89, 3., vel quum falso, diceret, *ἐτελεύτα ἐπὶ ἄρχοντος Ἀμεινίου*, finxit ab Ol. 87, 4. — 89, 2. Floruit ergo sane annos septem. Cf. Eqq. (Ol. 88, 4.) v. 2. atque v. 43 cum Schol. De anno, quo mortuus sit Cleo, disserit Hermannus ad Schol. Nub. 545. Primum igitur hunc Aristophanis locum examinabimus, Vesp. v. 1284 sqq.

Εἰσί τινες, οἵ μ' ἔλεγον, ὡς καταδιηλλάγην,
ἡνίκα Κλέων μ' ὑπετάραττεν ἐπικείμενος,
καί με κακίαις ἔκνισε· κᾆθ' ὅτ' ἀπεδειρόμην,
οὐκτὸς ἐγέλων μέγα κεκραγότα θεώμενοι,
οὐδὲν ἄρ' ἐμοῦ μέλον, ὅσον δὲ μόνον εἰδέναι,
σκωμμάτιον εἴποτέ τι θλιβόμενος ἐκβαλῶ.
ταῦτα κατιδὼν ὑπό τι μικρὸν ἐπιθήκισα·
εἶτα νῦν ἐξηπάτησεν ἡ χάραξ τὴν ἄμπελον.

Quaeritur enim, utrum haec litem a Cleone ob Babylonios poëtae intentam spectent, an tempora Equitibus posteriora. Hoc nuper Hermanno placuit, sententiam verborum tali potissimum modo enucleanti: „Sunt, qui me dixerint, post Equitum commissionem Cleonis vexationibus defetigatum in gratiam cum ipso redisse, quia in proxima fabula illi pepercissem; sed ejus facti in ipso populo culpa est; cur enim, si cedere me Cleoni nollet, patrocinium meum suscipere supersedit, adeoque risit, quum ipsius causa pulsarer, id tantum curans, ecquid ridiculi mihi in angustiis excideret? Hoc ego quum vidissem, satius duxi, paulisper faciem mutare, ridendique materiam aliunde circumspicere; quo facto me subito a populi favore indignissime destitutum intellexi."

Ego vero primum nihil quidquam istorum in Aristophane legi contenderim, deinde non possum singula quaedam non carpere ac leniter potius reprehendere. Primum enim etiamsi in Nubibus I de Cleone sileretur, quod non est ita, quis tandem ex eo colligeret, gratiam inter adversarios restitutam esse, aut temere postularet, ut unus ubique Cleo rideretur? Profecto longe alia causa duci eos oportebat, qui id poëtae nostro exprobrassent. Deinde quidni populus Equitum tempore patrocinium Comici susceperit, quum Equitibus principem locum judicum sententia datum esse constet? Porro illa verba, *ὑπό τι μικρὸν ἐπιθήκισα* necessario valent, *paullum adulatus sum Cleonem;* faciem vero mutatam ridendique materiam aliunde quaesitam hic nemo unus invenire poterit. Postremo omnium minime versu ultimo de Nubibus aut de

iniquitate judicum queritur, neque omnino hic se cum populo contendere potest; sed ita pergit in comparatione cum Cleone instituta ut ἡ χάραξ Aristophanes τὴν ἄμπελον Cleonem decepisse feratur. Praetereo alia, veluti quae de proverbii illius potestate, de verbo πιθηκίζειν quidvis aliud potius, quam *adulari* significante, de populo novam post Equites Cleonis irrisionem exspectante, de particula κἆτα v. 3 interrogandi vim habente, de Aristophane vel choreuta virgis caeso, de comoedia nescio qua Equites inter et Nubes interjecta disputantur: quae ne diligenter refellam, amore viri egregii atque singularis impedior. Sed quoniam vir amicissimus antiquitatis fidem a se defensam, a nobis autem temere violatam esse dictitat eoque ipso argumento mirifice confidit, etiam hanc rem, qualis sit, dilucide explicabimus. Principio vitae scriptor, qui certe omitti non debebat, p. XIV. ed. Bekk. Δεύτερον δὲ καὶ τρίτον συκοφαντηθεὶς ἀπέφυγε, καὶ οὕτω φανερῶς κατασταθεὶς πολίτης κατεκράτησε τοῦ Κλέωνος· ὅθεν φησὶν (sequitur Acharn. v. 355.) καὶ τὰ ἑξῆς. et unam tractat peregrinitatis causam, et tempora respicit Acharnensibus priora. Plurimum vero tribui videmus huic ad Vesp. 1284 (1275) Scholio, ἄδηλον, πότερον τῆς Καλλιστράτου εἰς τὴν βουλὴν εἰσαγωγῆς καὶ νῦν μιμήσκεται, ὅτι αὐτὸν Κλέων εἰσήγαγεν, ἢ ἑτέρας κατ' αὐτοῦ γενομένης Ἀριστοφάνους, εἰ καὶ μὴ εἰσαγωγῆς, ἀλλὰ ἀπειλῆς τίνος, ὅπερ καὶ μᾶλλον ἐμφαίνεται. ἐκεῖνά τε γὰρ ἀναπολεῖν ἀρχαιότερά ἐστι, νῦν τε ὡς περὶ αὐτοῦ λέγει. Et mox, ἐπέκειτο γὰρ αὐτῷ ὁ Κλέων, ὅτι ἐκωμῳδεῖτο ὑπ' αὐτοῦ. ἄδηλον δὲ εἰ μετὰ τὸ διδάξαι τοὺς Ἱππέας λέγει. Verum enim haec Alexandrini conjectura est opinantis, aut summum argumentantis, non rebus nixa professio historici, neque ea plus habet fidei, quam prima quaeque conjectura nostris capta temporibus. Jam vero conjectori isti licet respondeamus, si Comicus post Equites reus in senatu factus esset, tantae rei memoriam intermortuam jure omnes mirari, sin autem in minis Cleo substitisset, Aristophanem tali modo loqui non potuisse. Quod autem

grammaticus haec idcirco suspicatur, quoniam et accusatio ob Babylonios facta jam tum vetustate prope obsoleverit, et quia nunc de semetipso loquatur Aristophanes, non de Callistrato: neque illud cogitavit, egestatis, infamiae exiliique metum semel ob oculos positum diu in animis haerere, et vero Aristophanem potius, quam Callistratum ab Cleone in jus vocatum esse. Enimvero jam scholiastae scholiastam, opinionis errori fidem historiae opponamus. Haec enim paullo post scripta sunt in eisdem scholiis, *ἐψηφίσατο γὰρ ὁ Κλέων, μηκέτι δεῖν κωμῳδίας ἐπὶ θεάτρων εἰσάγεσθαι, ὅτι δὴ ξένων παρόντων πολίτας ἔσκωπτον.* Haec enim unice ad Babylonios referenda esse, ex Acharn. v. 477 dilucide apparet.

Qui locus quum scholiastam non prorsus falli doceat, res ipsa vero sit ejusmodi, ut tale psephisma ne a Cleone quidem, homine uno omnium audacissimo, proponi potuisse credas, Cleo mihi plane videtur tum *τὸ μηκέτι κωμῳδεῖν ὀνομαστὶ* in concione populi rogasse. Ceterum quantam vim hoc scholium habeat, ex iis patebit, quae nunc dicentur; placet enim hanc rem paullo altius repetere. Omnino Athenis antiqua lege concessum erat, ut, quod vellet comoedia, de quo vellet, praeterquam de Archonte, nominatim diceret, quae lex multis multorum locis continetur, ut Ciceronis De Rep. IV, 10. Sed quum Comici viros summos pariter atque infimos convicio proscindere, neque ulli fere civi insigni parcere solerent, mirum non est, in libera republica homines palam derisos, stimulante animi dolore, identidem in concionibus hujusmodi rogationes tulisse, quibus poëtarum licentia coërceretur. Egregie igitur, ut hinc potissimum exordiar, Schol. ad Acharn. v. 67. *Εὐθυμένους*] *οὗτος ὁ ἄρχων, ἐφ' οὗ κατελύθη τὸ ψήφισμα τοῦ μὴ κωμῳδεῖν, γραφὲν ἐπὶ Μορυχίδου, καὶ ἴσχυσεν ἐκεῖνόν τε τὸν ἐνιαυτὸν καὶ δύο τοὺς ἑξῆς ἐπὶ Γίνου τε καὶ Θεοδώρου, μεθ' οὓς ἐπ' Εὐθυμένους κατελύθη.*

Hoc nimirum auctore, quem *κωμῳδεῖν* breviter dixisse apparet pro his, *κωμῳδεῖν ὀνομαστί τινα*, facile credemus,

Comicos per triennium inde ab Ol. 85, 1. usque ad 85, 4. nominatim perstringere quenquam vetitos esse. Atque hoc ipso tempore Cratini *Ὀδυσσεῖς*, nullius chori fabulam nulliusque parabaseos, datam esse acute conjecit Meinekius (Qu. Scen. I. p. 35 not.). Pergamus ad aliud quantivis pretii scholium, ab omnibus paene adhuc explosum, contra a nullo ac ne a Meinekio quidem et Dindorfio intellectum, ad Acharn. v. 1115 (1149). *ἐδόκει* (l. *δοκεῖ*) *δὲ ὁ Ἀντίμαχος οὗτος ψήφισμα πεποιηκέναι, μὴ δεῖν κωμῳδεῖν ἐξ ὀνόματος. καὶ ἐπὶ τούτῳ πολλοὶ τῶν ποιητῶν οὐ προσῆλθον ληψόμενοι τὸν χορόν, καὶ δῆλον, ὅτι πολλοὶ τῶν χορευτῶν ἐπείνων. ἐχορήγει δὲ ὁ Ἀντίμαχος τότε, ὅτε εἰσήνεγκε τὸ ψήφισμα.* (Falsa sunt ea, quae sequuntur.) Si Antimachi rogatio, ut plane videtur, in concione valuit, non potest ab Antimacho Ol. 88, 1. chorego lata esse. Probabile est igitur, choregiae tempus ex Aristophane haud intellecto derivari debere, atque adeo Antimachi psephisma et perlatum esse et in Ol. 85, 1. Morychide archonte incidisse. Cf. Boeckhium Oeconom. Athen. T. I. p. 345. Contra vero aurea est illa de psephismate Antimachi memoria, qua nihil certius, nihil etiam exoptatius tradi a grammatico poterat. Teste utamur admodum locupleti, Aristophane ipso, non eo tamen, qualis hodie circumfertur, sed integro illo, necdum vitiis corrupto, qui ita dixerat,

Ἀντίμαχον, τὸν Ψακαδᾶ, τὸν ξυγγραφῆ τῶν
μελέων ποιητῶν,
ὡς μὲν ἁπλῷ λόγῳ, κακῶς ἐξολέσειεν ὁ Ζεύς·
ὅς γ' ἐμὲ τὸν τλήμονα Λήναια χορηγῶν ἀπέκλεισε
δείπνων.

Reliqua in aliud tempus differam; ceterum vox *συγγραφεύς* vim obtinet non vulgo obviam, sed forensem, de qua diximus ad Thesmoph. v. 432. Praeterquam autem quod Aristophanes scholiastae verba clarissima luce perfundit, etiam Vitae Scriptor Antimachi psephisma extra omnem ponit dubitationem p. XIV Bekk. *ψηφίσματος*

γὰρ γενομένου χορηγοῦ, ὥστε μὴ ὀνομαστὶ κωμῳδεῖν τινα, ἔγραψε κωμῳδίαν τινά, Κώκαλον —. Nemo semel monitus negaverit, hunc scriptorem de rogatione Antimachi aliquando choregi locutum esse. Tametsi quum Antimachi psephisma certe ante Acharnenses Ol. 88, 3. perlatum esse debeat, a vera temporum ratione procul aberrasse censendus est. Jam vero alia quaedam ejusdem generis psephismata restant, velut Syracosii, de quo Schol. ad Avv. 1297. δοκεῖ δὲ καὶ ψήφισμα τεθεικέναι, μὴ κωμῳδεῖσθαι ὀνομαστί τινα, ὡς Φρύνιχος ἐν Μονοτρόπῳ φησί· Φῶρ' ἔχθε Συρακόσιον· | κἀπιφανὴς γάρ· | καὐτῷ τι τύχοι μέγ'· ἀφείλετο γὰρ | κωμῳδεῖν, οὓς ἐπεθύμουν. sic enim Phrynichi versus cum G. Hermanno scribendi sunt. — Syracosii rogatio quum certissime intra Olymp. 90, 4. — 91, 2. proposita sit, ne potest quidem, uti Meinekio videbatur, perlata esse, ut tamen non diu valeret. Omnino autem populi auctoritate duo tantummodo psephismata confirmata esse arbitror, alterum sive Antimachi, sive alius, quod per tres annos legis vim tenuit, alterum vero ultimum, quo coërcita libertate comoediae veteris, mediae fundamenta poni coepta sunt. Ceterorum vero rogationes, ut Cleonis, ut Syracosii, ut tot, id quod facile statuas, aliorum, rejectae sunt et antiquatae, nec fuerunt nisi rogationes, ab ipsis latae illae quidem, sed plebs non scivit. Reliquum est, ut de ultimo psephismate, omnium sane gravissimo, disseramus. Comoedia vetus neque orta est temporis momento, nec repente uno ictu concidit. Multum ei nocuit Cinesias, choregiam penitus tollendo (Schol. Ran. 404. ἐπὶ γοῦν τοῦ Καλλίου τούτου (Ol. 93, 3.) φησὶν Ἀριστοτέλης, ὅτι σύνδυο ἔδοξε χορηγεῖν τὰ Διονύσια τοῖς τραγῳδοῖς καὶ κωμῳδοῖς· ὥστε ἦν τις καὶ περὶ τὸ Ληναϊκὸν συστολή· χρόνῳ δὲ οὐ πολλῷ ὕστερον καθάπαξ τὰς χορηγίας περιεῖλε Κινησίας, sic enim legendum est. Cf. Schol. ad v. 153. Vit. scriptor. p. XV. et Boeckhium Oecon. Ath. Tom. I. p. 493.). Porro autem Agyrrhius mercedem poëtarum valde imminuit. Enimvero prorsus exstincta est illa demum lege perlata, quam

commemoravit Horatius, A. P. v. 283. Ceterum quis potissimum hujusce legis auctor existimandus esset, id jam aetate Alexandrinorum, qui modo dubitant de hac re, modo aperte falluntur, nemo videtur statutum habuisse. Namque ut omittamus Vitae scriptorem, qui Antimachi psephismate vehementer abusus est, minus etiam Alcibiades nominari debebat ab Schol. Aristid. III, 444 ed. G. D. *Ἄλλοι δὲ λέγουσιν, ὅτι ἐκωμῴδουν ὀνομαστὶ τοὺς ἄνδρας μέχρις Εὐπόλιδος· περιεῖλε δὲ τοῦτο Ἀλκιβιάδης, ὁ στρατηγὸς καὶ ῥήτωρ· κωμῳδηθεὶς γὰρ παρὰ Εὐπόλιδος ἔῤῥιψεν αὐτὸν ἐν τῇ θαλάττῃ κτλ.* Maxima tamen suspicio est, triginta tyrannos Ol. 93, 4. (sive 5) cum facultate hominis nominatim ridendi ipsam simul comoediam veterem funditus delevisse: nam mitius quidem imperium quadringentorum virorum Ol. 92, 3 comoediae haud ita multum incommodaverat. Hoc argumentum ab auctoritate doctissimi scholiastae repetitum res ipsa mire corroborat. Nemo unus Aristophanem post Equitum tempora a Cleone in jus vocatum esse tradidit; muta hic est omnis historia, id est videlicet, quum tacet, loquitur.

Denique quis tandem ea, quae ne potuerint quidem fieri, unquam facta esse contendat? Equitum ordo faverat Aristophani; judices hanc fabulam insigni praemio publice decoraverant; populus audaciam poëtae incredibili quodam plausu exceperat. Ex eo inde tempore Cleo, in contemtionem Atheniensium adductus, nihil memoria dignum efficere potuit. Quare post paullo, quum se in agrum Amphipoleos cum parva manu proripuisset, Ol. 89, 3. pugnans mortem occubuit (Thucyd. V, 10.). Sed age, ipsos poëtae versus diligenter consideremus. Aristophanes de una tantum causa loquitur, neque vero haec ab antiquiore quodam tempore discernit; deinde totam rem ita plane describit, ut in litem ob Babylonios sibi intentam omnia pulcherrime conveniant; semel se Cleoni concessisse fatetur, conturbatum hominis iracundi contumeliis, ac vehementius ab eo proscissum; denique haec non extra, sed coram senatu intus (*οἴκτὸς*) accidisse

narrat. Quin etiam illud, quod in tot tantisque periculorum angustiis jocum sibi nescio quem excidisse ait, vel significat potius, ad nostram illam litem eximie congruit. Fertur enim poëta interrogatus in Senatu Homeri verbis respondisse,

Μήτηρ μέν τέ μέ φησι τοῦ ἔμμεναι, αὐτὰρ ἔγωγε
οὐκ οἶδ' · οὐ γάρ πώ τις ἑὸν γόνον αὐτὸς ἀνέγνω.

Hic etiam quaerit Vir Cl., quando ante Equitum tempora Aristophanes Cleonem sibi blanditiis devincire potuerit, ac tum ipse pro imperio respondet, certe non inter Babylonios et Acharnenses. Quasi vero non idem poëta et paullo post summo periculo liberatus aperte odium suum prodere et paullo ante in discrimine ipso prae metu paullum adulari potuerit. Contra nihil stultius fuisset Cleone, si blanditiis ejus poëtae capi atque illaqueari potuisset, abs quo jam publice edita esset atrocissima illa fabula Equitum. Versu extremo deceptum esse adversarium videmus, qui sperasset, fore, ut Aristophanes Cleoni non minus firmiter, quam palo vitis adhaereret. Hae potissimum rationes olim me moverunt, ut injuriam in Vespis tractatam ab ea injuria, de qua in Acharnensibus agitur, nihil quidquam differre contenderem, prioris autem scholiastae dubitationem, si minus stultam, certe non sapientissimam esse arbitrarer, postremo omnem illum locum hac interpretatione illustrarem: *Sunt, qui dixerint, me cum Cleone in gratiam redisse* (nempe actis Babyloniis), *quo tempore ille minaci actione sua me perculit. Sed simulatque ab amicis me desertum vidissem, blanditiis hominem reconciliare debui. At vero sibi impositum esse, meque indutias tantummodo depacisci voluisse, id Cleon non ita multo post ex Equitibus meis hisque ipsis Vespis perspicere plane potuit.* Unum restat, ut quaeramus, cur poëta non potius in ea fabula, in qua jam prius Cleonem atrocius etiam vexarat, in Equitibus, hujusce rei mentionem fecerit. Verum id consilio adsignare praestat, quam necessitati. Dixerit fortasse quispiam, Aristophanem invitum haec

ibi praeterire coactum esse, quippe qui parabasin Equitum alteram v. 1261—1313., quae huic Vesparum loco accurate respondet, ob temporum angustias sua manu absolvere nequiverit, sed partim certe ab Eupolide fuerit adjuvandus. Attamen multo verius est, Comicum recto sapientique consilio in eo dramate, in quo Cleonem de honoris fastigio dejecturus esset, de ejusmodi artibus tacendum putasse, quibus paullo ante ipse in praesentissimum periculum a Cleone adductus erat.

Deinceps Vir Amicissimus ingeniose sic disputat, ut Equites primum ab Aristophane ipso editos esse confirmet, Babylonios autem et Acharnenses Callistrati nomine inscriptos esse cum vulgo existimet. Hoc enim modo neque inimicitia Cleonem inter et Aristophanem ulla, nisi post Equitum tempus cogitari potest, quam ante Vespas v. 1284. exstitisse oportet, et vero poëtam boni publici causa, non privatae offensionis scripsisse Equites suos necesse est. Ac primo supervacaneum fuerit, de inimicitia inter utrumque exercita hic disserere, quae certe tanta fuit, quanta in humanam naturam cadere maxima potest: porro autem illi jam ante Equites ira saeviebant, ut ex Equitibus ipsis apparet, comoedia viri plena summaeque acerbitatis. Sed quoniam Babyloniorum causae atque Acharnensium tam arcte inter se cohaerent, ut ab uno eodemque viro utrosque datos esse certissimum videatur, ante omnia arcem sententiae meae munire, neque ullo modo Callistratum, sed Aristophanem docuisse Acharnenses ostendam. Quanquam piget profecto taedetque, res in clarissima luce collocatas minimeque dubias multis verbis illustrare: verum quando sic placet amico meo, tamen ostendam. Jam primum illud omittamus, quod et in antiquissima didascalia semel, et in Scholiis vetustis per totam fabulam summo consensu Acharnenses non Callistrato, sed Aristophani tribuuntur. Audiamus itaque ipsum poëtam, quo auctorem alium meliorem ne optare quidem possumus, primum v. 282. *ὡς μεμίσηκά σε Κλέωνος ἔτι μᾶλλον, ὃν | κατατεμῶ 'γὼ τοῖσιν Ἱππεῦσίν ποτ'*

ἐς καττύματα. Hic plane docemur, Acharnenses et Equites ab eodem Comico, Aristophane videlicet, scriptos esse.

Transeamus ad eos locos, in quibus litis poëtae a Cleone illatae mentio facta est v. 355 sqq. et v. 476. Hic omnes scholiastae declarant, interlocutorem ex ipsius poëtae persona verba facere, ac tum litem illam ab Cleone Aristophani intentam ordine exponunt, ne nominato quidem Callistrato. Cum scholiastis eximie consentit Vitae scriptor p. XIII sq., qui ipse etiam in lite diligenter enarranda prorsus tacet de Callistrato, neque omnino hunc quisquam Aristophani temere substituit, praeter scholiastam ad Vesp. 1284. conjectorem. Denique fieri plane non potuit, ut Callistratus in jus a Cleone vocatus amici partes in se reciperet. Etiamsi enim Aristophanes non ipse, sed Callistratus pro eo Babylonios docuisset, quod est longe secus, nihil tamen certius videtur, quam Callistratum tanto terrore menti offuso veri scriptoris nomen potius editurum fuisse, quam se ingenti periculo pro Aristophane objiceret: vix enim tria talium amicorum paria adhuc scimus inventa esse. Postremo Acharnenses fabulam ipsum docuisse Aristophanem, Parabasis sive Anapaesti v. 602 sqq. loquuntur et clamant. Sed hic initium ipsum, quasi aliquem aditum, obstruere nobis conatur adversarii amicitia,

Ἐξ οὗ γε χοροῖσιν ἐφέστηκεν τρυγικοῖς ὁ διδάσκαλος ἡμῶν,

quae ille negat novitii esse poëtae, aut Aristophanis secundum suo nomine fabulam edentis, sed Comici jam diutius in scena versati. Mire, ut mihi quidem videtur: sive enim haec ad Callistratum pertinent, sive ad Aristophanem, utervis duas tantum fabulas ediderat, Babylonios et Acharnenses; quoniam quidem Daetalenses Philonidi ab omnibus adsignantur.

Hoc est igitur, Aristophanem ipsum reprehendere, qui ita locutus sit, fortassis etiam minus attendere, par-

ticulam γὲ ab initio valere ad restringendum. Sequitur in Aristophane, διαβαλλόμενος δ' ὑπὸ τῶν ἐχθρῶν ἐν Ἀθηναίοις ταχυβούλοις — ἀποκρίνασθαι δεῖται νυνὶ πρὸς Ἀθηναίους μεταβούλους. Accusatus erat inter Athenienses Babyloniorum poëta, non Callistratus, sed Aristophanes, qui idem jam ad defendendum se comparat. Multis igitur verbis demonstrat, quam bene docendo dramate illo superiore de Republica meritus sit. Tum v. 619. haec leguntur, ἤξουσιν ἰδεῖν ἐπιθυμοῦντες τὸν ποιητὴν τὸν ἄριστον. Insulani Aristophanem poëtam videre cupiunt, minime vero Callistratum. Scilicet nemo quisquam memoriae prodidit, sive Babylonios omnium consensu ab Aristophane datos, sive ullam aliam fabulam a Callistrato ut poëta exhibitam esse, contrarium autem multi, (velut Schol. ad Ach. v. 356 (377) τοὺς Βαβυλωνίους. τούτους γὰρ πρὸ τῶν Ἀχαρνέων Ἀριστοφάνης ἐδίδαξεν.); illud igitur sine ullo auctore dicitur. Nec denique, ut inter omnes constat, poëta fuit Callistratus, sed tantum actor primarum. Contra Philonides et ipse fuit poëta Comicus, et docuit Aristophanis Daetalenses atque Proagonem. In proximis lepide jocatur poëta, οὕτω δ' αὐτοῦ περὶ τῆς τόλμης ἤδη πόρρω κλέος ἦκει, | ὅτε καὶ βασιλεὺς —. Tamne longe ergo histrionis fama disseminata erat, ut eum adeo rex Persarum admiraretur, nihil idem de poëta ipso, Aristophane, viro certe jam tum minus obscuro, resciscere posset? Paullo longiorem orationem ea desiderant, quae mox de Aegina insula a Lacedaemoniis repetita narrantur. Aristophanem igitur unum de colonis Aeginensibus fuisse, his constat certissimis auctoribus, primum scholiastis, τῆς νήσου, ἐν ᾗ τὰ χωρία Ἀριστοφάνους, λέγω δὴ τῆς Αἰγίνης. — ἐντεῦθέν τινες νομίζουσιν, ἐν Αἰγίνῃ τὰς κωμῳδίας ποιεῖν τὸν Ἀριστοφάνην, διὰ τὸ —. ταῖς ἀληθείαις εἷς ἦν τῶν ἐν τῇ νήσῳ κληρουχησάντων —. deinde Vitae Scriptore p. XIII. — οἱ μὲν αὐτόν φασιν εἶναι Ῥόδιον ἀπὸ Λίνδου, οἱ δὲ Αἰγινήτην, στοχαζόμενοι ἐκ τοῦ πλεῖστον χρόνον τὰς διατριβὰς ποιεῖσθαι αὐτόθι, ἢ καὶ ὅτι ἐκέκτητο ἐκεῖσε, κατὰ τινὰς δὲ ὡς ὅτι ὁ πατὴρ αὐτοῦ Φίλιππος

Αἰγινήτης. postremo etiam Theogene, homine gravissimo, ap. Schol. Platon. p. 331 B. *κατεκλήρωσε* (imo, *κατεκληρώσατο*) *δὲ* (scil. *Ἀριστοφάνης*) *καὶ τὴν Αἴγιναν, ὡς Θεογένης ἐν τῷ περὶ Αἰγίνης*. Callistratum autem ullum in Aegina praedium habuisse, aegre credam nasuto scholiastae, *Ἄλλως. οὐδεὶς ἱστόρηκεν, ὡς ἐν Αἰγίνῃ κέκτηταί τι Ἀριστοφάνης* (vide hominis audaciam). *ἀλλ' ἔοικε ταῦτα περὶ Καλλιστράτου λέγεσθαι, ὃς κεκληρούχηκεν ἐν Αἰγίνῃ μετὰ τὴν ἀνάστασιν Αἰγινητῶν ὑπὸ Ἀθηναίων*.

Quum fabulam nostram egisse Callistratum, histrionem comperisset, simpliciter, ut puto, totam rem ab Aristophane transtulit ad Callistratum: quidni enim iterum mentiatur, quem semel mentitum esse apparet? Sed ex his facile statui potest, quo jure vir amicissimus dixerit, non solum hic quoque testimonia in utramque partem afferri posse, verum etiam addiderit, Callistrato favere ipsum scholiastam Aristophanis. Ceterum pergit Aristophanes, *φησὶν δ' ὑμᾶς πολλὰ διδάξειν ἀγάθ', ὥστ' εὐδαίμονας εἶναι* —. Etiamne igitur actor iste Callistratus, qui nullum jambum scripserat unquam, novas comoedias, ut Equites, Atheniensibus publice annuntiabit? Restat Euripidei loci e Telepho parodia, *πρὸς ταῦτα Κλέων καὶ παλαμάσθω, | καὶ πᾶν ἐπ' ἐμοὶ τεκταινέσθω* —. Hic quoque unice loqui debet Aristophanes, quem crudeliter Cleo insectatus erat; nihil enim commercii fuerat potenti demagogo cum isto Callistrato, scenae actore. Inutile fuerit, plura etiam adjicere: satis enim superque ostensum est, Acharnenses fabulam minime Callistratum docuisse, sed ipsum Aristophanem. At, inquit, Equites primam fuisse fabulam, cujus se poëtam Aristophanes publice profiteretur, et ipse demonstrat, et constans antiquitatis fama est. Haec rhetorica exornatio denique ad duo redit Aristophanis loca, quae ipsa recte et ordine explicata nostrae causae proderunt. Horum alterum Eqq. 511. denuo afferri potuisse miramur, *Ἃ δὲ θαυμάζειν ὑμῶν φησὶν πολλοὺς αὐτῷ προσιόντας | καὶ βασανίζειν, ὡς οὐχὶ πάλαι χορὸν αἰτοίη καθ' ἑαυτόν* —. quem nos jam

pridem rectissime exposuimus ad Daetalenses p. 15 sqq. Neque enim sine causa voces *καθ' ἑαυτὸν* adpositae sunt, *quod non dudum pro se Chorum poposcisset, id est Chorum, quo ipse uteretur.* Poëtae enim dramatici quum saepe alias fabulae suae primas partes agere ipsi consuessent, quod factum esse a Magnete, Cratino, Cratete deinceps parabasi illa edocemur, tum maxime in primis alicujus poëtae fabulis ea consuetudo obtinuit (Cf. Sympos. Platon. p. 194, b. et Aristoph. Acharn. v. 11.): partim enim poëtae gloriae suae hac ratione consulebant, partim verecunde in publicum prodeundo gratiam a spectatoribus inibant. Quum igitur Aristophanes, cujus nomine duae fabulae jam prius editae erant, in scenam progredi ante Equites non ausus esset: haud injuria mirati sunt homines, quid esset, quod poëta satis jam tum nobilis a vulgari more desciscere, neque aliquanto ante suis in fabulis protagonista fieri voluisset. Eodem referendus est Aristonymi Amipsiaeque jocus, ridentium poëtam, quod pro aliis, actoribus scilicet, laborem perferret; protagonistes enim, non poëta Chorum in scenam introducebat. Verum enim Aristophanes melius sciebat domi scribere fabulas, quam ipse eas in pulpito peragere. Neque enim Comicus, ut arbitror, scribendi laborem unus sustinuisset, fructus jucunditatisque magnam partem alii protagonistae reliquisset, nisi pulchre intelligeret, se in scena haud pulcherrime staturum esse. Certissimum est igitur, et illos versus et totam Equitum parabasin nostrae sententiae inprimis favere. Sed alium praeterea locum in promtu habent Vesp. 1029 sqq. *οὐδ' ὅτε πρῶτόν γ' ἦρξε διδάσκειν, ἀνθρώποις φήσ' ἐπιθέσθαι | ἀλλ' Ἡρακλέους ὀργήν τιν' ἔχων, τοῖσι μεγίστοις ἐπιχειρεῖν, | θρασέως ξυστὰς εὐθὺς ἀπ' ἀρχῆς αὐτῷ τῷ καρχαρόδοντι, | οὗ δεινόταται μὲν ἀπ' ὀφθαλμῶν Κύννης ἀκτῖνες ἔλαμπον, | ἑκατὸν δὲ κύκλῳ κεφαλαὶ κολάκων οἰμωξομένων ἐλιχμῶντο | περὶ τὴν κεφαλήν, φωνὴν δ' εἶχεν χαράδρας ὄλεθρον τετοκυίας, | φώκης δ' ὀσμήν, Λαμίας δ' ὄρχεις ἁπλύτους, πρωκτὸν δὲ καμήλου. | τοιοῦτον ἰδὼν τέρας οὔ φησιν δείσας*

καταδωροδοκῆσαι· | ἀλλ' ὑπὲρ ὑμῶν ἔτι καὶ νυνὶ πολεμεῖ. Quis vero eos jussit ea ad Equites revocare, quae apertissime spectant ad Babylonios? Primum enim quum teste ipso poëta primus impetus in Cleonem factus hic nominetur, Cleo multo ante, quam in Equitibus jam in Babyloniis acerrime vexatus erat. Vide jam postrema verba, quae pondus habent vel maximum: *Tali conspecto portento negat poëta se prae metu dona Cleoni dedisse.* Timebat Aristophanes ac de donis dandis cogitare poterat Babyloniis vixdum commissis, quum in jus a Cleone obtorto collo raperetur: contra post Equites neque timebat ille, nec sane ullo dono Cleonem erat corrupturus. Quae quum ita sint, laudi poëta sibi ducit nobilem audaciam animumque generosum praedicat, quod in Babyloniis, prima omnium fabula, quae quidem ipsius nomine datae essent, statim hominem longe potentissimum non dubitasset invadere. Denique quî tandem factum est, ut locum plane geminum, qui unus rem conficit, temere negligerent, Pac. v. 744. — ἀλλ' Ἡρακλέους ὀργήν τιν' ἔχων, τοῖσι μεγίστοις ἐπεχείρει· | διαβὰς βυρσῶν ὀσμὰς δεινὰς κἀπειλὰς βορβοροθύμους. | καὶ πρῶτον μὲν μάχομαι πάντων αὐτῷ τῷ καρχαρόδοντι, | οὗ δεινόταται μὲν ἀπ' ὀφθαλμῶν Κύννης ἀκτῖνες ἔλαμπον, | ἑκατὸν δὲ κύκλῳ κεφαλαὶ κολάκων οἰμωξομένων ἐλιχμῶντο | περὶ τὴν κεφαλήν, φωνὴν δ' εἶχεν χαράδρας ὄλεθρον τετοκυίας, | φώκης δ' ὀσμήν, Λαμίας δ' ὄρχεις ἀπλύτους, πρωκτὸν δὲ καμήλου. | τοιοῦτον ἰδὼν τέρας οὐ κατέδεισ', ἀλλ' ὑπὲρ ὑμῶν πολεμίζων | ἀντεῖχον ἀεὶ καὶ τῶν ἄλλων νήσων. Pro insulanis enim minime in Equitibus, sed fortissime in Babyloniis propugnaverat Aristophanes. Paucis defungar de loco Vesp. 1018. τὰ μὲν οὐ φανερῶς, ἀλλ' ἐπικουρῶν κρύβδην ἑτέροισι ποιηταῖς. Dicit enim Philonidem, qui ab Aristophane dono acceperat Daetalenses. Verissima tradunt, dummodo recte explices, Schol. ad Vesp. 1054 (1013) διὰ Φιλωνίδου καὶ Καλλιστράτου et Vitae scriptor p. xv, 22: poëta enim Philonides a Callistrato primarum actore diligenter discernendus est.

Praeterea in luculenta illa parabasi Nub. v. 520 sqq. unam tantummodo fabulam, tempore primam, Daetalenses alius poëtae nomine, Philonidis scilicet, inscriptam esse palam confirmat Aristophanes. Atque hoc idem memoriae proditum est in Excerptis De Comoedia p. VII Bekk. *ἐδίδαξε δὲ πρῶτον ἐπὶ ἄρχοντος Διοτίμου διὰ Καλλιστράτου* (actore)· *τὰς μὲν γὰρ πολιτικὰς τούτῳ φασὶν αὐτὸν διδόναι, τὰς δὲ κατ' Εὐριπίδου καὶ Σωκράτους Φιλωνίδῃ. διὰ δὲ τοῦτο νομισθεὶς ἀγαθὸς ποιητὴς τὰς λοιπὰς ἐπιγραφόμενος ἐνίκα.*

Caeterum in hac disputatione mihi idem plane, quod Hermanno meo propositum erat, ut antiqua monumenta sequerer atque conjecturas, praesertim minime probabiles, refutarem: uter vero nostrum testimonia incorrupta, uter etiam novitias opiniones defendendas susceperit, penes alios erit judicium. Multum tamen amo consilium sagacissimi doctissimique Viri: qui si istam tantam eruditionem uno tempore ad unum modo aut summum duo scriptores conferre soleret, nae ille multo etiam magis malevolorum invidiam excitare, bonorum vero omnium summam laudem admirationemque mereri posset.

Hoc addo: diversam sententiam Theodori Bergkii esse de illo Syracosii decreto, quam rogatus mecum communicavit: subjiciam igitur quae ille commentatus est.

„Antiquae comoediae licentia effrenata primum Morychide archonte arctioribus finibus circumscripta est, sed mox quatuor annis post lex illa, qua erat vetitum, ne nominatim laederet comoedia quemquam, sublata et antiqua licentia etiam lege, ut videtur, confirmata est, id quod colligas ex Cicerone de Rep. IV, 10. Denuo autem libertatem illis abrogavit Syracosius quidam, cujus legem non solum latam, sed etiam perlatam esse contendo. Nam Scholiasta Aristophanis Av. 1297 etsi dubitanter loquitur, utitur tamen teste locuplete, Phrynicho, qui illo ipso tempore graviter conqueritur, quod ademta sibi sit libertas eorum hominum, quos velit, exagitandorum: dicit autem ille interpres haec: *Δοκεῖ δὲ καὶ ψήφισμα τεθεικέναι* (Syracosius) *μὴ κωμῳδεῖσθαι ὀνομαστί τινα, ὡς Φρύνιχος ἐν Μονοτρόπῳ φησί· Ψῶρ' ἔχε Συρακόσιον· ἐπιφανὴς γὰρ αὐτῷ καὶ μέγα τύχοι· ἀφείλετο γὰρ κωμῳδεῖν οὓς ἐπεθύμουν· διὸ πικρότερον αὐτῷ προσφέρονται.* Corruptissima sunt haec Phrynichi verba, et ea quidem, quibus diras imprecatur Syracosio, nunc non examino, sed ea, in quibus totius rei cardo versatur, tam integra sunt, ut sola satis superque ostendant, illo tempore valuisse Syracosii legem. Neque vero arbitror Syracosium sua sponte hanc legem tulisse, sed videtur subornatus esse ab alio quodam viro potenti, quem effrenati comicorum poetarum joci laesissent. Quod si quaeris, quinam ille fuerit auctor, vix alium quem Syracosio ad maledictionem comicorum refrenandam usum esse veri simillimum est, quam Alcibiadem, illo tempore facile reipublicae principem. In hunc ipsum autem ejusque sodales atque

familiares Arimnesto archonte paullo ante expeditionem Siculam Eupolis poeta maledicentissimus omne acerbitatis virus evomuerat, in fabula, quae *Βαπται* inscribitur. Quis vero est, qui dubitet, quin Alcibiades, quem tam indignis modis violaverat poeta comicus, ipsius comoediae licentiam coercere conatus sit? Et hujus opinionis probabilitas quodammodo confirmatur testimonio scholiastae Aristidis Tom. III. p. 444 ed. Dindorf. *Ἄλλοι δὲ λέγουσιν ὅτι ἐκωμῴδουν ὀνομαστὶ τοὺς ἄνδρας μέχρις Εὐπόλιδος· περιεῖλε δὲ τοῦτο Ἀλκιβιάδης ὁ στρατηγὸς καὶ ῥήτωρ. κωμῳδηθεὶς γὰρ παρὰ Εὐπόλιδος ἔρριψεν αὐτὸν ἐν τῇ θαλάττῃ ἐν Σικελίᾳ συστρατευόμενον, εἰπών·*

Βάπτε μὲν ἐν θυμέλῃσί μ', ἐγὼ δέ σε κύμασι πόντου
Βαπτίζων ὀλέσω νάμασι πικροτάτοις.

Cave enim huic interpreti omnem abroges fidem: licet enim, ut solent isti homines vera falsis miscere, ea quae sibi propemodum repugnant conciliaverit et quae ab aliis aliter narrata reperit, in unum contraxerit, hoc tamen verisimiliter memoriae prodidit, Alcibiadem illo tempore comoediae libertatem sustulisse: cui quidem memoriae temere adjunxit famam istam commenticiam atque falsam, Eupolin ab irato Alcibiade in mare praecipitatum esse.

Jam vero cum constet idoneis testimoniis Syracosium eadem aetate poetis comicis libertatem abrogavisse, neque sit consentaneum, utrumque et Alcibiadem et Syracosium uno eodemque tempore de eadem re singulas tulisse leges, non temere mihi videor conjecisse, ab Alcibiade quo invidiam rei a se averteret, istum hominem subornatum esse, ut lege lata comicorum maledicentiam coerceret. Syracosium autem huic negotio accommodatum fuisse probabile est: erat enim unus ex concionatoribus istis vanis sed iisdem versutis, quibus tum Athenae abundabant. Loquacitatem ejus notat Eupolis in Urbibus apud interpretem Aristoph. Av. eo loco, quem modo dixi:

Συρακόσιος δ' ἔοικεν, ἡνίκ' ἂν λέγῃ,
Τοῖς κυνιδίοισι τοῖσιν ἐπὶ τῶν τειχέων·
Ἀναβὰς γὰρ ἐπὶ τὸ βῆμ' ὑλακτεῖ περιτρέχων.

Jam cum Alcibiades scite ita rem instituisset, ut qui revera legis auctor esset lateret, Syracosius autem quem sodalitate aliqua cum Alcibiade conjunctum esse credo, vulgo haberetur legislator, in eum comici poetae omnem culpam contulerunt. Non neglexit illum notare Aristophanes in Avibus v. 1297:

Μενίππῳ δ' ἦν χελιδὼν τοὔνομα,
Ὀπουντίῳ δ' ὀφθαλμὸν οὐκ ἔχων κόραξ,
Κορυδὸς Φιλοκλέει, Χηναλώπηξ Θεογένει,
Ἶβις Λυκούργῳ, Χαιρεφῶντι νυκτερὶς,
Συρακοσίῳ δὲ κίττα.

At longe gravius et apertius illum vexavit Phrynichus, quod vidimus supra: qui quidem locus documento est hanc Syracosii legem et perlatam esse et aliquamdiu valuisse. Sed id ipsum etiam eae fabulae confirmant, quae in istam aetatem incidunt, modo accuratius investigemus, quae earum sit indoles ac ratio.

Sed id ut recte satis possit perspici, ante omnia necesse est, statuatur, quid sit *ὀνομαστὶ κωμῳδεῖν*. Et mihi quidem non satis vere et pensiculate ii videntur statuere, qui illud quod vetitum erat, ne quis nominatim laederetur in comoedia, ita intelligunt, ac si posthac omnino non licuisset quemquam in scena nomine non celato notari: verum illis legibus nihil aliud fuit interdictum, nisi viros potentes et reipublicae gubernatores in scena repraesentari et nominatim integra comoedia famam eorum laedi: licuit, sicuti antea, quemcunque vel nomine addito attingere passim atque lacessere. Igitur uti Aristophanes Cleonem, Cleophontem Plato, alii Hyperbolum probris ac maledictis omnibus per integras comoedias obruerunt, id erat *ὀνομαστὶ κωμῳδεῖν*. Vim et consilium hujus legis possumus satis perspicere ex iis, quae Cicero disserit de Rep. IV, 10. qui cum dixisset: *Apud quos* (Graecos) *fuit etiam lege concessum, ut quod vellet*

comoedia de quo vellet nominatim diceret, ita pergit: *Quem illa non attigit? vel potius quem non vexavit? cui pepercit? Esto, populares homines, improbos in republica, seditiosos, Cleonem, Cleophontem, Hyperbolum laesit. Patiamur, etsi ejusmodi cives a censore melius est, quam a poetis notari: sed Periclem, cum jam suae civitati maxima auctoritate plurimos annos domi et belli praefuisset, violari versibus et eos agi in scena non plus decuit, quam si Plautus noster voluisset aut Naevius Publio et Cnejo Scipioni aut Caecilius Marco Catoni maledicere.*

Cum igitur laedendi jocandique licentia esset imminuta, jam poetae comici debebant et alia fabularum argumenta seligere et selecta alio modo tractare: cavendum enim erat, ne si reipublicae potissimum statum attingerent, civitatis laederent rectores. Quare Aristophanes illo ipso Chabriae anno docuerat Lenaeis Amphiaraum, cujus fabulae consilium hoc erat, ut inanis superstitio Atheniensium irrideretur: cujus rei illi quidem satis luculenta documenta in expeditione Sicula suscipienda ediderunt. Quamvis autem Aristophanes cum vitiosam illam superstitionem exagitaret, viros complures in civitate tum potentissimos respexisse videtur, caute tamen illos attigit. Idem Aristophanes cum paulo post Dionysiis urbanis Aves doceret, reipublicae statum per totam illam fabulam notavit, sed scite hac in re versatus est, ut violatae legis crimen in eum non posset conjici: illud enim consilium, quod poetae animo obversatum est, involucro quodam mirabilium imaginum obvolvit, seduloque cavit, ne eos, qui civitati praeessent, laederet aperte: neque tamen adeo refrenavit musam lascivientem, ut non unum alterumve acerbe notaverit nomine hominis adjecto, sicut etiam media comoedia, licet magis etiam libertas fuerit legum vinculis circumdata, non desiit homines pravos exagitare. Quid quod ne recentior quidem comoedia hanc licentiam prorsus a se segregavit. Sed quominus accuratius in propositum et indolem Avium Aristophaniarum inquiram cum

temporis angustiae prohibent locique termini arctati, tum verecundia quaedam Suevernii, qui licet in multis rebus ab eo sit dissentiendum, primus tamen insigne proposuit exemplum docuitque qua ratione veteres comoediae sint explanandae.

Iisdem festis diebus, quibus Aristophanes Aves, Monotropum docuit Phrynichus, qui libere confitetur sibi consilium fuisse viros quosdam in republica plurimum valentes in scena exagitare, sed lege Syracosii, cui mala gravissima imprecatur, a proposito deterritum esse:

Ἀφείλετο γὰρ κωμῳδεῖν οὓς ἐπεθύμουν.

Coactus igitur aliam quandam ludendi jocandique materiam eligere, composuit Monotropum, eo quidem consilio, ut irrideret homines quosdam leves atque vanos, qui Timonis more vitam ab hominum communione sejunctam degerent. Induxit igitur *Solitarium* quendam, quem haud dubie non ita procul ab initio fabulae sic fecit exponentem quis et qualis esset:

* * * * *Ὄνομα δέ μοὔστι Μονότροπος·*
* * * * * *ζῶ δὲ Τίμωνος βίον,*
Ἄγαμον, ἄδουλον, ὀξύθυμον, ἀπρόσοδον,
Ἀγέλαστον, ἀδιάλεκτον, ἰδιογνώμονα.

Sic enim illi versus, qui leguntur apud Grammat. Bekk. Tom. I. p. 344 corrigendi sunt. Videtur autem Timon ille non ita multo ante hanc fabulam actam divitiis perditis se in solitudinem contulisse et eo asperitatis processisse, ut hominum consuetudinem omnem fugeret. Aristophanes quoque in Avibus v. 1550 eundem hominem attigit et in Lysistrata v. 808 pluribus ejus memoriam persequitur. Jam si quis cogitet, quanta fuerint levitate Athenienses illo tempore, quanto cum studio quidquid novum atque inauditum iis accidebat, secuti sint, ei non mirum videbitur, aliquos homines, rei novitate commotos Timonis victum atque cultum imitatos esse: id quod jure mihi videor colligere ex Lysiae verbis, quae ex oratione in Timonem servavit Suidas v. *ἐσχημάτ. Οἱ δ' ἀλαζονεύονται μὲν Τίμωνι παραπλησίως καὶ ἐσχηματισμένοι περιέρ-*

χονται ὥσπερ οὗτος. Hoc etsi primarium fuit consilium fabulae Phrynicheae, non tamen pepercit hominibus potentibus atque improbis, leviter tangit Niciam, virum et liberalem et honestum, graviter autem vexat Lyceam quendam, Teleam, Pisandrum, Execestidem, alios fortasse.

Eadem ratio fuisse videtur Comissatorum, quos Amipsias illis ipsis Dionysiis magnis commisit: hujus enim fabulae argumentum, quantum quidem ex titulo (hic enim solus superest) conjecturam facere licet, hilare atque laetitiae plenum fuit. Non tamen celabo quandam suspicionem, quae mihi suborta est: credo enim illius fabulae quaedam fragmenta etiam nunc superesse: credo enim non Amipsiam verum fuisse auctorem comoediae, sed ipsum Phrynichum, qui cum duas fabulas composuisset, Monotropum et Comissatores, lege autem vetitum esset, ne quis comicus poeta duas simul committeret fabulas, alteram tradidit Amipsiae, ut suo nomine doceret: hinc in didascaliis quidem ista comoedia consignata est Amipsiae nomine, sed verus auctor statim innotuit, ut solet fieri, hinc grammatici quae ex Comissatoribus proferunt, ea Phrynicho tribuunt. Eodem prorsus pacto archonte Amynia Aristophanes composuerat duas comoedias, Vespas ipse proprio nomine docuit, histrione usus Philonide, alteram vero, Proagonem Philonides et docuit et fortasse egit quoque: hinc in didascaliis fuit scriptum: *ἐτέρα πρῶτος Φιλωνίδης Προάγων.* Nam quae homines docti de illo loco commentati sunt, comprobari nequeunt. Sufficit haec indicasse, quae longiorem disputationis ordinem requirunt. — Illud unum subjiciam iis quae supra disserui, Platonis Cleophontem non posse ad hanc aetatem referri, id quod visum est Meinekio. Quam diu autem ista Syracosii lex valuerit, et difficilis et longa est quaestio, quoniam cohaeret cum alia, quae est de Aristophanis Lysistrata et Thesmophoriazusis, quae commodius in alium locum rejicitur."

CORRIGENDA.

In eo typothetae saepius peccaverunt, quod quae arctissime cohaerent temere separaverunt, exempli causa p. 79 l. 27 latius. — Nam. p. 81 l. 14 exstare. — Et alterum. p. 240. l. 13 Bekk. — Hic Socrates. aliisque in locis. Praeterea haec corrigenda sunt.

P. 7 l. 27 dignoscere lege agnoscere.
" 12 not. l. 5. Ῥαονέννα — Ῥαονέννα.
" 14 " 9 magnum — magnam.
" — " 18 Tam etsi — Tametsi
" 15 " 19 Deodonae — Dodonae.
" — " 28 er — per.
" 16 " 24 sedem, cum — sedem cum.
" 20 not. l. 19 quod erant — quo erant.
" — — " 26 ἐπολιόρκεέ — ἐπολιόρκεε.
" 21 — " 3 habitabant Pel. – habitabant, Pel.
" 24 l. 20 quoque — quoquo.
" — " 29 ita — ita ut.
" 29 " 15 susceptam — susceptum.
" — not. l. 5 γενέσθαι — γενέσθαι.
" 30 — " 1 φησιν — φησὶν.
" 33 l. 11 ductoribus — auctoribus.
" 35 " 24 Τυῤῥήνος — Τυῤῥηνός.
" 39 " 36 Nephelococygiae — Nephelococcygiae.
" 41 " 8 Πέλασγος — Πέλαγος.
" — " 20 praeces — preces.
" 43 " 10 vicinia, leg. — vicina leg.
" — " 20 proximi — proxime.
" 45 " 14 sicm ulto — sic multo.
" — " 19 ἐθήκεν — ἔθηκεν.
" 47 " 15 l. l. — l.
" 55 " 12 χρησι — χρησ.
" — " 24 Frag. — Trag.
" — " 28 post ista ins.: ad emendandum quoddam Eupolidis fragmentum in
" 56 " 31 τὸ — τὰ.
" 62 " 29 iu — in.
" 67 " 35 ὰς — ᾶς.
" 68 " 28 etiam ὀβελίας — etiam ὀβολίας.
" 72 " 21 Namque, alt. — Namque alt.
" — " 28 fcre — fere.

P. 76 l. 14 profecta lege profecto.
" 77 " 12 vero — vere.
" 80 not. l. 4 εἴασεν — εἴασέν.
" 83 l. 18 primitiis — primitivis.
" 86 " 13 fratrem, uterinum sine dubio, stol. — fratrem uterinum, sine dubio stol.
" 93 " 27 paederastra — paederasta.
" 100 " 12 insta — insita.
" — " 25 statuissnt — statuisset.
" 101 " 7 ut — et.
" 103 " 19 Philippidem — Phidippidem.
" 104 " 26 dubibationem — dubitationem.
" 113 " 26 doctissime — docte.
" 117 " 5 offenderetur, tali — offenderetur tali.
" 119 not. l. 2 οἱ — οἳ.
" 123 l. 29 vïdetur — videatur.
" 125 " 15 ipsa — ipsam.
" 127 " 16 quidem — pridem.
" 131 " 28 irridendus — irridendas.
" — " 29 dominatum — domi natum.
" 133 not. l. 10 εὐθείαν — εὐθεῖαν.
" 141 l. 35 καθόλον — καθόλου.
" 146 not. l. 33 cum — cum.
" — — " 28 λέγει. καὶ — λέγει καὶ
" 147 — " 18 Διὰ — διὰ.
" 149 l. 10 σπονδαι — σπονδαί.
" — not. l. 24 πλημοχύας — πλημοχόας.
" 159 l. 9 reguli — regali.
" — " 14 Λυκαβηττον — Λυκαβηττόν.
" 241 " 1 Hic — hic.

Zur Oſtermeſſe 1836 erſcheint in meinem Verlage:

Aristophanis Comoediae, emendavit et interpretatus est F. V. Fritzsche. Vol. I cont. Thesmophoriazusae.

BINDING SECT. FEB 9 1981

19

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

LGr
A716
.Yf
v.1

Fritzsche, F.V.
Quaestiones Aristophaneae.